COLLECTIO

SELECTA

SS. ECCLESIÆ PATRUM.

XII.

PATRES TERTII ECCLESIÆ SÆCULI.

ORIGENES,

VI.

PROSTAT INSUPER VENALE

LUGDUNI,

Apud **RUSAND**, bibliopolam;

MONTIS PESSULANI,

Apud **VIRENQUE**, bibliopolam;

PARISIIS,

Apud **GAUME** fratres, bibliopolas;

ROMÆ,

Apud **MERLE**, bibliopolam.

PARISIIS, E TYPOGRAPHEO DECOURCHANT,
VIA VULGO DICTA D'ERFURTH, N° I.

COLLECTIO

SELECTA

SS. ECCLESIÆ PATRUM,

COMPLECTENS

EXQUISITISSIMA OPERA

TUM DOGMATICA ET MORALIA, TUM APOLOGETICA ET ORATORIA;

ACCURANTIBUS

D. A. B. CAILLAU,

MISSIONUM GALLICARUM PRESBYTERO,

NONNULLISQUE CLERI GALLICANI PRESBYTERIS,

UNA CUM

D. M. N. S. GUILLON,

IN FACULTATE THEOLOGIÆ PARISIENSI ELOQUENTIÆ SACRÆ PROFESSORE, PRÆDICATORE REGIO, AUCTORE LIBRI CUI TITULUS GALLICE:

BIBLIOTHÈQUE CHOISIE DES PÈRES GRECS ET LATINS.

TOMUS DUODECIMUS.

PARISIIS,

APUD MÉQUIGNON-HAVARD, BIBLIOPOLAM,

VIA VULGO DICTA DES SAINTS-PÈRES.

BRUXELLIS, APUD EUMDEM.

PARISIIS, APUD A. POILLEUX, BIBLIOPOLAM,

VIA VULGO DICTA DU CIMETIÈRE-S.-ANDRÉ-DES-ARCS.

M. DCCC. XXIX.

ORIGENIS

COMMENTARIA.

SEQUUNTUR IN MATTHÆUM COMMENTARIA.

HOMILIÆ IN LUCAM.

COMMENTARIA IN EVANGELIUM JOANNIS.

ORIGENIS

COMMENTARIORUM

IN MATTHÆUM

TOMUS DECIMUS SEXTUS [1].

§ I.

De ascensu Christi in Jerusalem.

« Cum autem [2] ascensurus esset Jesus Jerosolymam, as- » sumpsit duodecim discipulos secreto in via, et ait illis [3] ; » et reliqua, usque ad id : « Et tertia die resurget [4]. » Paria his quoque Marcus conscripsit hoc modo : « Erant autem in via » ascendentes Jerosolymam, et præcedebat illos Jesus [5]; » et reliqua, usque ad id : « Et tertia die resurget. » Necnon iis consentire videtur Lucas qui scripsit : « Assumpsit au- » tem Jesus duodecim, et ait illis [6]; » et cætera, ad id usque : « Et non intelligebant quæ dicebantur. » Qui nos ad sui imitationem adhortatur Paulus, quemadmodum et ipse Christum imitatus est, quique ait : « Imitatores mei estote, sicut » et ego Christi [7], » cum Christum nosset in aperta pericula se misisse, et Jerosolymam ascendisse, posteaquam se sacerdotum Principibus, et Scribis traditum, et morte damnatum iri, cæteraque præscivit, simile aliquid fecit : Agabus enim sumpta ejus « zona, et alligans sibi pedes et manus, » dixit : Hæc dicit Spiritus sanctus, Virum cujus est zona

[1] Tom. III ed. Benedd. p. 708 et seqq. — [2] N. 1.
[3] Matth. xx, 17. — [4] Ibidem, 19. — [5] Marc. x, 32, 33 et seq. — [6] Luc. xviii, 31, 32 et seq. — [7] 1 Cor. xi, 1.

» hæc, sic alligabunt, postquam ierit Jerosolymam[1]. » Hæc postquam accepit Paulus, tanquam ad magistri sui exemplum se componens, Jerosolymam alacriter se contulit. Cum autem præ nimio adversus ipsum amore flentibus nonnullis, et quominus Jerosolymam peteret obstantibus, humanitus fuisset affectus, dixit : « Quid facitis flentes, et affligentes cor meum? ego enim non solum alligari, sed et » mori in Jerusalem paratus sum propter nomen Domini » mei Jesu[2]. » His animo perceptis, impendentibus nonnunquam ærumnosis tentationibus, prout rationi consentaneum erit, fortiter obsistamus; exemplar nobis rerum ejusmodi Sospitatorem primo et præcipue, ipsius vero deinde Apostolum proponentes. At nec ea, nec quæ superius protulimus, contraria illis esse existimes : « Si persequentur vos ex » civitate ista, fugite in aliam[3], » et reliquis; neque recessui Jesu, postquam Joannem in carcerem compactum accepit : sic enim statuimus, neque semper devitanda esse pericula, neque semper iis esse occurrendum; at prudente in Christo viro opus est, ut quonam tempore retrocedendum sit exploretur, tum et quo tempore prompto animo subeundum sit certamen absque ullo recessu, longe vero magis absque fuga. Atque hæc quidem præsentis loci significationi consona dicta sint, ad mortis periculorumque excitandum contemptum.

§ II.

De filiis Zebedæi.

« Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filiis suis[5]; » et reliqua, usque ad id : « Audientes autem decem, indignati sunt de duobus fratribus[6]. » Idem a Marco

1 Act. xxi, 11. — 2 Ibid. 13. — 3 Matth. x, 23.
4 N. 4, 5, 6. p. 712-720.
5 Matth. xx, 20. — 6 Ibid. 24.

his verbis proditum est : « Et accedunt ad eum Jacobus et » Joannes filii Zebedæi, et dicunt ei[1]; » et cætera, ad hæc usque : « Cœperunt indignari de Jacobo et Joanne. » Hic aliquid minime aspernandum, et evangelio Jesu Christi accommodum investigare operæ pretium est; quoniam rudioribus, et usquequaque simplicibus, et qui Dei ipsiusque Scripturarum profunda perscrutari nesciunt, postulationis, et Jesu ad eam responsionis simplicitatem contextus ostendit; at qui quæstiones aliquantulum discutere sciunt, iis levis esse videtur, et parvi pretii, quæ hinc exurgit sententia, et quam præsertim cum responso det Jesus, nihil ipsius ingenti animo congruum continet. Quemadmodum enim in mundi hujusce regno summum honoris locum videntur adepti qui regi in regio habitu sedenti, vel negotia aliqua ad regium munus pertinentia administranti assident; ita filiorum Zebedæi mater, prout juxta litteram intelligitur, vel, quemadmodum scripsit Marcus, Jacobus et Joannes a Servatore postulasse videntur, ut in ipsius regno constitutus unus a dextris ipsius, alter vero a sinistris sederet : et nihil certe mirum erat præ simplicitate et imperitia decrevisse mulierem hæc esse postulanda. Demus præterea duos Apostolos, utpote homines adhuc imperfectos, neque quidquam sublimius de regno Christi cogitantes, talia de iis qui Jesu assident sibi finxisse; at quoniam Jesus ipse magnum quid esse concedens, a dextris sinistrisve suis sedere, petitionis magnitudinem extollit, et dicit : « Nescitis quid petatis; *et :* » Non est meum dare, sed quibus paratum est a Patre » meo[2], » acutus Scripturæ auditor esse sibi videns aliquis, quidnam sibi velit, a dextris Jesu vel a sinistris in ipsius regno sedere, postulabit. Ac in eorum quidem gratiam qui hæc anxie nimis ac curiose a nobis disquiri putant, colligenda sunt quæ de Dei vel Christi sessione scripta extant;

[1] Marc. x, 35, 41. — [2] Matth. xx, 22, 23.

ut ex eorum ad id collectorum examine, et invicem comparatione, e prolato simpliciori exemplo sententiæ magnitudo elucescat. Quale illud est quod tertio Regum scriptum extat, dixisse Michæam : « Vidi Deum Israël sedentem super » solium suum, et omnis exercitus cœli assidens ei a dextris » et a sinistris[1] ; » et cætera : et in secundo Paralipomenon his fere consimilia dicit idem Michæas his verbis : « Audite » verbum Domini. Vidi Dominum sedentem in solio majes» tatis suæ, et omnis exercitus cœli assistebat ei a dextris et » a sinistris[2] ; » et cætera. In Isaia autem scriptum est : « Et » factum est in anno quo mortuus est rex Ozias, vidi Domi» num sedentem super solium excelsum, et elevatum[3] ; » et reliqua. Talia præterea in Daniele scripta sunt : « Aspicie» bam donec throni positi sunt, et antiquus dierum sedit[4] ; » et quæ sequuntur. His quoque affinia apud Ezechielem, sub initium prophetiæ ipsius reperire est, cum ait : « Super fir» mamentum, quod erat imminens capiti eorum (*Cherubim* » *videlicet*), quasi aspectus lapidis sapphiri, similitudo throni » super ipsum, et super similitudinem throni similitudo quasi » aspectus hominis desuper[5]. » In psalmo autem centesimo nono, hæc verba : « Dixit Dominus Domino meo, Sede a dex» tris meis[6], » sessionem Patris et alteram Servatoris a dextris ipsius sedentis declarant; et rursum in alio psalmo orans Propheta ait : « Qui sedes super Cherubim, manifestare[7] ; » et iterum : « Deus sedet super sedem sanctam suam[8]. » Quod si ab Evangeliis quoque exemplum peti vis, audi describentem Matthæum quomodo discipulis suis dixerit Jesus : « Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me, in regene» ratione cum sederit Filius hominis in sede majestatis » suæ[9], » et cætera ; et : « Amodo videbitis Filium hominis

[1] 3 Reg. xxii, 19. — [2] 2 Par. xviii, 18. — [3] Isai. vi, 1. — [4] Dan. vii, 9. — [5] Ezech. i, 26. — [7] Psalm. cix, 1. — [8] Psalm. lxxix, 2. — [9] Psalm. xlvi, 9. — [9] Matth. xix, 28.

» sedentem a dextris virtutis[1]. » Hæc quoque habet Matthæus : « Cum venerit Filius hominis in majestate sua, et » omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majesta- » tatis suæ[2], » et reliqua ; atque item : « Amodo videbitis Fi- » lium hominis sedentem a dextris virtutis. » Par illud quoque est, quod his verbis Marcus conscripsit : « Videbitis Filium » hominis sedentem a dextris virtutis, et venientem cum nu- » bibus cœli[3]. » Necnon Lucas simile quid profert hoc loco : « Ex hoc autem erit Filius hominis sedens a dextris virtutis » Dei[4]. » ....Nihil [autem] de corporali sessione per illa significatur, quam id esse definierunt, clunibus sedi alicui incumbentibus inniti ; nam quod hæc corporaliter nuncupata sint, ridiculum foret thronos esse quosdam (ex quanam materia, mihi non liquet) fabricatos existimare, sessionis Dei vel Christi capaces, eorumve qui a dextris vel sinistris Christi sedent, quibus nimirum id Pater præparavit. Certe an cœli militiam arbitrari fas sit a dextris vel sinistris Dei corporaliter stare ; vel sibi rursum fingere salutem adeptos, et laudem meritos a corporeis regis nostri Jesu Christi dextris esse ; et vituperio et reprehensione dignos, ac perituros, a corporeis similiter sinistris stare, haud satis scio.

At vide annon Christum recuperato suo imperio in regnum restitui, destructo quod in mortalibus hominum corporibus regnabat peccato, et omni in improbos imperium tenente principatu, et potestate, ac ditione, idem sit quod in majestatis suæ solio ipsum considere : omnia autem Deo dextra efficere, ita ut nihil ipsius ratione sinistrum sit, idem sit atque a dextris et a sinistris ipsius in regno Christi, qui Verbum est, sedere ; quæ a dextris sessio iis continget qui a dextris virtutis erunt, ut iis exemplo sint qui quod ad virtutis dexteram erit intuebuntur : quos in pristinum statum

[1] Matth. xxvi, 64. — [2] Idem, xxv, 31. — [3] Marc. xiv, 62. — [4] Luc. xxii, 69.

Deus restituit, postquam opem iis contulit, et ut ad Christi sublimitatem propius accederent disposuit; ut qui iis qui Christo appropinquant præcellet, sit a dextris, et velut ipsum contingat, et dextræ Verbi adhærescat; qui vero dignitate inferior erit ac meritis, prope sinistram ipsius sit..... Videndum autem annon vera filiorum Zebedæi mater, quos Boanerges, hoc est, tonitrus filios, vel tonitrum Servator appellavit, magnam de filiis suis Jacobo et Joanne existimationem animo præcipiens (et magni quippe revera erant), et præ universa natura creata primas ferre posse autumans, utpote qui ipsius grandiloquentiam fuissent assecuti, ad Dominum accedens, ut a dextris alterum, alterum a sinistris constitueret, postulabat : Servator autem usque adeo grandiloquam Jacobi et Joannis matrem redarguens, ut quæ præstantiores minime dignosceret, atque ejusmodi donum nesciret esse gratiam Dei qui supra omnia est, quique favorem suum et auxilium confert, et in tali sublimitatis gradu eos collocat quos ad id idoneos esse novit, id dixit : « Nescitis quid petatis; *et :* Sedere ad dexteram meam et » sinistram, non est meum dare, sed quibus paratum est a » Patre meo [1]. »..... Matri autem, opinor, filiorum Zebedæi, ipsisque adeo declarare volens nonnulla ipsis adhuc deesse, ut non ad mediocrem perfectionis gradum, sed ad summum, quem quidem homines assequi possunt, pervenirent, post hæc verba : Nescitis quid petatis, » id responsi adjecit : « Potestis bibere calicem quem ego bibiturus » sum [2]? » vel, ita ut scripsit, Marcus : « Potestis bibere » calicem quem ego bibo, aut baptismo quo ego baptizor » baptizari [3]? »

Atque hoc quidem loco quæsiverit aliquis, quid sit calix, quid baptisma, quasi diversa sint ab invicem, nec mediocrem virtutem requirant, eam scilicet qua pollebit qui bibiturus

[1] Matth. xx, 22, 23. — [2] Ibid. — [3] Marc. x, 38.

est vel qui baptizandus est, et qui bibiturus est non alium calicem quam quem bibiturus erat Jesus, quique baptizandus est eodem fere baptismate quo baptizandus erat Dominus. Plurimi sane ad martyrium utrumque referunt...... Ac ut martyrium his significari probetur, non eo solum loco utetur aliquis : « Pater, si possibile est, transfer a me » calicem hunc [1], » quasi ægre et non sine laboribus ac ærumnis ab eo ebibatur qui martyrii difficultates ac tormenta patitur; omnibus donec illum ebibat toleratis quæ in martyrii periclitatione sibi inferuntur, verum et illo qui in psalmo centesimo decimo quinto extat : « Quid retri- » buam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem » salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo. Vota Do- » mino reddam coram omni populo ejus. Pretiosa in con- » spectu Domini mors sanctorum ejus [2]. » Nec amplius enim quidquam Deo pro omnibus ab eo collatis in nos beneficiis reddere possumus, quam calicem salutaris prompto animo accipere, ad eumque exhauriendum nomen Domini invocare; quem dum bibit aliquis, vota sua omnia Domino reddit coram omni populo ejus. Martyrium autem esse calicem hoc ipso palam fecit quod statim post calicem subjunxit : « Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum » ejus. » Duas autem martyrium significationes comprehendit, quarum altera calix salutaris appellatur; alia autem, baptisma : et quatenus labores aliquis sustinet, calix est ab eo ebibitus qui illata sibi omnia perfert, dolores suscipit ac veluti haurit, eosque nec repellit neque rejicit, vel evomit : baptisma autem est, quatenus remissionem peccatorum adipiscitur qui mala sustinet. Si enim peccatorum remissionem pollicetur baptisma, quemadmodum accepimus de baptismate in aqua et spiritu; remissionem autem peccatorum recipit itidem, qui martyrii baptisma perfert;

[1] Marc. XIV, 36. Matth. XXVI, 39. — [2] Psal. CXV, 12, 13, 14, 15.

martyrium sane recte baptisma dici potest : peccata autem ei remitti qui martyrium patitur, inde liquet : « Om» nis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et » ego illum coram Patre meo qui in cœlis est [1]. » Coram Patre vero suo qui in cœlis est unumquemque confitetur Servator qui se fuerit confessus, etiamsi ante confessionem cujuslibet peccati reus erit ; nam si cujuslibet peccati reos non agnoscet, haud verum erit illud : « Omnis » ergo qui confitebitur me, » et cætera. Non futurum autem existimo, ut cujusvis noxæ reum coram Patre suo qui in cœlis est Sospitator confiteatur; illius siquidem confessio, cum libere et audacter aliquem coram Patre confitetur et agnoscit, ejusmodi est, quasi ea coram Patre confessione dignus sit qui agnoscitur. Ne nos autem commoveat quod apud Marcum Servator calicem bibit, et baptismate baptizatur; cum enim Joannes « venit in omnem » regionem finitimam Jordanis, prædicans baptismum pœ» nitentiæ in remissionem peccatorum [2], » ad Joannem quoque accedit Jesus, ut ab ipso baptizetur; quasi peccata nostra ab eo eluerentur, ut nos per ipsius lavacrum emundaremur : quin potius ob ipsum martyrium emundari nos apparet, quo susceptis peccatis nostris baptizabatur, ut iis nos ac item se exolveret. Idcirco « quod mortuus est, pec» cato nostro mortuus est [3], » quandoquidem non suo, sed nostro peccato mortuus est. Quod si illud rationi consentire videtur, calicem sane ebiberunt, et baptismate baptizati sunt filii Zebedæi ; quoniam Herodes Jacobum, Joannis fratrem, gladio interemit ; Romanorum autem imperator, quemadmodum perhibet traditio, Joannem veritatis Verbum testimonio suo comprobantem in Patmon insulam relegavit [4]. Quæ autem ad martyrium suum pertinent, a quo damnatus fuerit prætermittens, Joannes ipse tradit in Apo-

[1] Matth. x, 32. — [2] Luc. III, 3. — [3] Rom. VI, 10. — [4] Act. XII, 2.

calypsi, his verbis : « Ego Joannes frater vester, et parti-» ceps in tribulatione, et regno, et patientia in Jesu, fui » in insula quæ appellatur Patmos, propter verbum Dei[1]; » et cætera : et in insula quidem divinitus ipsi nuntiata videtur Apocalypsis.

Cæterum[2] hoc a Sospitatore ad Joannis et Jacobi matris, vel ipsorum Zebedæi filiorum postulationem responso dato, « Audientes, *inquit,* decem indignati sunt de duobus » fratribus[3], » ut qui cæteris anteferri postulassent..... « Je-» sus autem vocavit eos ad se, et ait : Scitis quia principes » gentium dominantur eorum[4]; » et reliqua, usque ad id : « Et dare animam suam redemptionem pro multis. » Paria his quoque a Marco scripta sunt[5]. Quemadmodum autem in multis aliis, ita et hoc loco eumdem sive sanationum, sive sermonum scriptis traditorum ordinem servasse Matthæum et Marcum observavimus ; nam quæ his subnexa sunt : « Cum autem ascensurus esset Jesus Jerosoly-» mam, assumpsit duodecim discipulos secreto[6], » usque ad id : « Et confestim dimittet eos, » hæc omnia eodem ordine servavit Marcus ab hoc loco : « Erant autem in via as-» cendentes Jerosolymam[7], » usque ad illum : « Continuo » illum rursus mittet huc. » At tu Evangelia hic invicem opponens, eaque loca simul contendens, rem ita se habere uti dicimus comperies. Simile autem ex parte est, quod scripsit Lucas his præmissis : « Facta est autem contentio » inter eos, quis eorum esset major[8]; » iis sedenim subjungit : « Dixit autem eis : Reges gentium dominantur eorum, » et qui potestatem habent super eos, benefici vocantur : » vos autem non sic ; » et cætera. Hæc itaque dicta sint, ne nos convenientia fugiat quam hoc loco Matthæus et Mar-

[1] Apoc. I, 9.
[2] N. 8. p. 721-726.
[3] Matth. xx, 24. — [4] Ibid. 25 et seq. — [5] Marc. x, 41. — [6] Matth. xx, 17 et seq. — [7] Marc. x, 32 et seq. — [8] Luc. XXII, 24, 25, 26.

cus, et partim etiam Lucas, servarunt. Jam vero ipsa eorum quæ a nobis dicta sunt sententia disquirenda est..... Tale autem illud est, quod ipse ait : Principes gentium, vel qui in eos imperium tenere videntur, subditis suis dominari non contenti, duriter ipsis imperare volentes, per vim eos subigunt ; quemadmodum et gentium optimates in vitæ hujusce dignitatibus satis non habent in subjectos potestatem habere, sed contra eos insurgentes potestate sua abutuntur. At inter vos discipulos meos hæc ita se non habento ; neque quibus aliquod traditum in eos est imperium qui mihi fidem habent, vel aliquam in Patris mei et Dei Ecclesia potestatem habere creduntur, fratribus suis impotenter imperanto, et præter jus et æquum eos regunto qui ad cultum Deo per me exhibendum confugerunt : sed si quis apud Patrem meum magnus haberi vult, et fratribus suis præstantior, omnibus ministrato quibus major esse contendit. Quod si quis primas etiam apud me tenere partes cupit, se nemini prælatum iri sciat, cui cum servire potuerit, minime tamen servierit servitutem in modestia et laudabili humilitate positam, quæque servienti prodesse, eos autem juvare et reficere possit quibus ipsa exhibetur. At Lucas reges et gentium dominos oratione sua comprehendit, eum deterrens qui inter fratres major esse voluerit, quominus regiam potestatem, vel palpi cupiditatem principibus insitam imitetur : id nos edocens, ut qui inter nos major revera est, fiat sicut junior, hoc est, sicut puellus propter simplicitatem, et propterea quod aliis nunquam se anteferat ; princeps vero (sic autem appellandum existimo qui in ecclesiis episcopus vocatur), tanquam, qui ministrantibus ministrat. Atque hæc quidem docet nos Dei Verbum : nos autem sive doctrinæ Jesu hoc loco traditæ sententiam non assequamur, sive talia Servatoris aspernemur præcepta, tales sumus ut nequissimorum inter gentes principum superbiam aliquando

superemus, et satellites haud secus ac reges tantum non conquiramus : quinetiam nos ad terrorem componentes, difficilesque ad nos aditus pauperibus præsertim facientes, tales iis accedentibus et aliquid rogantibus nos exhibemus, quales tyranni principumve crudelissimi supplicibus sese non præbent. Ac in plerisque legitime constitutis, sed majorum præsertim civitatum ecclesiis principes populi Dei videre licet, haud ullam apud se æqualitatem servari, ne præstantissimis quidem nonnunquam Jesu discipulis permittentes. Certe Apostolus heris erga famulos præceptum tradit dicens : « Domini, quod justum est et æquum servis » præstate, scientes quod et vos dominum habetis in cœlo[1]; » quinetiam adversus servos minas remittere heros docet. Nonnullos autem asperis utentes comminationibus videre licet, aliquando peccati obtentu, nonnunquam etiam præ pauperum contemptu, contra Apostoli sermonem qui sic habet : « Dextras dederunt mihi et Barnabæ societatis : ut » nos in gentes, ipsi autem in circumcisionem : tantum ut » pauperum memores essemus[2] : » et rursum nullam erga subditos æquabilitatem in animum inducentes; neque modestiam et æquabilitatem inter Christianos potissimum versari debere cogitantes, sed inter eos præsertim qui dignitatem aliquam in Ecclesia gerunt : scriptum est enim : « Quanto » magnus es, humilia te in omnibus, et coram Deo invenies » gratiam[3]. » Illud quoque scire nos oportet, quod in Proverbiis scriptum est his verbis : « Antequam conteratur, » exaltatur cor hominis, et antequam glorificetur, humilia» tur[4]; » ac devitandum item est ne in eam delabamur sententiam, eumdemque proferamus sermonem, ac qui excusatione se tueri volens erga Jesum a quo præceptum illud acceperat : « Diliges proximum tuum sicut teipsum[5], » Ser-

[1] Coloss. IV, 1. — [2] Galat. II, 9, 10. — [3] Eccles. III, 20. — [4] Prov. XVIII, 12. — [5] Luc. X, 27.

vatori respondere non erubuit : « Et quis est meus proxi-
» mus[1] ? » Id etiam a Paulo didicisse par erat : « Cum posse-
» mus vobis oneri esse, ut Christi Apostoli : sed facti sumus
» lenes in medio vestrum, tanquam si nutrix foveat filios
» suos[2]. » Hoc etiam imitari oportebat : « Aut numquid pec-
» catum feci, meipsum humilians ut vos exaltemini[3] ? »
Gentium ergo principes suo in eas imperio violenter utan-
tur ; Ecclesiæ autem principes ipsi serviant : et gentium pri-
mores potestatem in eos iniquam teneant ; fidelium autem,
dicto huic obtemperent : « Discite a me quia mitis sum et
» humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris[4]. »
Assentationibus præterea non admittendis erudiamur, ne-
que propterea quod de aliquibus bene meriti esse visi simus,
benefici appellari gaudeamus. Hæc autem eo non dicimus,
quo nos ipsi inconsulto « humiliemus sub potenti manu
» Dei[5], » et juxta ipsius sermonem, sub ecclesiastico ministe-
rio, quandoque autem juxta Apostoli effatum : « Peccantes
» coram omnibus arguendi sunt, ut et cæteri timorem ha-
» beant[6] : » nonnunquam etiam potestate sua uti licet aliquos,
« tradendo Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit
» in die Domini[7] ; » at id raro faciendum est, sed « corripere
» *oportet* inquietos, consolari pusillanimes, suscipere infir-
» mos, et patientes esse erga omnes, et nemini malum pro
» malo reddere[8] : » neque vero qui peccat inimici loco ha-
bendus est, sed audiendus Apostolus qui ait : « Nolite quasi
» inimicum existimare, sed corripite ut fratrem[9]. » Hæc au-
tem omnia propterea a me dicta sunt, quod juxta Dei ser-
monem palam facere vellem principi Ecclesiæ imitandum
non esse principem gentium, nec eos æmulandos qui impe-
rium potestatemve suam impotenter exercent, quique re-

[1] Luc. x, 29. — [2] 1 Thess. ii, 7. — [3] 2 Cor. xi, 7. — [4] Matth. xi, 29. —
[5] 1 Pet. v, 6. — [6] 1 Tim. v, 20. — [7] 1 Cor. v, 5. — [8] 1 Thess. v, 14, 15. —
[9] 2 Thess. iii, 15.

gia dignitate præditi sunt : sed Christus potius in ejusmodi rebus pro virili imitandus est, ad quem facillimi sunt aditus, qui cum mulieribus conversatur, et pueris manus imponit : Jesum vero in pelvim aquam profudisse, et discipulorum pedes tersisse, quamvis majorem sensum contineat, nihilominus tamen de iis sic ipse loquens in sacro contextu audiendus : « Vos vocatis me, Magister et Domine; et bene » dicitis, sum etenim[1], » et cætera ; ad laudabilem enim modestiam suam imitandam per illa discipulos suos instruit. Fortasse etiam propterea quod cum Dominus esset, generi nostro pro hominum salute serviit, ideo formam servi accepisse, et ad mortem usque obedientem factum seipsum depressisse dicitur[2] : et si eum idcirco Deus supra modum extulit, quisquis extolli voluerit, similia iis agat quæ ad summam altitudinem consequendam acta sunt. Nam etiamsi Filio hominis exhibitum sit ministerium, quando « Angeli » accesserunt et ministrabant ei[3], » et rursum ministravit ei Martha ; non tamen ad id venit ut ipsi ministraretur, sed inter hominum genus conversatus est, ut ministraret, et eo usque saluti nostræ inserviens procederet, ut animam suam pro multis qui in se crediderant, redemptionis pretium daret[4] : et si, ut hoc ponamus, omnes in eum credidissent, animam suam utique redemptionis pretium pro omnibus dedisset.....

§ III.

De duobus cæcis.

« Et egredientibus[6] illis ab Jericho, secuta est eum turba » multa : et ecce duo cæci sedentes secus viam[7], » et reliqua. Vera esto rerum quæ hoc loco narrantur historia, et Jeri

[1] Joan. XIII, 13. — [2] Philip. II, 8. — [3] Matth. IV, 11. — [4] Joan. XII, 2. — [5] Matth. XX, 28.

[6] N. 9, 10, 11, 12, 13, 14. p. 727-738.

[7] Matth. XX, 29, 30.

chunte cum discipulis exeuntem Jesum turba ingens secuta sit; et prope viam qua Jerichunte exitur sedentes cæci duo, cum illac transire Jesum inaudissent, clamore sublato dixerint : « Domine, miserere nostri, fili David [1], » atque in iis quæ scripta sunt vociferandis consenserint; et propter cæcos misericordiam implorantes restitans Jesus eos vocaverit, ne transiens et prætergrediens ipsos appellaret : sed et postquam restiterit, eosque interrogaverit dicens : « Quid » vultis ut vobis faciam [2] ? » tum vero postulatum suum jam clarius exponentes cæci, aperiri a Jesu oculos suos velle se dicant : at homines amans, ac miseratione prosequens, erga cæcos misericordia affectus Servator, et affectus, opinor, quod misericordiam (ut ita dicam) Jesu implorare maluerint, hoc est, clamantes dixerint : « Miserere nostri, Domine, » fili David [3], » et cum fide aperiri oculos suos postulaverint, contactis ipsorum oculis, virtute per contactum oculis immissa sanandi vi pollente, cæcis visum restituerit, ipsi vero accepti beneficii gratiam habentes Jesum secuti sint : atque id aliquis persuasum habens, necnon et illud tenens : « Si » non credideritis, non intelligetis [4], » propterea quod crediderit, pro fidei suæ rata parte intelligentiam acceperit, eaque accepta quæ ad hunc locum pertinent edisserat, post constitutum fidei his habitæ fundamentum ea exponens, juxta illud : « Credidi, propter quod locutus sum [5] : » ac qui erit ejusmodi, non Jesu solum iisque quæ hoc loco scripta extant consensum suum præbeat, verum et eorum quoque sententiam calleat; nam qui in fidei veritate permanet, et per Verbi opera Verbo adhæret, juxta pollicitationem Jesu, veritatem cognoscit, et ab ipsa liberatur. Nos vero, quandoquidem eorum quæ dicta sunt sensum non assequimur, cum fide caremus; quotiescumque autem intelligimus, a

[1] Matth. xx, 30. — [2] Ibid. 32. — [3] Ibidem, 29. — [4] Isai. vi, 9. — [5] Psal cxv, 1. — [6] Joan. viii, 32.

fide nostra habemus ut intelligamus; age, eum prius apprecati qui ab Evangelii tenebris et obscuritate nos liberat, quæ in hunc locum nobis succurrent pro virili parte exponamus; ac illud primum quid sit, Jerichunte egredientibus cum Servatore discipulis Jesu, magnam eum turbam fuisse subsecutam, perpendamus....... Vide num quærere possis annon memorata hic Jericho symbolum sit terrestris illius loci qui in Scriptura mundus dici solet....... At propter multitudinem quæ Jerichunte est, magna siquidem Jerichunte turba est, postquam ad eam cum discipulis pervenit Jesus noster, per hunc in Jericho adventum operam dans ut viam iis præiret qui se subsequi vellent, proficiscatur: nam qui Jerichunte sunt, a cogitationibus mundanis discedere nequeunt, nisi Jerichunte exeuntem non ipsum solum Jesum viderint, sed et ipsius discipulos: at visa ea re, subsequitur illum turba ingens. Et quisquis attente eos omnes perspexerit qui juxta divinum verbum vitam agere, necnon et mundum ac res terrenas despicatui habere volunt, Jesum ipsiusque discipulos sequi, eorumque Jerichunte exeuntium vestigia legere, is in loci hujus sensum penetraverit. Jesum ergo turba ingens sequitur, ut post eum ambulantes, eoque utentes itineris duce, Jerosolymam conscendant.

Subjungitur certe paulo post: « Cum appropinquassent » Jerosolymis, et venissent Bethphage ad montem Oliveti, » tunc Jesum misisse duos discipulos[1], » et reliqua. Tum deinde, cæcos mox sanandos quasi indicante Scriptura, proditum extat: « Et ecce duo cæci sedentes secus viam, audi» verunt quia Jesus transiret, et clamaverunt dicentes: Do» mine, miserere nostri, fili David[2]. » Hic vero animadverte an in hisce verbis: « Et ecce duo cæci, » monstrationem aliquam vox *ecce* contineat. Quod si duos ergo cæcos indi-

[1] Matth. xxi, 1. — [2] Idem, xx, 30.

cantem Scripturam assequi, in eosque oculos intendere possimus, dicemus Israëlem et Judæos ante Christi adventum cæcos fuisse; verum *sedentes secus viam,* quod in Lege ac Prophetis commorarentur; cæcos quidem, quod ante Christi in ipsorum animas adventum veros et legitimos in Lege ac Prophetis comprehensos sensus minime intuerentur : id autem vociferatos : « Miserere nostri, fili David, » quod Scripturarum sensum nequaquam callere sibi conscirent, visum autem recuperare velle, et contenta in Scripturis dogmata cognoscere. At velut cæci, necdum magni quippiam de Jesu sentientes, sed quod in eo carneum erat id unum cogitantes, filium David qui ex semine David secundum carnem prognatus erat, appellant, quoniam nihil amplius mente capiebant; omnisque eorum clamor, quem præ pietate tollere visi sunt, nihil aliud de Servatore proferre sciebat, quam ipsum esse filium David. Quod si duos cæcos Israëlem esse et Judam pronuntio antequam ad eorum animam Jesus accessisset, ad libros Regum mentem attolle, et populum Israëlis et Judæ Roboami temporibus divisum cogita; tum deinde ad Prophetas attende, qui Israëli aliquando, aliquando Judæ, utrique vero simul aliquando vaticinantur. Quod si Prophetas evolvere tibi libuerit, quo pacto utrique seorsum vaticinati sint compertum habebis; Israëli autem simul et Judæ, quando futurum pollicetur Deus ut per Jesum « consummet super domum Juda » testamentum novum : non secundum testamentum quod » fecit *Deus* patribus [1] » de terra Ægypti exeuntibus. Et cum cæci essent, Israël, de quo multa a nobis dicta sunt cum ab Israële carnali eum distingueremus, atque itidem Juda, postquam « audierunt quia Jesus transiret, clamaverunt [2] : » postquam audierunt, inquit, ab iis, opinor, qui annuntiabant ea quæ ad Jesu adventum pertinent, ipsumque Jeri-

[1] Jerem. XXXI, 31, 32. Hebr. VIII, 8, 9. — [2] Matth. XX, 30.

chunte quæ ipsa transitura est, transire, in hanc quidem peregre advenientem, at inde exiturum, verentur ne se misericordiam nequaquam consecutos prætergrediatur; idcirco eum inclamaverunt dicentes : « Miserere nostri, Do-» mine, fili David. » Beneficus autem Servator non præterit, sed restitat, ut stante eo beneficium neutiquam dilabatur ac prætereat, sed tanquam de fonte certo ac perpetuo in eos derivetur qui beneficio afficiuntur.

Stans ergo Jesus, eorumque clamore ac postulatione commotus, ipsos ad se accersit, beneficium suum jam inde exorsus cum eos accersivit, non eos autem frustra vocavit, nec ita ut in iis accitis nihil effectum dederit. Atque utinam cum ipsum inclamaverimus dicentes : « Miserere nostri, Do-» mine, » ipse nos a *Fili David* auspicantes, et stans quidem, quasi ad petitionem nostram attendens nos advocet. Ait ergo illis : « Quid vultis ut faciam vobis[1] ? » quod ejusmodi esse arbitror : Quid velitis significate, ostendite; ut quicumque Jerichunté exeunt, et me sequuntur, rem gestam audiant, et spectent. At responderunt illi : « Domine, » ut aperiantur oculi nostri[2] : » qua quidem responsione adversus eum utuntur, sibique oculos aperiri velle significant, qui generosi sunt, utpote ab Israële et Juda orti; at a nequitia excæcati, ejusque sibi conscii sunt, et ea audierunt quæ de Sospitatore dicuntur : atque illud potissimum dicunt qui Scripturam sacram evolventes se ad ipsius sensum cæcutire non ignorant; aiunt siquidem illi : « Miserere no-» bis, *et, Volumus* ut aperiantur oculi nostri. » Utinam vero nos secus ipsam Scripturarum viam sedentes, in quibus cæcutimus et videre non possumus cognoscentes, postquam Jesum transire acceperimus, eum precatione nostra sistere queamus, et dicamus velle nos « ut aperiantur oculi nostri ! » quod si dixerimus ex affectu ea videre concupiscente quæ

[1] Matth. xx, 32. — [2] Ibid. 33.

videntur Jesu beneficio postquam animæ oculos tetigit, miseratione commovebitur Sospitator noster, et oculos ante adventum suum minime videntes continget, utpote qui Virtus sit, et Verbum, et Sapientia, et quæcumque de ipso conscripta sunt; et postquam eos tetigerit, diffugient tenebræ ac ignorantia, et protinus non solum videbimus, sed ipsum etiam assectabimur, cum ipse propter se visum nobis restituerit, ut eum duntaxat sequamur qui ut videremus effecit, neque aliud quidquam præterea agamus : ut eum semper sequentes, ad Deum ipso prætereunte deducamur; atque oculis nostris ipsius beneficio videntibus, una cum iis qui propter munditiem cordis beati prædicantur, Deum aspiciamus. Sic ergo habemus, qui Jerichunte exeunt, et Jesum sequuntur, et magno numero sunt, neque Israëlem neque Judam esse; cæcos autem duos qui Jesum transire audierunt, eumque filium esse David cognoverunt, cæcitatis suæ conscios, oculosque suos aperiri rogantes, Israëlem esse et Judam, de quibus a nobis actum est, quorum oculi clausi et obducti per Jesu contactum vident. Atque hæc quidem juxta Matthæum.

Verum quoniam Marcus et Lucas eamdem quidem ex aliquorum sententia historiam narrant, at ex aliorum opinione consimilem alteram, quænam ab iis proponantur perpendere operæ pretium est. Ac primo quidem loco ea discutienda veniunt quæ apud Marcum continentur, a quo res ad hunc locum pertinentes his verbis conscriptæ sunt : « Et » venit Jericho : et inde eo proficiscente, et discipulis ejus, » et plurima multitudine, ecce filius Timæi Bartimæus cæ» cus[1]; » et reliqua, usque ad id : « Et sequebatur eum in » via. » Qui ergo nudam sequitur historiam, nec invicem discrepare Evangelistas fatetur, non eodem tempore contigisse dicet quæ apud Matthæum quæque apud Marcum tra-

[1] Marc. x, 46 et seq.

duntur; sed in aliqua in Jerichuntem peregrinatione visum cæcos duos recepisse, in altera autem solum hunc Timæi filium Bartimæum, et in alia quæ apud Lucam habentur accidisse. Nam si operam suam conferente Spiritu sancto accurate conscripta esse Evangelia credimus, et in iis commemorandis rebus lapsi non sunt eorum scriptores, quandoquidem verum esse non potest in una eademque peregrinatione duos cæcos vel unum fuisse consanatos, aliam quidem a Matthæo peregrinationem descriptam esse liquet, alteram autem a Marco, et aliam rursum a Luca, quemadmodum poterit confidenter affirmare qui differentiam unius a reliquis observaverit. Nec mirum sane si eorum qui Jerichunte fuerunt, priore quis annotata sanatione, ex verbis, et ex simili precatione, in eodem quoque sanatos eos fuisse loco contendat. Sic autem dixerit quispiam, alium quoque eum esse cæcum qui juxta Lucam sanatus est[1]. At qui profundiorem horum interpretationem rimabitur, unam eamdemque rem diversis verbis declarari pronuntiabit; duo siquidem cæci sunt Israël et Judas, ita ut a nobis proditum est; unus est autem ex universis illis conflatus populus, quando unicus sanitati restitutus cæcus exhibetur. Ingenti ergo e gentibus multitudine, una cum Jesu ipsiusque discipulis, e rebus mundanis exeunte, Israëliticæ quædam secus viam sedentes reliquiæ, cogitationum inopes, et animæ necessaria mendicantes, cum Jesum Nazarenum esse audissent, magna voce clamantes, et Servatoris, tanquam filii David, misericordiam implorantes accedunt: et postquam Judæorum in Jesum credentium fidem de Servatore perspexeris, qui nonnunquam eum e Maria et Josepho natum, aliquando e Maria sola et Spiritu sancto, at neutiquam cum theologica ipsius cognitione existimabant, facile intelliges quomodo id dicat cæcus: « Fili David, miserere mei[2], » quem plurimi

[1] Luc. XVIII, 35 et seq. — [2] Matth. XX, 30.

quidem increpant : multi enim Jerichunte exeunt gentiles, Judæos fidem amplecti visos ob inopiam incessentes: quæ si ad animam natalibus nobilem, rerum ejusmodi egenam, et ad mendicitatem usque redactam retuleris, non multum a ratione aberraveris. At quoniam Marco visum est cæci hujus patris nomen (Timæus autem illud erat) scriptis tradere, necnon et ipsius cæci, qui Bartimæus vocabatur, id quærimus, an non sublimius aliquid hoc loco Marcus intellexerit : et fortasse quidem nomen ab historia depromptum necessario eum addidisse, et tanquam rem utilem ascripsisse dixerit aliquis. Quod nisi ad eorum usque disputationem descendentes minuta consectari videamur, de Timæo qui τῆς τιμῆς, hoc est honoris et gloriæ cognominis est, deque filio ipsius Bartimæo, quod Timæi filium sonat, quæstionem habebimus. At vide an propter patriarchæ Jacob et Israël dignitatem ac honorem, Timæus ipse tropice est : qui vero nobilitatem ab ipso duxerunt, ii Bartimæo cæco, et secus viam itidem sedente, ac stipem rogante, propter res superius a nobis dictas repræsentantur. Deinde vero quoniam dicentem eum : « Fili David, miserere mei[1], » increpabant multi ut taceret, quæro num plures illos increpantes eum qui Ebionæus et fidei in Jesum inops est, ut taceat, gentiles esse dicere queas, qui, si paucos excipias, natum illum esse ex virgine persuasum habuerunt; eumque ut taceat increpant, qui eum e mulieris ac viri genus suum a Davide ducentis semine natum esse opinantur. Verum multis licet increpantibus multo magis vociferatus est, in Jesum quidem, at fide nimis humana credens; et vociferans ait : « Fili » David, miserere mei. » At homines amans Servator restitans non jam eum amplius juxta Matthæum ipse accersit, at accersi jussit. Quibus autem id mandatum fuit, ei dixerunt : « Bono animo es : surge[2]; » sedenti enim ei, et decumbenti

[1] Marc. x, 48. — [2] Ibid. 49, 50.

dicunt : *Surge*, et subnectunt : *Vocat te*. Subjicit deinde Marcus eum « projecto vestimento exilientem venisse ad » Jesum. » An is porro nihil animo versans scripsit abjecto illum vestimento exilientem ad Jesum accessisse, et hæc frustra in Evangelium fuisse intrusa pronuntiare audebimus? Equidem ne iota quidem unum vel unum apicem in divinis præceptis inanem esse existimo; at veram eorum interpretationem assequi, propter rerum obscuritatem, spissum esse opinor ac operosum negotium. Vide ergo annon quasi cæci et mendici operimenta, quibus indutus erat Bartimæus, significantur; quæ quidem projecit cæcus, cum hæc audisset : « Bono animo es ; vocat te, surge, » et abjectis mendicitatis tegminibus et indumentis exiliit, et surrexit, ut ad Jesum accederet; et cum responsionem precationi suæ datam fuisset consecutus, hanc scilicet : « Quid vis faciam [1] ? » majora quidem iis : « Fili David, miserere mei [2], » prolocutus est; majora enim eo, *Fili David*, animo commentus est qui ait : *Rabboni* [3], et gratiæ ac beneficii formam proposuit dicens : « Ut visum recipiam [4]. » Nec vero propter illud : « Fili David, miserere mei [5], » beneficium confert Sospitator, neque cum mendicitatis pallio indutus erat, neque cum secus viam stipem rogans sedebat; sed propter illud : « Rab» boni, ut videam, » dixit ei : « Vade, fides tua te salvum fe» cit [6]. » Et ait quidem ei Servator : *Vade*; at ille eo mandato melius quid egit, non enim abiit, sed Jesum in itinere secutus est, statim atque visum recepit.

Quin et illud ita ut narratur a Luca consideremus : sic illud se habet : « Factum est autem cum appropinquaret » Jericho, cæcus quidam sedebat secus viam mendicans [7], » et cætera usque ad id : « Et omnis plebs ut vidit, dedit lau» dem Deo. » Ac ea quidem quæ cum aliis ei communia

[1] Marc. x, 51. — [2] Ibid. 48. — [3] Ibid. 51. — [4] Ibid. — [5] Ibid. 48. — [6] Ibid. 51, 52. — [7] Luc. xviii, 35 et seq.

sunt, quoniam prout nobis visum fuit explicavimus, iterum non repetemus; quæ autem ad rem pertinent, et illius propria sunt, pro virili exponemus. Id primum observa scripsisse Matthæum et Marcum, cæci, cæcorumve historiam contigisse, cum discipulis comitatus Jerichunte Jesus exiret; Lucas autem ait : « Factum est autem cum appropin» quaret Jericho. » Juxta Lucam ergo Jerichuntem ingressurus, postquam ad eam propius accessit, cæci sanationem administravit. Et juxta mysticum sane sensum dixerit aliquis prius esse quod ait Lucas, secundum quod Marcus, tertium quod Matthæus : primum enim ad Jerichuntem accedendum est, et eam postmodum ingrediendum, ac ea demum exeundum. Id itaque dixit Lucas : « Factum est cum » appropinquaret Jericho; » Marcus autem : « Et venit Jeri» cho, et proficiscente eo inde[1]; » Matthæus vero neque appropinquare scripsit Jericho, neque venire Jericho, sed solum « egredientibus illis ab Jericho, secutam esse turbam » multam[2]. » Quod ergo a Luca conscriptum est, cum Jerichuntem accederet fecisse potest; quod autem a Marco, cum venisset Jerichuntem; quod vero a Matthæo, cum ea excessisset. Vides autem cæcum de quo agit Lucas, « cum » audiret turbam prætereuntem, *non autem Jesum*, inter» rogasse quid hoc esset[3]; » at is de quo Marcus, « cum au» disset quia Jesus Nazarenus est, cœpisse clamare[4]; » hos vero « duos cæcos sedentes, » juxta Matthæum, « secus viam, » cum audissent quia Jesus transiret, clamavisse[5] : » nec Jesum cæcis de quibus Matthæus Nazarenum esse, esse vero aliis; quorum is de quo Marcus, Jesum esse Nazarenum audit; at ille de quo Lucas postquam a turba prætereunte percontatus est quid hoc esset, ex eorum renuntiatione transire Jesum Nazarenum didicit. Post illa deinde

[1] Marc. x, 46. — [2] Matth. xx, 29. — [3] Luc. xviii, 36. — [4] Marc. x, 47. — [5] Matth. xx, 30.

observa vociferantem cæcum ac dicentem : « Fili David, mi-» serere mei, » a præeuntibus increpitum fuisse ut taceret; ac si dixisset, Qui primi crediderant increpabant dicentem : « *Fili David,* ut taceret, nec deteriore eum nomine compellaret, sed verbi gratia diceret : Fili Dei, miserere mei; ipsum vero multo magis clamasse : « Fili David, miserere » mei. » Postmodum, inquit, « stans Jesus jussit illum ad-» duci ad se[1]. » Ac vero vide annon inferior sit iste cæcus, quemadmodum annotavimus; nec eum quippe vocavit Jesus, neque porro vocari jussit; sed quasi horum minime capacem, illum ad se propriis viribus venire non valentem jussit adduci. Tum vero, inquit, « Cum appropinquasset in-» terrogavit illum, dicens : Quid tibi vis faciam[2]? » nec ante ipsum interrogavit, quam ad se prope accesserit qui interrogatus est; et quia accessit, propterea cum fuit interrogatus, dixit : « Domine, ut videam. » Deinde, inquit, « respon-» dens Jesus dixit illi : Respice, fides tua te salvum fecit[3]. » At amplius quidpiam habent Matthæi cæci, de quibus scriptum est misertum Jesum tetigisse oculos eorum : non illius autem oculos tetigit de quo Marcus, neque hujus de quo Lucas. Rursum prærogativam aliquam habet is de quo Lucas, quoniam postquam visum derepente recepit, non ipsum tantummodo secutus est, sed aliquid etiam præ cæteris habuit : « Sequebatur *enim* illum, *inquit,* magnificans Deum[4] : » atque ita desiit ille dicens, sequente eo et Deum magnificante, videntem omnem turbam dedisse laudem Deo. Hæc nos quidem impræsentia super hoc loco si mente consequi potuimus; at cui voluerit Deus, ditiorem sapientiæ sermonem, vel clariorem in luce scientiæ doctrinam largiatur, ut cum iis quæ ab hujusmodi donis proficiscuntur hæcce comparata, talia esse reperiantur qualis est ad solem lucerna.

[1] Luc. XVIII, 39, 40. — [2] Ibid. 40, 41. — [3] Ibid. 42. — [4] Ibid. 43.

§ IV.

De asina et pullo.

« Et cum appropinquasset Jerosolymis et venisset Bethsphage ad montem Oliveti[1], » et cætera, usque ad id : Super asinam et pullum filium subjugalis[2]. » Marcus autem ita hoc loco scripsit : « Et cum appropinquarent Jerosolymæ, et Bethaniæ ad montem Olivarum[3], » et reliqua, ad hæc usque : « Et continuo illum dimittet. » Hæc quoque Lucas iis verbis exposuit : « Præcedebat ascendens Jerosogmam[4], » et reliqua, usque ad id : « Sic dicetis quia Dominus eo opus habet. » Super talibus Evangelii locis ad scriptorum sententiam ac consilium mentem advertere operæ pretium est, quorsum post prodigia, et rerum a Sospitatore gestarum portenta, ea etiam conscripserint, quæ nihil ejusmodi exhibent. Esto enim de visione cæcis restituta, paralyticorum sanatione, mortuorum resurrectione, et leprosorum purgatione commentati sint Evangelistæ, ut scriptorum suorum lectores in Jesu ædificentur : quid autem proposito hocce loco significatum volunt, quo postquam Jerosolymis appropinquavit Jesus cum discipulis, et venit Bethphage prope montem Olivarum, misisse narratur duos discipulos, dato iis mandato ut solutam cum pullo asinam adducerent ad se, qui longius iter pedes nonnunquam conficere, suisque pedibus peregrinationem absolvere non renuit; ut cum Jerosolyma veniens per Samariam transiit, ad puteumque pervenit, et fatigatus ex itinere prope illum consedit[5]? Quid sibi vult et ipse Jesus cum alligatam asinam cum pullo solvi jubet, et ei qui hac de re quidpiam dixerit, Domino iis opus esse responderi mandat,

[1] Matth. xxi, 1 et seq. — [2] Ibid. 5. — [3] Marc. xi, 1 et seq. — [4] Luc. xix, 1 et seq. — [5] Joan. iv, 6.

ipsosque confestim dimissurum? Tantus enim ille Dominus, cui asina et pullo jam olim alligatis opus est, magnificentia sua dignum aliquid nobis ostendat. Quæstionis etiam difficultatem auget Zacharias propheta, Barachiæ filius, qui prophetiam animadversione dignam iis de rebus edidit, in qua his ipsis verbis talia conscripta sunt: « Gaude vehe-» menter filia Sion, prædica filia Jerusalem; ecce Rex tuus » veniet tibi justus, et servans; ipse mansuetus, et ascen-» dens super subjugalem et pullum juvenem[1]. » Quod si ab ipso Propheta discere vis quomodo juxta hæc: « Gaude » vehementer, » ob res sibi prædictas gaudere debeat filia Sion, audi illud: « Et disperdet quadrigas ex Ephraim, et » equum de Jerusalem, et dissipabitur arcus belli, et mul-» titudo, et pax ex gentibus, et dominabitur aquis usque ad » mare, et fluminibus qua per terræ ostia exeunt. Et tu in » sanguine testamenti emisisti vinctos tuos de lacu qui non » habet aquam. Sedebitis in minutione vincti congregatio-» nis, et pro una die incolatus tui duplicia reddam tibi[2]: » ac ne nostra longius excurrat oratio, hoc vaticinium cum Evangelica historia contendere volenti, quæcumque hoc loco continentur disquirenda relinquamus.......

At quæsiverit[3] aliquis quomodo filiæ Sion vehementer gaudendum, et filiæ Jerusalem prædicandum cum ratione edicit Propheta, propter ascendentem super subjugem et pullum juvenem, cum paulo post fleverit videns Jerusalem quæ occidit prophetas, et cætera[4]..... Vide enim annon hæc Servatoris symbola sint, per discipulos jumenta sua vinculis exolventis; eos videlicet qui tunc de populo hoc, quique e gentibus fidem professi sunt: peccatis enim astricta erat et alligata antiqua synagoga; alligatus quoque erat una cum

[1] Zach. IX, 9. — [2] Id. X, 11, 12.
[3] N. 15. p. 758.
[4] Luc. XIII, 34.

ea pullus, populus nimirum e gentibus novissime conflatus, et utrumque qua ad supernam Jerosolymam ascensus patet cum accederet Sospitator, a discipulis præcepta tradentibus solvi jussit, dato iis per hæc verba Spiritu sancto : « Accipite Spiritum sanctum : quorum remiseritis peccata, » remittuntur eis, et quorum retinueritis retenta sunt[1]. » Et perpetuo quidem discipuli, quos « idoneos fecit minis» tros novi testamenti, non litteræ, sed spiritus[2], » alligatam asinam et pullum solventes ad Jesum adducant, qui iis vult tanquam vehiculis uti qui a veris et genuinis suis discipulis antiquis suis vinculis exoluti sunt. Et sane Dei Filium decet, humanus quippe est, alligata asina, et alligato cum ea pullo eo pacto indigere; his autem opus illi est, ut iis insidens, a labore potius reficiat ac recreet quibus insidet, quam ut ipse conquiescat.

.... Propter ejusmodi mysterium[3], quæque cum eo narrantur, vehementer lætari, et gaudium suum, quod fructus Spiritus est[4], augere decebat Sion Dei filiam, ipsiusque filiam Jerosolymam prædicare; veniebat quippe ei Rex justus, et sospitans, sed servata æquitate, et cum justitia sospitans, et ad salutem præparans, qui eam erant adepturi. Veniebat autem ipse Sionem et Jerosolymam « mansuetus, » et ascendens super subjugalem et pullum juvenem[5], » uti supra prodidimus; visitans Israël disperdendo quadrigas ex Ephraim, quæ Pharaonis quadrigis consimiles sunt, quando Pharaonis currus et ipsius copias in mare disjecit[6]; veniebat item disperdens equum bellicosum animal de Jerusalem, ut pacem Israëli pareret, convertens oves ipsius quæ perierant; necnon et ut pacem Jerosolymæ quæreret, liberos ipsius reducens qui ejecti fuerant[7]. Quomodo au-

[1] Joan. xx, 22, 23. — [2] 2 Cor. III, 6.
[3] N. 16. p. 741.
[4] Gal. v, 22. — [5] Matth. xxi, 5. — [6] Exod. xv, 5. — [7] Matth. x, 6.

tem res ingenti digna gaudio non erat, Regem justum et sospitantem et mansuetum Jerosolymam ita advenire? cum dissipandus erat omnis arcus belli, ne amplius « peccatores » intenderent arcus, et pararent sagittas suas in pharetra, » ut sagittarent in obscuro rectos corde[1]. » Tunc autem et multitudo et pax ex credentibus et salutem consequentibus gentibus futura erat, dominante aquis Servatore ad mare usque, et fluminibus quoque maxima terræ spatia peragrantibus et irrigantibus, ad ostia usque terræ quibus effluunt.....

Nunc autem[2] de Bethphage secundum Matthæum, Bethania secundum Marcum, Bethphage et Bethania secundum Lucam agamus. Hæc autem supra montem fiebant, qui Olivarum dicitur. Bethphage porro, *domum maxillarum* interpretandum esse dicimus, quæ quidem sacerdotum villa erat; Bethaniam autem, *domum obedientiæ*. Ducuntur ergo in obedientiæ domum, quæ vinculis solvuntur, vel quod solvitur, ut ea illic Jesus conscendat; necnon et in maxillarum domum : de qua, sumpta e libro Judicum occasione, in quo fons maxillæ dictus commemoratur, de quo potavit sitiens Samson[3], vel fortasse quod maxillam unam cædenti alteram præbere oporteat[4], dicere possumus Bethphage symbolum esse patientiæ eorum qui salutem consequuntur; unde iis insidebat Jesus, quæ a discipulis juxta mandatum suum soluta erant. Mons autem Olivarum est, quæ cum fertiles sint et fructum ferant, dicunt : « Ego autem sicut oliva fructifera in domo Dei[5]; » qui autem fidei rudimentis initiantur, sunt « sicut novellæ » olivarum in circuitu mensæ[6] » Christi, utpote liberi ejus et filii. Quod si ad duos quoque discipulos animus adver-

[1] Psal. x, 13.
[2] N. 17. p. 743.
[3] Jud. xv, 19. — [4] Matth. v, 39. — [5] Psal. li, 10. — [6] Psal. cxxvii, 3.

ea pullus, populus nimirum e gentibus novissime conflatus, et utrumque qua ad supernam Jerosolymam ascensus patet cum accederet Sospitator, a discipulis præcepta tradentibus solvi jussit, dato iis per hæc verba Spiritu sancto : « Accipite Spiritum sanctum : quorum remiseritis peccata, » remittuntur eis, et quorum retinueritis retenta sunt[1]. » Et perpetuo quidem discipuli, quos « idoneos fecit minis- » tros novi testamenti, non litteræ, sed spiritus[2], » alligatam asinam et pullum solventes ad Jesum adducunt, qui iis vult tanquam vehiculis uti qui a veris et genuinis suis discipulis antiquis suis vinculis exoluti sunt. Et sane Dei Filium decet, humanus quippe est, alligata asina, et alligato cum ea pullo eo pacto indigere ; his autem opus illi est, ut iis insidens, a labore potius reficiat ac recreet quibus insidet, quam ut ipse conquiescat.

.... Propter ejusmodi mysterium[3], quæque cum eo narrantur, vehementer lætari, et gaudium suum, quod fructus Spiritus est[4], augere decebat Sion Dei filiam, ipsiusque filiam Jerosolymam prædicare ; veniebat quippe ei Rex justus, et sospitans, sed servata æquitate, et cum justitia sospitans, et ad salutem præparans, qui eam erant adepturi. Veniebat autem ipse Sionem et Jerosolymam « mansuetus, » et ascendens super subjugalem et pullum juvenem[5], » uti supra prodidimus; visitans Israël disperdendo quadrigas ex Ephraim, quæ Pharaonis quadrigis consimiles sunt, quando Pharaonis currus et ipsius copias in mare disjecit[6]; veniebat item disperdens equum bellicosum animal de Jerusalem, ut pacem Israëli pareret, convertens oves ipsius quæ perierant; necnon et ut pacem Jerosolymæ quæreret, liberos ipsius reducens qui ejecti fuerant[7]. Quomodo au-

[1] Joan. xx, 22, 23. — [2] 2 Cor. iii, 6.
[3] N. 16. p. 741.
[4] Gal. v, 22. — [5] Matth. xxi, 5. — [6] Exod. xv, 5. — [7] Matth. x, 6.

tem res ingenti digna gaudio non erat, Regem justum et sospitantem et mansuetum Jerosolymam ita advenire? cum dissipandus erat omnis arcus belli, ne amplius « peccatores » intenderent arcus, et pararent sagittas suas in pharetra, » ut sagittarent in obscuro rectos corde[1]. » Tunc autem et multitudo et pax ex credentibus et salutem consequentibus gentibus futura erat, dominante aquis Servatore ad mare usque, et fluminibus quoque maxima terræ spatia peragrantibus et irrigantibus, ad ostia usque terræ quibus effluunt.....

Nunc autem[2] de Bethphage secundum Matthæum, Bethania secundum Marcum, Bethphage et Bethania secundum Lucam agamus. Hæc autem supra montem fiebant, qui Olivarum dicitur. Bethphage porro, *domum maxillarum* interpretandum esse dicimus, quæ quidem sacerdotum villa erat; Bethaniam autem, *domum obedientiæ.* Ducuntur ergo in obedientiæ domum, quæ vinculis solvuntur, vel quod solvitur, ut ea illic Jesus conscendat; necnon et in maxillarum domum : de qua, sumpta e libro Judicum occasione, in quo fons maxillæ dictus commemoratur, de quo potavit sitiens Samson[3], vel fortasse quod maxillam unam cædenti alteram præbere oporteat[4], dicere possumus Bethphage symbolum esse patientiæ eorum qui salutem consequuntur; unde iis insidebat Jesus, quæ a discipulis juxta mandatum suum soluta erant. Mons autem Olivarum est, quæ cum fertiles sint et fructum ferant, dicunt : « Ego autem sicut oliva fructifera in domo Dei[5]; » qui autem fidei rudimentis initiantur, sunt « sicut novellæ » olivarum in circuitu mensæ[6] » Christi, utpote liberi ejus et filii. Quod si ad duos quoque discipulos animus adver-

[1] Psal. x, 13.
[2] N. 17. p. 743.
[3] Jud. xv, 19. — [4] Matth. v, 39. — [5] Psal. LI, 10. — [6] Psal. cxxvii, 3.

tendus est, quos ad ligatam asinam et qui cum ea erat pullum Jesus misit, ut solutam eam ad se adducerent; annon discipulos hosce duos Petrum esse et Paulum dicendum est, qui dextras societatis sibi dederunt [1], ut in circumcisionem quidem Petrus, subjugem videlicet sub jugum legis alligatam; Paulus vero in gentes, juvenem nimirum ac nondum domitum pullum, iret? Et uterque sane, subjugem dico et pullum, ante Jesum in villa erant in qua fuerant vincti, non vero in civitate. Discipuli autem Jesu solvunt utrumque et ad Jesum adducunt. Præterea duos discipulos si interpreteris anagogice, dices unum quidem esse ordinem eorum qui ministrant circumcisis; alterum autem qui gentibus.....

« Euntes autem [2] discipuli, fecerunt sicut præcepit illis » Jesus, et adduxerunt asinam et pullum [3], » et reliqua, ad hac usque : « A Nazaret Galileæ... » Exponemus quæ nobis impræsentia proposita sunt, ubi traditum est abeuntes duos discipulos, et sibi a Servatore mandata facessentes, asinam ad ipsum cum pullo adduxisse; quos quidem nudos neutiquam dimiserunt, sed vestibus solutæ asinæ et qui cum ea erat pullo ornatum conciliantibus, utrumque instraverunt; quibus vestibus ipsi quoque antea ornati erant et operti; et ut supra asinam ac pullum vestibus ornatos discipulorum qui præcepta eis tradiderant, solum Dei Verbum, soluta animalia, seseque vehentia habenis regens conquiescat et collocetur. Verum eorum qui præcepta illis tradiderant, vestibus asinæ pulloque instratis Jesus quidem insidet : at quoniam mansueto Regi, et super subjugem et pullum juvenem ascendenti, unumquemque aliquid conferre decebat; simul autem cum Jesu plurima in Jerusa-

[1] Galat. II, 9.
[2] N. 18, 19. p. 744-747.
[3] Matth. XXI, 6, 7 et seq.

lem ingrediebatur turba; susceptionis Sospitatoris fructum ostenderunt quoque ii, cum vestes suas ornatumque omnem ac operimentum super asinam ac pullum sedenti subjecerunt. Qua ergo via asinam pullumque in Jerusalem agebat, ea stravit vestimenta sua turba plurima, ut per loca terræ terrenarumque rerum pura, et nullo pulvere inquinata, asina ac pullus Jerosolymam ascenderent. Præter duos porro discipulos, et vestes suas in via substernentem turbam plurimam, tertium nunc agmen commemoratur; alii siquidem præterea viæ qua Jerosolymam petebat supradictis animalibus vectus Jesus, decorem conciliabant; is autem decor cæsis ab arboribus ramis, et ab utraque vestimentorum parte in terram sparsis acceptus referendus erat: nisi fortasse quarta hæc cohors fuerit; alii quippe erant discipuli solventes; alia soluta asina, et cum ea pullus; tertii porro, plurima turba; et quarti demum, qui ramos ab arboribus amputabant, et in via substernebant. Quintam præterea et sextam cohortem, ex iis qui Jesum præcedebant quique subsequebantur conflatam, hoc loco observa: et vero qui præcedunt, ex sanctis fortasse et Prophetis qui ante adventum vixerunt, collectos esse dices; qui subsequuntur, ex justis, vel Christi Apostolis qui post adventum Verbum assectati sunt. Verumtamen non alia præcedentes, alia vero subsequentes dicebant, uno enim ore haud secus ac concors et consonus chorus clamabant omnes, et Servatoris humanitatem his verbis celebrabrant: « Osanna filio David[1]; » at secundum ipsius adventum, hoc hymno: « Benedictus qui venit in nomine Domini; » restitutionem autem ejus in sancta dicentes: « Osanna in ex» celsis. »

Cæterum hanc exclamationem uno concentu tollentibus qui Jesum præcedebant, quique sequebantur, ipse veram

[1] Matth. xxi, 9.

Jerosolymam ingressus est. Stupefactæ autem virtutes cœlestes, quæ tota esse civitas dicuntur, aiebant : « Quis est » hic [1]? » perinde ut quæ in vigesimo tertio psalmo de Servatoris in cœlo receptione, et cœlestium virtutum novum corporeæ ipsius vecturæ spectaculum admirantium stupore et perturbatione prædicta sunt. Sic autem in hoc psalmo habetur : « Attollite portas, principes, vestras, et elevamini » portæ æternales, et introibit Rex gloriæ [2], » et quæ sequuntur. Consimilia quoque Isaias de Servatoris, post administratam provinciam sibi impositam, ascensu vaticinatur; sic enim scriptum est : « Quis est iste qui venit de Edom, » rubor vestium de Bosra, iste formosus in stola sua [3]? » Hujus sane loci singulas partes simul collectas per te potes intelligere, necnon quid corporis Servatoris ascensum mirantes turbæ dicant, et quid responsi ferant. Hæc quidem a me allata sunt, quo tropologiæ Scripturæ cohærentiam servarem, quia « cum intrasset Jerosolymam, commota est » universa civitas, dicens : « Quis est hic [4] ? » Post illa deinceps scriptum est dixisse multos : « Hic est Jesus propheta » a Nazaret Galileæ [5], » eum confitentes de quo id editum fuerat vaticinium : « Quoniam Nazaræus vocabitur [6], » speciatim nimirum Deo semper consecratus..... « Osanna filio » David ! Benedictus qui venit in nomine Domini ! Osanna » in altissimis [7] !..... »

§ V.

De iis qui templo ejecti sunt.

« Et intravit [8] Jesus in templum Dei, et ejiciebat omnes » vendentes et ementes in templo [9], » et reliqua. Extant item apud reliquos tres Evangelistas quæcumque habentur

[1] Matth. xxxi, 10. — [2] Psalm. xxiii, 7. — [3] Isai. lxiii, 1. — [4] Matth. xxi, 10. — [5] Ibid. 11. — [6] Id. ii, 23. — [7] Id. xxi, 9.

[8] N. 20, 21, 22. p. 748-754.

[9] Matth. xxi, 12.

hoc loco; quorum inter se differentiam exponere non est hujus loci: quæ enim in eo quod explicamus Evangelio continentur, pro virili explanasse satis erit..... Primum quidnam sit illud Dei templum dicendum est, quod agnoscens Deus in Propheta dixit: « Domus mea domus orationis vo» cabitur[1]. » Juxta circumcisionem ergo secundum carnem, et corporalia Legis festa ac sacrificia, templum Dei existimabatur esse opificium illud e lapidibus sensus expertibus a Salomone primum constructum, ab Esdra deinde restauratum, at post incarnationem Jesu a Romanis demum dirutum; et hæc domus orationis esse credebatur: quo everso Judæos, utpote domum orationis jam non amplius habentes, privilegium itidem visitationis Dei jam amplius non habuisse necessario dicendum est; quo frui credebantur privilegio, propterea quod in orationis domo orabant, postquam legalis cultus munia obierant. Sospitator vero noster qui actionum suarum spiritualium symbola edidit, ex eo templo vendentes et ementes corporaliter deturbarit, nummulariorum mensas, et cathedras vendentium columbas everterit, et quæ scripta extant dixerit, ad conversionem præsentis tum forte populi, qui cum sanctam festivitatem in nomine Dei celebrare debuisset, venditionibus emptionibusque non in loco ejusmodi rebus idoneo, sed in templo vacabat: hic ubi coiens, tanquam in orationis domo orare debebat; at res orationi contrarias agebat, haud secus ac in dicata mercatui domo vendens ac emens, pecunias permutans, et in cathedris vendendarum columbarum gratia sedens: Judæorum autem facinoris fœditatem tunc Jesus abstulerit, quando negotiantes eos, et in corporeas delicias se effundentes, cum juxta præscriptum Legis festum celebrare debuissent, reprehendit.

Nunc autem conflatum ex vivis lapidibus templum Eccle-

[1] Isai. LVI, 7.

siam esse existimo, in eaque nonnullos esse qui non quasi in Ecclesia vivant, sed quasi « secundum carnem militent[1], » quique orationis ex vivis lapidibus constructam domum per suam nequitiam latronum speluncam faciant : quis enim, postquam peccata in ecclesiis quibusdam ab iis commissa perspexerit qui aliorum pietatem quæstum esse existimant, cumque ex Evangelio victum petere oporteat, id quidem non faciunt, sed divitias ingentesque facultates comparant, tantum illud Ecclesiæ mysterium latronum speluncam esse factum non fateatur? adeo ut de peccatis, in vivo, quod ipse ædificavit, templo admissis apposite id dicat Christus, quod e Psalmis depromptum est : « Quæ utilitas in sanguine meo, » dum descendo in corruptionem[2]? » et quod apud Osee, ni fallor, extat, ubi Jesu anima, vita peccatorum, qui in templo nihilominus esse videntur, offensa, ait : « Væ mihi » quia factus sum sicut qui congregat stipulam in messe, et » sicut racemos in vindemia, cum non sit spica ad come- » dendum primitiva. Væ mihi anima, quia periit pius de » terra, et non est in hominibus qui corrigat[3]. » Si hac porro Jesu oratione, quodque lapsus nostros deflens dixerit : *Væ mihi anima,* offenderis, cum his contende quæ habentur in Evangelio, ubi scriptum est, « videntem eum » Jerusalem flevisse super illam, et dixisse[4]. » Quod si super Jerusalem cum ratione flevit, longe magis etiam consentaneum erit ut super Ecclesiam fleat, quæ ad id ædificata est ut domus sit orationis, at propter turpem nonnullorum quæstum ac luxum, atque utinam non et principum populi, spelunca latronum effecta est. Verum tunc ingressus est quidem Jesus in templum Dei, et illud expurgavit, ejectis omnibus vendentibus et ementibus in templo, et mensis nummulariorum eversis, una cum cathedris in quibus sedebant qui vendebant columbas. Nunc autem quamdiu

[1] 2 Cor. x, 3. — [2] Psal. xxix, 10. — [3] Mich. vii, 1, 2. — [4] Luc. xix, 41.

non observantur qui in nomine Jesu Christi simul in conventibus coëunt, ii sunt qui vendunt et emunt in templo, et reliqua faciunt, neque iis ullo modo videndum se dat Jesus, ut ejectis illis reliquos servet, vel ut illos ejectos in peccati sui agnitionem et conscientiam adducat, et in templum rursus, non vendendi, vel emendi, ac reliqua faciendi gratia, introducat; postquam autem peccata nostra inspexerit, et quasi nos amore prosequens advenerit, ut nos castiget, et tanquam filios a se deinde admittendos flagris cædat; tunc congregatis nobis et Spiritu sancto ingredietur Jesu potestas, eaque ingressa vendentes omnes ac ementes in templo ejiciet; vendentes quidem et quasi nundinantes si quid boni habuerunt; pro iis autem mala ementes; atque hæc in Dei templo, Ecclesia nimirum, agentes. Atque utinam in Patris sui templum, Ecclesiam scilicet, orationis domum ingressus Jesus, nummulariorum et avarorum mensas deturbet, et qui probam pecuniam vilibus ac nullius pretii nummulis commutant, ut eos quorum nummos permutant afficiant damno, ipsi vero in res necessarias pecuniam neutiquam expendant. Sunt autem alii qui in templo Christi columbas vendunt et emunt, et principibus contra fas tradunt, eos qui sunt « simplices sicut columbæ [1], » qui oraverunt, et dixerunt : « Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, » et volabo, et requiescam [2] ? » quorumque exauditæ preces et acceptæ sunt.

Ego vero quod de columbarum venditoribus scriptum est, his convenire existimo qui ecclesias avaris, tyrannicis, indoctis et irreligiosis episcopis, presbyteris, vel diaconis tradunt : quocirca de eorum tantummodo cathedris qui columbas vendebant mentionem fecerunt Matthæus et Marcus, quas a Jesu eversas fuisse commemorant. Atque utinam hæc mente divinæ Scripturæ accommodata audirent, qui

[1] Matth. x, 16. — [2] Psal. LIV, 7.

supra cathedram Moysis sedere se gloriantur, et totas columbarum ecclesias vendunt, easque ejusmodi præfectis tradunt de quibus id dici potest quod in Jeremia a Domino profertur : « Principes populi mei non me cognoverunt; filii » insipientes sunt, et vecordes : sapientes sunt ut faciant » mala, bene autem facere nescierunt [1]; » et quod apud Michæam, opinor, his verbis conceptum est : « Principes » populi mei ejicientur de domo deliciarum suarum [2] : » hæc enim si audissent, columbas Christi minime profecto vendidissent, sed principes columbis parcentes, ac de earum salute sollicitos constituissent; neque circumspicientes quonam mactato, haud secus ac pingui columba epulaturi sint. Ejectis autem iis, quod venderent atque emerent, necnon et nummulariis et columbarum venditoribus pudorem incutiens Jesus ex vaticiniis, quasi ex Patris sui persona editis, scriptum esse dicit : « Domus mea, domus orationis » vocabitur; » nec enim aliud quidquam in ecclesia Dei esse oportet, quam petitionem sancti cujuslibet operis, et visitationem Dei arcessentis, et precationis loco apud Deum habiti, juxta quod possibile illud est : « Sine intermissione » orate [3]; » at vos orationis domum flagitiis vestris latronum speluncam fecistis : et sæpenumero ad depravationem paulatim ita vergentes Ecclesiæ creditæ res comperire licet, ut a latronum spelunca in nomine Christi congregatus cœtus minime differat, ita ut illis dici queat : « Propter vos » semper nomen meum blasphematur in gentibus [4]. » Quod si illustrandæ Scripturæ gratia tria eorum genera qui hic congregati erant, accuratius exponenda sunt, videndum annon qui e populo nullis aliis quam mundi rebus occupantur, et vendendo solum emendoque dediti sunt, raro autem orationibus et quæ desiderat divinum Verbum operibus incumbunt, ii sint qui in Dei templo vendunt et

[1] Jerem. IV, 22. — [2] Mich. II, 9. — [3] I Thess. V, 17. — [4] Isai. LII, 5.

emunt; diaconi vero qui ecclesiæ pecunias non recte dispensant, sed eas semper manibus contrectant, non honeste vero administrant, sed ea quæ vulgo divitiæ existimantur esse et pecunias coacervant, ut ex iis quæ pauperum nomine erogantur divites fiant, hi nummularii sint, pecuniarum mensas habentes, quas Servator evertit; episcopi autem et presbyteri quibus priores populi sedes attributæ sunt, quique totas ecclesias quibus minime oportet tradunt, et principes quos non expedit constituunt, ii sint columbarum venditores quorum mensas pessumdedit Jesus. Unusquisque ergo eorum qui in cathedra Ecclesiæ sedent, et « diligunt primas cathedras in synagogis[1], » videat annon ita in cathedra sua sedeat, ut cum advenerit Jesus, eam, utpote dignam quæ evertatur, sit eversurus. Sed et quisquis ex diaconatu pecunias corradit, postquam propositum Scripturæ locum animo hauserit, argentum mensis amplius non congerat, ne eas deturbet Jesus. Præterea quos curæ et vitæ hujus sollicitudines venditionibus emptionibusque implicant, caveant ne adveniens Jesus templo eos ejiciat, quando scilicet qui ejectus est, eo etiam regrediendi unde ejectus est spe caret. Quinetiam præsentem Scripturæ locum perscrutanti mihi, annon hæc in secundo adventu qui expectati divini judicii tempore continget, acturus sit Servator, aliqua mihi incessit dubitatio : nam cum in templum Dei universum ingressus fuerit, totam videlicet Ecclesiam, quæ ex quo constituta est Ecclesia, in nomine Christi ad consummationem usque sæculi perseverat, quoscumque ex iis qui in templo Dei esse creduntur, emptioni venditionique operam dedisse compererit, ejiciet; quosque mensas statuisse, et nummulariæ rei vacasse deprehenderit, eversis eorum mensis, peccatisque omnibus circa pecuniam admissis, sermone apertis ac patefactis coarguet; tunc quoque eorum etiam,

[1] Luc. XI, 43.

ut diximus, qui columbas vendunt, cathedras subvertet. Quod si tribus his generibus aliquis neutiquam fuerit affinis, et in Dei templo inveniatur, confidat ille, a Jesu enim minime ejicietur, neque de rebus ad eum pertinentibus quidquam evertetur, neque quasi qui latronum speluncam domum orationis fecerit, verbis tanquam latro castigabitur; cum pœnas dabunt qui latrociniis suis, et nequitia domum orationis latronum speluncam fecerunt.

§ VI.

De ficu arefacta.

« Et relictis[1] illis abiit foras extra civitatem, usque in Be» thaniam[2], » et quæ subnexa sunt, usque ad id : « Et omnia » quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis. » .... Postquam in Bethania, obedientiæ scilicet domo, conquievit, postquam constitui cœpta est Ecclesia, et in ea conquiescendi initium fecit Christus, tunc in civitatem quam reliquerat, et extra quam fuerat, revertitur, et in eam revertens esurit[3]; et visa una in via ficu, quæ populi arbor erat, accessit ad eam ; et nihil in ea edule, sed vitæ tantum signa invenit; folia quippe in ea erant, absque ullo fructu : tunc vero quoniam animata erat ficus, eam propterea, quasi debitam sibi imprecationem audiret, compellat his verbis : Nunquam tibi innascatur fructus, quandiu perseverabit præsens ætas. Inde fit ut sterilis existat Judæorum synagoga, et ad consummationem usque sæculi, donec plenitudo gentium adveniat, talis erit. Exaruit autem ficus, cum inter homines humano corpore indutus et ipse Jesus etiamnum viveret. Videntes autem discipuli, mirati sunt dicentes : « Quomodo continuo aruit ficus[4] ? » animæ quippe oculis

[1] N. 26. p. 757.
[2] Matth. XXI, 17 et seq. — [3] Ibid. 18, 19. — [4] Ibid. 20.

arefactæ ficus mysterium viderunt, et non tam quod exaruerit, quam quod subito et derepente aruerit, obstupuerunt : aridam enim ficum, hunc nimirum Israëlis populum intuebantur. Et cum arefactam derepente ficum videntes discipuli mirarentur, quasi id quod dictum fuerat confirmans Jesus, ita respondit : « Amen, si habueritis fidem, et » non hæsitaveritis, non solum hoc quod ficui contigit fa» cietis; sed et si monti huic dixeritis : Tollere, et jacta te » in mare, fiet [1]. » Qui ergo credunt discipuli, neque dubitant, id quoque efficiunt quod ficui contigit, dicentes ei : « Vobis oportebat loqui verbum Dei, sed quoniam indig» nos vos judicatis, ecce convertimur ad gentes [2] ; » eamque a se relictam arefaciunt, ut vitalis ipsius facultas ad gentiles transeat, ad eosque spiritus populum hunc antea conservans traducatur. Præter facultatem autem id efficiendi quod ficui contigit, discipulis etiam suis pollicetur Dei Verbum, futurum ut si fidem habuerint, neque dubitaverint, cum indicato a se monti, id est, adversariæ potestati sese adversus homines extollenti dixerint : « Tollere, et projicere in » mare [3], » id ita contingat : ab unoquoque enim eorum quibus auxilium præstant discipuli Jesu, gravis nequitiæ mons, Satanas nimirum, aufertur, auferente eo qui ipsius victor evasit ; et in mare, abyssum scilicet, projicitur, eodem in destinatum ipsius supplicio locum projiciente......

........Sed [4] quoniam ex hoc loco res sapientia Dei a qua conscripta sunt Evangelia dignæ depromendæ sunt, animadverte annon juxta simpliciorum interpretationem supervacaneum sit illud : « Relictis illis abiit foras extra civitatem [5] ; » quomodo enim extra civitatem esse potuisset, iis non relictis apud quos prius erat ? At secundum eos qui acutius hunc

[1] Matth. xxi, 21. — [2] Act. xiii, 46. — [3] Matth. xxi, 21.
[4] N. 27. p. 759.
[5] Matth. xxi, 17.

locum intelligunt omnino priores relinquit, quando ad alios post illos, et cum illis accedit; sed postquam in Bethania diversatus est, relicta haudquaquam Bethania, in urbem redit : in Bethania enim erat, et in urbem redibat. Esuriebat autem Jesus, fructus spiritus qui in justo proveniunt semper capere volens; et charitas quidem ejus qui illam primum spiritus fructum profert, necnon gaudium, et pax, et lenitas, et cætera, hæ sunt, ut ita dicam, ficus ipsius, quas esuriens comedit : quos sane quamdiu de nobis fructus dabimus, haud exarescemus; at quotiescumque accedenti ipsi et fructum comedendum quærenti non præbebimus, nobis dicetur : « Nunquam ex te fructus nascatur in sempiter- » num[1]. » Nam præter jam traditam ficus explicationem, quasi populum ipsa significet, ad unumquemque referri potest hæc oratio, quasi ficus sit, vel arefacta, vel fructum ferens, et vivens, et culta, ut majorem fructuum copiam emittat. Fortassis vero, quemadmodum in sementi, « exiit qui semi- » nat seminare, et quædam cæciderunt secus viam, et vene- » runt volucres cœli, et comederunt ea; alia autem cecide- » runt in petrosa, et alia in spinas, et alia in terram bonam[2] : » ficus itidem variæ sunt; et si in terra bona ficus sata sit, fructum fert, eumque esurienti Jesu præbet; at postquam secus viam consita fuerit, quemadmodum ea de qua id scriptum est : « Et videns fici arborem unam secus viam[3], » Jesu ad se venienti fructum non præbet, « nihil enim in » ficu juxta viam adsita « invenit, nisi folia tantum ; » idcirco cum secus viam esset quidem, sed folia tantum, at sine fructu haberet, quibus vitæ significationem daret, id dixit : « Nun- » quam ex te fructus nascatur in sempiternum. » Quamdiu ergo ad ficum non accedit, nec fructum ejus adhuc requirit, sed dum fructum ferat ficus patienter expectat, non arescit; at cum advenerit qui fructus nostros appetit, si so-

[1] Matth. xxi, 19. — [2] Id. xiii, 3, 4 et seq. — [3] Id. xxi, 19.

lam fidei pollicitationem absque fructibus habere inveniamur, confestim exarescemus, amissa etiam ea quam nobis fidei nomine pepereramus existimatione. Ac ejusmodi homines reperire licet, qui fidelium nomen diu gesserunt, et vivere se signis comprobaverunt, at aridi nihilominus omnino sunt : quos a Dei verbo penitus recessisse et exaruisse videre est, quod fructum non dederint..........Id præterea certius cognoscemus, si unicuique rei quæcumque continentur hoc loco sigillatim aptaverimus, attendentes quo pacto in tentationibus fructus postulat Jesus; in persecutione, verbi gratia, confessionem et martyrium; cum aliquem mulier deperit, continentiam Josephi, et castitatem; et in singulis itidem tentationibus congruentem ei fructum. Qui autem ad dandam Jesu esurienti et ad se adventanti confessionem vel continentiam se non accingit, arescit confestim; nam qui fidem ejuravit arescit, ita et qui fornicatus est, etiamsi ante tentationum tempus vitæ significationem daret, et quasi ficus foliis indutus esset........

At Marcus[1] hanc conscribens historiam, dissentaneum aliquid minimeque verisimile contextui videtur addidisse, dicens Jesum « cum vidisset a longe ficum habentem folia, venisse quasi aliquid in ea inventurum; cum venisset autem ad eam, et nihil invenisset præter folia, non enim fuisse tempus ficorum, respondentem dixisse ei : Jam non amplius in æternum ex te fructum quisquam manducet[2]. » Nam si ficorum, inquiet aliquis, tempus non erat, quomodo ad ficum, quasi aliquid in ea inventurus Jesus accessit? et quomodo ei jure dixit : « Jam non amplius in æternum ex te fructum quisquam manducet[3]? » Ad id dici potest enumeratos apud Apostolum fructus spiritus, charitatem nempe, gaudium, pacem, lenitatem, benignitatem, bonitatem, fi-

[1] N. 29. p. 762.
[2] Marc. XI, 13, 14. — [3] Ibid. 14.

dem, mansuetudinem, temperantiam, nonnunquam proprio suo tempore dari[1]; at si, provocantibus licet ad contrarias fructuum emissioni res circumstantibus rebus, propter latas a Verbo ingentes suppetias, tunc quoque fructus spiritus dare aliquis valet, illud vero præstantius esse. Quod autem dico, tale est : inter fructus spiritus recensetur charitas; illius tum tempus est, cum amicitiæ qua diligimur fructum reddere operosum non est; et fructus sane spiritus est diligentem diligere, verum non in tempore, ut ita dicam, ficorum. At cum fidelem aliquis ad odium factis suis concitaverit, sive insidias struens, sive depravatis usque adeo moribus præditus, ut odio dignus videatur; justus autem ne hominem quidem ejusmodi odio prosequitur, sed quasi illius filius « qui solem oriri facit super malos et bonos[2], » tum quoque eum diligit : in non tempore videlicet ficorum charitatis fructus dans, beatus est. Idem de gaudio intellige : gaudium enim fructum spiritus dare, cum tristitiam tædiumve nemo facessit, operosum non est; at cum mœrorem alicui, et angustiam, ac fastidium instantia mala comparant, et Verbi tamen subsidio tantos fecerit progressus, ut eo etiam tempore quo mœroris causas habuisse visus est, hilaritatem præ se ferat; et cum ignominia afficitur, flagrisve cæditur, gaudeat, et quocumque tandem calamitoso tempore præcepti hujus meminerit : « Semper gaudete[3] : » beatus ille procul dubio est, utpote qui gaudium fructum ferat, atque id quidem in non tempore, ut ita dicam, ficorum. Idem quoque de reliquis spiritus fructibus demonstrare arduum non est : nam qui fidem amplectitur et divino Verbo audientem se præbet, humana natura superiorem esse ac præstantiorem vult Deus, et inusitata ab eo, ac portentosa, et, ut ita dicam, Dei potius quam hominis facinora requirit. Quapropter omnibus edicit quos ad beatitudinem vocat : « Ego

[1] Gal. v, 22, 23. — [2] Matth. v, 45. — [3] 2 Thess. v, 16.

» dixi : Dii estis, et filii Excelsi omnes[1] : » at eos arguens qui dii fieri et filii Excelsi nolunt, ait : « Vos autem sicut » homines moriemini[2]. » Quamdiu enim « carnales sumus, » et secundum hominem ambulamus[3], » nihil aliud quam mortem per singula peccata operamur; « Si enim secundum » carnem vixerimus, nos morituros[4] » liquet, quemadmodum ab Apostolo traditum est........

[1] Psal. LXXXI, 6. — [2] Ibid. 7. — [3] I Cor. III, 3. — [4] Rom. VIII, 13.

TOMUS DECIMUS SEPTIMUS[1].

§ I.

De principibus sacerdotum et senioribus qui Dominum interrogaverunt, et dixerunt : In qua potestate hæc facis ?

« Et cum [2] venisset in templum, accesserunt ad eum docentem principes sacerdotum, et seniores populi, dicentes : In qua potestate hæc facis [3] ? » et reliqua, usque ad id : « Nec ego dico vobis in qua potestate hæc facio. » Cum præsentem huncce locum tanquam necessarium Evangelistæ tres scriptis mandaverint, quonam consilio non unam duntaxat quæstionem, sed duas Servatori proposuerint Principes sacerdotum, et seniores populi, disputare operæ pretium est, quarum quæstionum una hæc est : « In qua potestate hæc » facis [4] ? » altera vero : « Et quis tibi dedit hanc potesta» tem ? » quidque sibi volens Servator ob id unum eos vicissim interrogaverit, quo ad eorum quæsita non responderet : eos quippe indignos esse videbat ad quorum quæstionem responsum daret, et quorum propositionem solveret. Quæ autem hic habentur, non sicut opinantur nonnulli, aperta et intellectu facilia, sed mysteriis referta esse, et cor postulare profundius ex nostra disquisitione manifestum erit. Age ergo, eorum argumentis astipulemur qui locum hunc simplicius interpretantur. Dicent enim principes sacerdotum et seniores populi, cum duas generales esse scirent potes-

[1] Tom, III, p. 764 et seqq. — [2] N. 1-6. p. 764-773.
[3] Matth. xxi, 23 et seq. — [4] Ibid. 23.

tates, quarum melior Dei esset, deterior autem diaboli, in quanam e duabus hisce potestatibus, et a quo accepta ea prodigia ederet, a Servatore quæsivisse : tum vero Jesum eos vicissim interrogasse, ne rationem ipsis redderet, et quia eos ipsos a quibus interrogabatur una reprehendere volebat, quod præter rectam rationem Joanni Baptistæ fidem detraxissent : atque ita vicissim interrogando duas res confecisse; nam propter fidem Joanni detractam eos insimulasse, percontatoresque suos ita distraxisse, ut responsionem ipsis cum ratione non dedisse videretur. Hic vero dixerit quispiam ridiculum fuisse id quærere, in qua potestate Jesus hæc faceret; nec enim in diaboli potestate ea se facere responsurum fuisse : neque id sane responsurum non fuisse Servatorem solum dico, sed nec « hominem pec» cati, qui adversatur et extollitur supra omne quod dicitur » Deus, aut quod colitur[1], » veritatem sciscitantibus dicturum se in diaboli potestate virtutes omnes, ac signa, et portenta edere, quibus terrorem incutit, et ipsos etiam, si fieri possit, electos decipiet[2]. Quod si ne is quidem in potestate diaboli edere se signa confitetur, « et prodigia mendacii, » quæ in omni seductione iniquitatis, iis qui pereunt[3], » perficiuntur; quanto magis Servator, etiamsi reciprocam quæstionem non objecisset, aliud respondisset nihil, quam se hæc facere in Dei potestate? Quæstionem igitur eos proposuisse, ad quam facilis adeo erat et expedita responsio, ad eamque Servatorem non respondisse, id dicere videtur mihi perabsurdum.

Vide ergo annon hæc sit hujus loci significatio : In Dei sapientia, quæ divinarum humanarumque rerum, et quibus illæ ex causis profluant, scientiam comprehendit, ejusmodi thesauri continentur, quales sapientiæ et scientiæ thesauros esse decet[4]; ac ii quidem sunt absconditi : et si quis dignus

[1] 2 Thess. II, 4. — [2] Marc. XIII, 22. — [3] 2 Thess. II, 9, 10. — [4] Coloss. II, 3.

habitus est qui « audiat arcana verba quæ non licet homini » loqui[1], » is cognoverit « sapientiam in mysterio abscondi» tam, quam prædestinavit Deus ante sæcula in gloriam[2] » justorum. In reconditis ergo sapientiæ et scientiæ thesauris profunda delitescit et arcana doctrina de diversis potestatibus, quæ generatim quidem duæ sunt, speciatim vero in utraque illarum plures et incomprehensibiles continentur. Tales autem sunt generales illæ duæ potestates: aliæ in præstantiori ordine censentur, et quemadmodum quidam sunt homines Dei non vulgares, et Angeli Dei beati et prophetæ, Dei divino Spiritu afflati; ita quædam sunt Dei potestates, de quibus Christum celebrans Apostolus in epistola ad Colossenses ait, quoniam Servator « est imago Dei invisibilis, » primogenitus omnis creaturæ : in quo condita sunt uni» versa in cœlis et in terra, sive visibilia et invisibilia, sive » Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potesta» tes, omnia per ipsum et in ipso creata sunt : et ipse est ante » omnes[3]. » Unum igitur genus est earum quæ sub Deo constitutæ sunt, creatæ nempe in Christo potestates, a Principatibus et Thronis et Dominationibus diversæ; et unaquæque potestatem habet in aliqua, a Deo juxta arcanam quamdam dignitatem constituta supra ea quæ digna sunt, ut unicuique e potestatibus pro suis differentiis subdita sint. Ac de rebus quidem ad eas potestates, et quæ his subdita sunt, pertinentibus disserere prolixa res est et difficilis. Quemadmodum autem sunt quædam Dei potestates, ita sunt contrariæ aliquæ, juxta homines peccati et angelos diaboli; et iis quidem qui adversus sanguinem et carnem non amplius colluctantur[4], sed quod virtute supergressi sint, præliantur cum superioribus, contra potestates adversus religionis athletas decertantes lucta est. Et quemadmodum plurimi

[1] 2 Cor. xii, 4. — [2] 1 Corinth. ii, 7. — [3] Coloss. i, 15, 16, 17. — [4] Ephes. vi, 12.

erant sub Deo ordines, ita et in contraria parte non potestates sunt duntaxat, sed et mundi rectores tenebrarum harum, et spiritualia nequitiæ in cœlestibus; fortasse et principatus. Ego vero quæcumque sunt apud Deum, res sibi cognomines in contraria parte habere existimo. Qui ergo varia in Israël nomina sortiti erant, hoc est, principes sacerdotum, et seniores populi, cum de potestatibus multum disceptassent, sive ex traditionibus, sive ex proprio studio ac industria, sive ex arcanis libris (an cum ratione, necne, nescio) commoti, Deum portenta edentem, non sine conjuncta illi potestate videbant : hujus igitur formam a scientia Jesu, vel quæ ei inesse videbatur, discere volebant. Verum enimvero si ex iis qui Servatorem tunc interrogaverunt sacerdotum principibus sancti aliqui et beati fuissent, qualis erat Aaron, vel Eleazar, aut Phinees, vel quicumque ministerii sui vices cum laude obierant, vel seniores iis fuissent similes quos ex Dei mandato Moyses selegerat, verisimile est non tanquam se tentantibus, sed quasi discendi cupidis, et tanto documento dignis, doctrinam tradere incœpturum fuisse Servatorem, quam ne mundus quidem universus capere potuisset; et de beatis potestatibus, earumque differentia, deque causis cur ad potestatum dignitatem pervenerint, deque iis subjectis, sive animis sive ratione præditis quibuscumque rebus scientiam impertire; quin et omnem de contrariis potestatibus doctrinam enarrare, earumque differentias declarare. Docturum præterea eum fuisse verisimile est juxta illud : « Lex ordinata per An» gelos[1], » et illud : « Si qui per Angelos dictus est sermo, » factus est firmus[2]; » juxta illud, inquam, quod de Angelis legi ministrantibus, et potestate in Scripturis traditum est; in qua, verbi gratia, potestate, Deo ministrante, vel in quibus, unumquodque prodigiorum quæ contigerunt in

[1] Gal. III, 19. — [2] Hebr. II, 2.

Ægypto, factum est; quænam item potestas virgæ Mosis in serpentem transmutatæ operam suam præstitit; tum quænam huic contraria, Ægyptiacarum virgarum in dracones permutationi ministerium suum contulit; virtutem quoque potestatis explanasset, qua effectum est ut Aaronis virga Ægyptiorum virgas devoraret; dixisset etiam qua potestate in nivem manus Mosis mutata sit; et quænam ex adversariis potestas Ægyptiis incantatoribus sigillatim opitulabatur, quando signa Dei imitari videbantur. Decem similiter Ægyptiorum plagas, et legationes adversus eos missas malorum angelorum ope administratas fuisse commemorasset; quænam item potestas in populi transitum per mare Rubrum, et in Ægyptiorum submersionem operam suam contulit; et quæ potestas, ut amaræ aquæ ligni ope in dulces converterentur, effecit : cujusnam item potestatis subsidio aqua e petra exilierit, exposuisset; eamdemque, vel certe aliam potestatem mannæ pluviam profudisse, et ingentem illam vim coturnicum immisisse declarasset : aperuisset item quanam potestate fieret ut manna illud primis sex diebus in vermes mutatum, malum de se odorem daret, die autem sabbati integrum servaretur. Et quid attinet prodigia ea omnia quæ in deserto ad mortem usque Mosis contigerunt, recensere? cum ea dicturus fuisset Servator quæ ad potestatem pertinebant, si digni fuissent sacerdotum principes, et seniores populi, quorum interrogationi responsum daretur. Consimilia autem facili negotio repereris, si universam Scripturam evolvas : a quanam potestate sol adversus Gabaonitas, luna autem contra vallem Ajalon constiterit; et longe antea, quanam potestate permeatus fuerit Jordanes fluvius, et manna cessaverit. Ac in libro quidem Judicum pleraque ejusmodi quæri ac reperiri possint prodigia, ea puta quæ circa Gedeonem et Samsonem contigerunt; sed et in Regum libris, quæ circa Samuëlem, et Eliam, et Elisæum, et

Ezechiam facta sunt. Quibus sane commemoratis, et mysterio quod in variis potestatibus continetur exposito, in quanam potestate ea faceret prodigia quæ videbat populus ostendisset Servator; quomodo etiam aliis potestatibus præstaret hæc potestas, quam non ab Angelo aliquo, Deive ministro, nec a quoquam qui Deo inferior esset, sed ab ipso Patre acceperat.

Verum cum ejusmodi rerum notitia digni non essent qui illic aderant sacerdotum principes, et seniores populi, propterea minime ipsis respondet, sed vicissim interrogat; ut non respondentibus iis ad ea quæ spectant ad Joannem, persuadere cum ratione et ipse posset, iis a quibus interrogabatur se non frustra in hæc verba respondisse : « Nec ego » dico vobis in qua potestate hæc facio[1]. » Hoc autem loco quæro utrum unusquisque eorum qui prodigia in aliqua potestate ediderunt, in una eademque potestate; an aliqui initio quidem in hac, progressu autem facto, in aliqua majore ea ediderint : at in una potestate quam accepit a Patre hæc omnia fecisse videtur Servator; hæc enim verba : « Nec ego dico vobis in qua potestate hæc facio, » ejus erant qui in aliqua potestate ea se fecisse profiteretur; in quanam autem, ipsis neutiquam declararet, neque ipsius item proprietatem explicaret, neque omnia quæ super ea disseruisset si præstantiam illius suscepisset definiendam, ac excellentiam præ reliquis in quibus prodigia fecerant Prophetæ qui ipsum præcesserant. Nunc autem in templo, in Ecclesia scilicet, versatur Christus, in eoque docet : his autem principibus et populi senioribus consimiles quidam ipsum interrogant, responsionem autem non consequuntur, utpote qui earum rerum notitia nequaquam digni sint, quam adipisci satagunt. Quæsiverit autem aliquis utrum eos a se dispellere volens, hanc eis de Joanne

[1] Matth. xxi, 27.

quæstionem fortuito impegerit, ac si de alio quovis simili quæsivisset; an de Joanne necessario interrogaverit, ut datæ de eo responsioni quæ de potestate subnexa sunt subjungeret. Mihi vero fortuito dictum non esse videtur quod extat hoc loco; sed quandoquidem Joannes « vox *erat* » clamantis in deserto : Parate viam Domini[1], » atque is ipse erat de quo dixerat Propheta : « Ecce ego mittam angelum » meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante » te[2]; » idcirco quæstionem, opinor, de eo proponit, haud inscius quidem id illos re apud se pensitata responsi daturos : « Nescimus[3], » propter ea quæ scripta sunt; et quasi de cœlo esse Joannis baptisma respondissent, parem quoque suam esse potestatem, de cœlo videlicet sibi tributam asserens.

§ II.

Parabola de duobus filiis a patre in vineam missis.

« Quid autem vobis videtur ? Homo quidam habebat duos » filios. Accedens ad primum, dixit : Fili, vade, hodie operare in vinea[4], » et reliqua, usque ad id : « Vos autem videntes, nec pœnitentiam habuistis postea, ut crederetis » ei. » Unus hanc parabolam litteris tradidit Matthæus, quæ, mea quidem sententia, Israëlis Deo morem non gerentis, et populi qui e gentibus Christo nomen dedit historiam continet : hi sedenim duo filii sunt, quos habuit Deus, quasi homo filii sui mores sustinens. Is autem ad primum accedens quem possedit ab initio, quem præscivit et prædestinavit, dixit ei : « Fili, vade, hodie operare in vinea mea ; » at hoc prædium fugiens ille, propter æstum et labores illic ferendos, ire recusavit dicens : « Nolo ; » sed in fine tamen motus pœnitentia, quod patri dixisset : *Nolo,* in vineam

[1] Matth. III, 3. Marc. I, 2, 3. — [2] Luc. VII, 27. — [3] Matth. XXI, 27. — [4] Ibid. 28, 29 et seq.

abiit, et patris sui voluntati obtemperavit. Cæterum postquam respondit primus : *Nolo,* accessit ad alterum pater eademque dixit, ac deinde respondens alter ait : « Ego, Do- » mine[1] ; » ad vineam autem sermonis et rus patris non abiit. Manifestum est eum voluntatem patris sui reipsa facessivisse, qui dixit : *Nolo ;* et motus deinde pœnitentia fuit, et abiit, et in excolenda vinea desudavit. Qui enim verbis pollicitus est, revera autem non egit, patris voluntatem exequi detrectavit. Vide autem an parabolam hanc iis accommodare possis qui paucula quidem, vel nihil omnino pollicentur, neque virginitatem, neque ullam quæ in Evangelio præcipiatur actionem ; re autem atque opere contraria præstant ei atque exhibent opera, cui ne verbo quidem bonorum facinorum rudimenta promiserant : iis item illud convenit qui magna quidem promittunt, re autem promissa sua minime implent ; ait enim, verbi gratia, aliquis, Virginitatem illam nolo quæ vires meas superat ; item, Vita hac abdicata Christi verbo operam dare, dignitati meæ ac merito antecellit : ille autem, ingentia illa facinora quæ in Scriptura commemorantur audiens, dicit : *Ego, Domine*[2]. Tum vero nonnullos quasi pœnitentia ductos videre licet in boni rectique studio proficientes, et virtuti præter eam quam initio dederant expectationem naviter operam dantes ; alios autem postquam multa temere polliciti sunt, pleraque contra promissa sua agentes.

Post parabolam autem, ei qui dixit : *Nolo*[3], et pœnitentia postmodum ductus abiit, id subjungitur : « Amen dico » vobis, quia publicani et meretrices præcedunt vos in re- » gnum Dei[4] ; » ei autem qui dixit : *Ego, Domine*[5], minime autem abiit, illud : « Venit enim ad vos Joannes in via jus- » titiæ, et non credidistis ei[6] ; » atque item illud : « Vos au-

[1] Matth. xxi, 30. — [2] Ibidem. — [3] Ibid. 29. — [4] Ibid. 31. — [5] Ibid. 30. — [6] Ibid. 32.

» tem videntes, nec pœnitentiam habuistis postea, ut cre-
» deretis ei. » Quod si quis ad eos attenderit qui a nefaria vita ad fidem transeunt, et Christi partes amplectuntur; et ad eos qui Legem ac Prophetas jactant, Filio autem Dei fidem detrahunt, ac intemperanter vivunt, et adversus tribules crudeliter se gerunt : verum is esse Jesu sermonem deprehendet, « quia publicani et meretrices præcedunt *Is-*
» *raëlem* in regnum Dei. » Hunc autem Israëlem qui Jesum vidit ne nunc quidem pœnitet, ut veritati, sero licet, assentiatur. Quin et illud animadverte : « Præcedunt vos in
» regnum Dei, » quod Israëlem a regni Dei ingressu non prohibet; nemo enim præcedit eum qui hoc loco nunquam futurus est in quo ipse præcessit. Vide ergo num illud significatur, futurum nempe ut salutem universus Israël consequatur, cum gentium plenitudo advenerit; intelligatur autem Israël, non qui secundum carnem, sed qui animæ nobilitate præditus significatur, quique optima ad intelligendum et indole et perspicacitate pollet, non ut postulabat autem hæc indoles, in fide et vita bona educatus est.

§ III.

De vinea plantata et agricolis tradita.

« Aliam parabolam audite. Homo erat paterfamilias qui
» plantavit vineam, et sepem circumdedit ei, et fodit in ea
» torcular [1], » et reliqua, ad id usque : « Dabitur genti fa-
» cienti fructus ejus. » Qui parabolæ sensum leviter tantum attinget, neque dictiones singulas perscrutabitur, planam hæc ei et perspicuam sententiam videbitur continere, eam scilicet : Qui nos præcessit populus et Dei pars fuit, vinea erat a patrefamilias, cujus in parabola mentio fit, consita; Dei autem, quo tutus erat, præsidium, ea erat sepes; at

[1] Matth. xxi, 33, 34 et seq.

templum turris erat; torcular vero, libationum locus; agricolæ autem, sacerdotes et sapientes populi; heri vero profectio, quando Dominus qui inter illos in nube diei et columna noctis versabatur, donec eos in montem sanctum suum et in tabernacula sua deductos alibi consereret, non ita amplius eis apparuit; tempus autem fructuum adventans, tempus illud erat quo Prophetæ ab agricolis et vinea fructum reposcebant, ut vitæ suæ recta juxta legem institutione se legem accepisse declararent; servi vero ad agricolas missi ut fructus reciperent, ii erant priores Prophetæ quos verberibus et contumeliis affecerunt Principes et sapientes populi, nonnullos etiam trucidarunt, alios vero lapidibus enecarunt; servi autem qui post illos, plures prioribus missi sunt, tempus plurimorum Prophetarum significat, quorum nomina in altero Paralipomenon libro, et in Jeremia, et in duodecim Prophetis, et in Daniele scripta sunt; dicet enim fortasse aliquis Ananiam, Azariam et Misaëlem prophetas fuisse. Plures porro eos prioribus Prophetis itidem exceperunt, verberibus cædentes, morte plectentes, et lapidibus obruentes. Postremo tandem filium suum mittit paterfamilias, Dominum videlicet nostrum Jesum Christum, qui pudorem vineæ et agricolis, ac reverentiam posset incutere; sed principes sacerdotum et seniores ac sapientes populi, viso Filio, nec insolentiæ suæ immemores, hæredem eum esse cogitarunt; tum vero ut ipsi vineæ domini efficerentur, interficere eum audent; cumque illum ejecissent, et extra Israëlem amandandum decrevissent, trucidarunt : confestimque vineæ Dominus quem interemerunt, postquam a mortuis surrexit, ad eos profectus, agricolas nefarios male perdit; aliis autem agricolis, Apostolis nempe suis, eos tradit qui e populo crediderunt, vineam videlicet; atque hi fructus patrifamilias temporibus suis reddunt. Postquam autem ii qui supra quæsiverant : « In qua potestate

» hæc facis [1] ? » ea post parabolam subjunxerunt quæ his verbis subnexa sunt : « Malos male perdet [2], » petitam e Prophetis doctrinam ipsis tradens respondet Servator se ab illis quidem esse reprobatum, apud Deum autem in honore esse, et totius ædificii, ac universæ quæ ei cohæret compagis caput, et mirabile quidem caput in eorum oculis qui illud intueri possunt. Deinde vero vocationem e gentibus vaticinans, Judæorum magistris sibi fidem non habentibus ait : « Auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti » fructus ejus [3]. »..........

....Verum hanc [4] vineam, quam Legem esse ac Prophetas existimo, omnemque adeo divinam Scripturam, Dominus vineæ colonis tradidit : prioribus quidem, huic nimirum populo ; prioribus enim illis « credita sunt eloquia Dei [5] : » secundis autem, « genti *scilicet* facienti fructus ejus [6], » quæ Ecclesia est e gentibus conflata. Sic exposita autem quæ in Evangelio commemoratur vinea, circumpositam ei sepem explanare operosum est, cui nihil tale contingit quale descriptæ ab Isaia sepi, de qua scriptum est : « Auferam sepem » ejus, et erit in direptionem [7], » effossumque in ea torcular, ædificatamque turrim. Vide autem an sermonem divinæ Scripturæ præceptis accommodum, qui ad naturam humanam hominumque mores pertinet, vineam esse statuere possimus; quæ autem sermoni huic consonat vitam, virtutis laudabilissimorumque fructus morum dantem, vineæ fructum esse; ipsa autem Scripturæ verba et litteras, sepem esse quæ vineæ exterius adsita est, ut vinea, vineæque præcipue occultus fructus extraneorum oculis minime pateant; animæ autem profunditatem, quæ fructus illos recipit, et ea omnia aspernatur quæ extant in superficie, tor-

[1] Matth. xxi, 23. — [2] Ibid. 41. — [3] Ibid. 43.
[4] N. 7-11. p. 778-784.
[5] Rom. iii, 2. — [6] Matth. xxi, 43. — [7] Isai. v, 5.

cular esse in vinea fossum; in vinea autem ædificatam turrim, proceritate, elevatione et altitudine vineam, sepem et torcular superantem, sermonem esse opinor qui de Deo agit, quique divini sensus in ipso reconditi templum est : ac de ejusmodi turri id a Servatore dictum existimo : « Quis » ex vobis volens turrim ædificare, non prius computat an » fundamentum ponere possit, et opus absolvere; ne illudere » ei incipiant qui viderint, quod cœptum non perfecerit [1] ? » hac enim parabola illud significari puto, si de Deo disserere, et ad theologiæ studia animum appellere satagis, videndum tibi esse an postquam initium feceris, quæcumque ad theologiam requirit verbum, explere et perficere poteris; ne postquam pietatis dogmata tractare occœperis, imperfectam relinquas turrim, quæ Dei causa erecta est, eique coronam non superstruas; nam nisi coronam superstruxeris, cadet aliquis ex iis cogitationibus quas de Deo finxerat, et interibit. Hanc autem, ita ut a nobis exposita est, vineam colonis, populo videlicet qui ante nos fuit, tradidit Deus; et in speculam suam deinde abiit, postquam ex his quæ ipse plantavit, et circumposuit, et fodit, et ædificavit, facultates colonis ac copias dedit, unde fructus suis temporibus afferre possent. Singulis ergo, sed universo, opinor, populo fructuum tempora adventarunt; accurate autem exponere quid sit fructuum tempora adventare, majorem facultatem et cor nostro mundius ac perspicacius requirit : nihilominus tamen loci hujus explicationem pro viribus, a singulis hominibus initio facto, aggrediemur.

Verbum itaque in unaquaque anima satum, vitem esse a patrefamilias plantatam; vel rerum omnium copiam quæ ad salutem conferunt, vineam esse intelligendum est. Quemadmodum ergo vitibus tempus est aliquod quo mittunt folia, aliud quo exigua quædam fructuum rudimenta

[1] Luc. XIV, 28, 29.

ostendere incipiunt, aliud item quo oborti illi fructus in acinos distinguuntur, aliud vero quo nigrescunt, ac aliud tandem cum perfectos fructus et vino fundendo maturos vindemiandi idonea tempestas est : pari ratione prima vitæ hominis tempestas qua infantia continetur, vitem referat nulla re circumtectam, sed vita solummodo præditam; postquam vero perfectionem adipisci ratio cœpit, tempus illud sit quo flores primum fundi occipiunt; quanto magis autem culta anima proficit, tanto plura etiam florentium uvarum specimina vinea culta profert, et futuræ virtutis in ipsis jam initiis suavem odorem mittentium, quæ postmodum etiam acerbæ fiunt, ac nondum maturæ, quia his malitia exprimitur, non constans illa ac permanens, sed quæ necessario subest, neque unquam in pejus vergit, sed semper ad virtutem, si ita loquendum est, contendit. Quod si perseveret malitia, neque alia via ad virtutem grassemur, sed eamdem teramus semper ut in virtute proficiamus, uva acerba efficitur et immatura, quam qui comederit, hujus, juxta Prophetam, dentes obstupescunt[1]. Qui autem in melius proficit, quasi nigrescentem, sed nondum perfectam uvam habet. Progressum autem bonus quidem excipit status, quando nimirum exculta vitis fructum dat, perfectos scilicet charitatis racemos, et gaudii, et pacis, et patientiæ, et reliquorum omnium quæ apud Apostolum et in sexcentis aliis Scripturæ locis recensentur. Quædam enim uva in eo est : « Beati pauperes spiritu; « et alia in eo : » Beati qui » lugent; « et alia in eo : » Beati mites; « et alia in eo : » Beati » pacifici; « et alia in eo : » Beati mundi corde[2] : » et quid me attinet racemos eos omnes enumerare, quibus beatitudines continentur? Hæc autem eo fusius persecutus sum, quod locum hunc : « Cum autem tempus fructuum appropinquas» set[3], » intelligere et explanare vellem.

[1] Jerem. XXXI, 29. — [2] Matth. V, 3, 4 et seq. — [3] Id. XXI, 34.

Ad patremfamilias autem, divinamque ipsius scientiam, pertinet quandonam uniuscujusque hominis tempus instet dignoscere, et quando fructuum tempus adhuc distet. Et nos quidem si tempus a quo vocati fuimus cum omni fidei nostræ tempore comparantes, diligentius attendamus, facile perspicere poterimus quomodo nonnulli qui « deberent ma» gistri esse propter tempus, rursum indigeant ut doceantur » quæ sint elementa sermonum Dei[1]. » Pari modo, cum fructus ferre deberent nonnulli, ratione temporis habita a quo carnem assumpsit Deus, et quæcumque ad omnium pertinebant vocationem, contigerunt; vel nullos plane habent, vel intempestive florescentes, vel extra tempus in acerbam uvam evadentes. Quod si loci illius : « Cum autem tempus » fructuum appropinquasset[2],» sensus tibi sigillatim perspecti sunt, ad eos animum appelle, si potes, qui legem per Moysem receperunt, quia fructuum quoque illorum aliquando adventavit tempus, et servos suos ad priores colonos misit, quibus « credita *fuerant* eloquia Dei[3], » ut fructus vitis unicuique traditæ reciperet. Prophetas ergo servis significari proclive est dicere; at illud quærendum venit, quonam pacto ad colonos fructuum vineæ recipiendorum gratia mittantur : dicere enim poterit quispiam non ad recipiendos fructus prophetas mitti, sed ut terram colant potius, et fructibus proferendis operam conferant. Vide ergo num dicere possimus spirituales fructus et divinas oblationes ab iis qui vineam excoluerunt servis dari qui missi sunt, ut tanquam sacerdotes fructus ejus qui offert Deo dedicent; sed agricolas e populo, apprehensis servis qui missi fuerant ad carpendos vineæ fructus, illum quidem percussisse, quemadmodum « Sedecias filius Chanaan percussit Michæam in » maxillam[4], » quando falsus propheta ei postquam vaticinatus est dixit : « Qualis est spiritus Domini qui in te locu-

[1] Hebr. v, 12. — [2] Matth. xxi, 34. — [3] Rom. iii, 2. — [4] 3 Reg. xxii, 24.

» tus est[1]?» alium autem, quemadmodum inter templum et altare Zachariam[2], occiderunt; illum vero lapidibus obtriverunt, ut Azariam filium Joiadæ sacerdotem, quemadmodum in altero Paralipomenon libro traditum est : quando enim « Spiritus Dei induit Azariam filium Joiadæ » sacerdotem, et stetit supra populum, et dixit : Hæc dicit » Dominus : Quare transgredimini præcepta Domini, et in» feliciter agetis; quia dereliquistis Dominum, et derelin» quet vos? Surrexerunt contra eum, et lapidaverunt juxta » regis Joas imperium, in atrio domus Domini. Et non est » recordatus Joas rex misericordiæ quam fecerat Joiada pa» ter illius secum, et interfecit filium ejus. Qui cum more» retur, ait : Videat Dominus, et judicet[3]. »

Hæc deinceps habentur in parabola : « Iterum misit alios » servos plures prioribus, et fecerunt illis similiter[4]. » His autem referta est Scriptura, quæ contigerunt Prophetis, quos pro populo misit ut illorum fructus, tanquam sancti sacerdotes, Deo per orationes offerrent. Filium vero suum tandem post Prophetas, Christum videlicet, misit. Quæres porro quomodo qui Filium suum mittit dicit quidem : « Ve» rebuntur filium meum[5]; » at quasi quæ ei eventura erant animo non præciperet, illud dicit; nam juxta Scripturæ contextum, illum minime veriti videntur : at missi Filii Patrem quæ futura erant non prævidisse, sed falsum animi fuisse cum alia prænuntiasset, alia contigissent, impium foret hic illud respondere : rursum autem dicere veritos illum fuisse colonos, omnem superat verisimilitudinem : « Agricolæ enim » videntes filium ejus, dixerunt intra se : Hic est hæres[6], » et cætera. Respondebit ergo ad id aliquis, necessarium fuisse ut id contingeret : « Verebuntur filium meum[7], » quamvis tunc non contigerit : at alius inquiet non dixisse Patrem

[1] 3 Reg. xxii, 24. — [2] Matth. xxiii, 35. Luc. xi, 51. — [3] 2 Par. xxiv, 20, 21, 22. — [4] Matth. xxi, 36. — [5] Ibid. 37. — [6] Ibid. 38. — [7] Ibid. 37.

cum Filium mitteret : Fructum a colonis filius meus recipiet, sed, *verebuntur;* reveritos quippe reipsa esse, cum filium hunc esse cognoverunt, et intra se dixerunt : *Hic est hæres;* at quamvis reveriti sint, et initio fuerint perculsi, ita tamen se non gessisse quasi eum revererentur.

Simul vero quæsiverit quispiam, quinam hi sunt coloni qui dixerunt : « Hic est hæres, venite, occidamus eum[1]; » nec enim eum tanquam filium patrisfamilias Judæos occidisse videri. Ac super his quidem dicere queat aliquis, cum simul colloquentes quisnam ille esset disquirerent, eum esse Christum nonnullos pronuntiasse; his autem respondisse alios : « Christus cum venerit, nemo scit unde sit; » hunc autem scimus unde sit[2]; » tum demum quoniam signis, et prodigiis, et virtutibus divinis perculsi, ipsum quidem Christum Dei esse sentiebant, sed minime fatebantur, verum fuisse illud : « Verebuntur filium meum[3]; » necnon et vere illud dictum fuisse, postquam filium hunc esse cognoverunt : « Hic est hæres, venite, occidamus eum; » idcirco dicere Servatorem : « Et me scitis, et unde sim scitis[4]. » Quod si quis animum ad ea adverterit quæ de Herode dicta sunt, postquam natum esse Judæorum regem a Magis rescivit, Sospitatoris interfectores, postquam filium hunc esse noverunt, haud secus insidiari illi potuisse comperiet. Cum enim a Scribis didicisset Herodes nasciturum in Bethleem Christum, quique ibi natus erat Christum esse assensisset, eos quidem mittit dicens : « Ite et interrogate diligenter de » puero, ut et ego veniens adorem eum[5], » nihilominus tamen postquam recesserunt illi, insidias puero struxit, Christum hunc non esse minime credens; nec id enim minime credens « occidit omnes pueros qui erant in Bethleem et in » omnibus finibus ejus, a bimatu et infra, secundum tem-

[1] Matth. XXI, 38. — [2] Joan. VII, 27. — [3] Matth. XXI, 37. — [4] Joan. II, 28. — [5] Matth. II, 8.

» pus quod exquisierat a Magis[1] : » sed et Christum a Prophetis prædictum hunc esse credidit, eumque interficere voluit, et quantum in se fuit interfecit. Pari igitur ratione, qui Sospitatori insidiati sunt, dicere potuerunt, non ita tamen ut ad alios usque sermo ipsorum perveniret, « dixerunt » *enim* intra se : Hic est hæres[2], » nec secius tamen ipsum interfecisse. Occiso enim Christo, neque resurrectionem ipsius cognoscentes, « si enim cognovissent, nunquam Do» minum gloriæ crucifixissent[3], » dominos rerum futuros se existimaverunt, postquam ipsos malitia sua excæcavit, et mysteria Dei minime cognoverunt, et quasi ea non cognoscentes, ipsius Filium « ejecerunt extra vineam, *et eum* oc» ciderunt[4]. » Illud porro : Eum *ejecerunt extra vineam*, id sibi velle mihi videtur, alienum hunc et a vinea et ab agricolis, quantum in se fuit, ipsos judicasse, quando eum calculo suo capitis damnabant. Hos deinde, qui nefarii coloni et ipsi sunt, interrogat Sospitator dicens : « Cum ergo ve» nerit dominus vineæ, quid faciet agricolis illis[5] ? » Illi autem ex ore suo judicandi et condemnandi, ut mali male perituri, et eloquia Dei non amplius habituri, « aiunt illi : » Malos male perdet ipsos, et vineam suam locabit aliis » agricolis, qui reddent ei fructum temporibus suis[6] : » et quemadmodum Caïphas, anni illius pontifex maximus, non ex se verum protulit, sed quia pontifex maximus erat[7] ; ita illi quasi vaticinantur. Vaticinantur autem de gentibus, futurum ut patrifamilias fructus reddant temporibus suis.

« Et cum[8] audissent principes sacerdotum et Pharisæi » parabolas ejus, cognoverunt quod de ipsis diceret. Et quæ» rentes eum tenere, timuerunt turbas, quoniam sicut pro» phetam eum habebant[9]. » Cum audissent principes sacer-

[1] Matth. II, 16. — [2] Id. XXI, 38. — [3] I Cor. II, 8. — [4] Matth. XXI, 39. — [5] Ibid. 40. — [6] Ibid. 41. — [7] Joan. XI, 49, 51.

[8] N. 13, 14. p. 786-788.

[9] Matth. XXI, 45, 46.

dotum et Pharisæi parabolas ejus, quarum alterius initium illud erat : « Homo quidam habebat duos filios[1] ; » alterius vero : « Homo erat paterfamilias qui plantavit vineam[2], » de se ipsum loqui cognoverunt : altera quidem parabola, quia dixit secundus filius : « Ego, Domine, et non ivit[3] ; » alia vero, quia postquam ipsa contra priores agricolas sceleris reos pronuntiata est juxta Scripturæ contextum, subnexum est illud : « Auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti » facienti fructus ejus[4] : » eumque de se loqui comperientes, illi manus quæsiverunt injicere, et quam pessimis possent modis tractare ; at minime valuerunt, quoniam multitudinis ac turbarum, quæ Jesum prophetæ loco habebant, impetum sustinere non poterant. Et quicumque profecto insidiose Verbum volunt apprehendere, ut apprehensum illud apud se de medio tollant, haudquaquam ei manus possint injicere, turbis scilicet a quibus propheta aliquis Dei existimatur, eos retrahentibus qui ipsum comprehendere et insidiis appetere volunt. Sciendum est deinceps, eorum esse discrimina qui Jesum tenere volunt ; aliter enim principes sacerdotum et Pharisæi ipsum tenere satagebant ; aliter sponsa cujus in Cantico Canticorum mentio fit, postquam ipsum quæsivit, et surrexit, et circuivit civitatem per fora et plateas, vix ipsum invenit, cum paululum custodes præteriit, quique ipsum in civitate circuibant, eumque repertum tenuit, quando scilicet ait : « Tenui eum, nec dimittam eum, » donec introducam illum in domum matris meæ, et in cu» biculum genitricis meæ[5]. » Quin et ipsa sponsa initio Cantici Canticorum, « tenui eum, *inquit,* in domum matris » meæ, et in cubiculum genitricis meæ ; » sub finem autem ejusdem libri, ut quæ progressum fecerit, eumque alio quodam modo, meliusque quam antea, tentura sit, ait : « Dixi,

[1] Matth. xxi, 28. — [2] Ibid. 33. — [3] Ibid. 30. — [4] Ibid. 43. — [5] Cantic. iii, 2, 3, 4.

» Ascendam in palmam, et apprehendam cacumina ejus[1]. » ....Atque hæc a nobis dicta sint propter illud : « Et » quærentes eum tenere, timuerunt turbas, quoniam sicut » prophetam eum habebant[2]. »

Verum, etiamsi Jesum laudibus ac votis prosequantur turbæ, aliquid veri de eo quidem sentiunt, ipsius tamen magnitudinem non assequuntur ; propheta quippe etiam erat Jesus, quemadmodum ei liquet qui hæc perpenderit : « Prophetam de fratribus vestris, sicut me, suscitabit vobis » Dominus Deus vester : ipsum audite in omnibus quæ lo- » quetur propheta ille; qui autem prophetam hunc non audie- » rit, exterminabitur[3]. » Quanquam non in eo sita erat ipsius excellentia, quod esset propheta ; sed quod Filius esset Dei, « primogenitus omnis creaturæ, et imago Dei invisibilis, in » quo condita sunt universa in cœlo et in terra, sive visibi- » lia, sive invisibilia[4], » et cætera : et in eo præcipue continebatur ipsius excellentia, quod Sapientia esset dicens : « Deus possedit me initium viarum suarum in opera sua, » antequam quidquam faceret, et ante sæculum fundavit » me in principio antequam terram faceret[5], » et reliqua. Hanc porro multitudinem ita de eo sentientem, et pro eo decertare paratam adversus ipsius hostes, timent sacerdotum principes et Pharisæi, et quamvis insidias struant volentes ipsi manus injicere, comprehendere tamen nequaquam possunt. Hic sane scriptum est : « Quoniam sicut » prophetam eum habebant[6] ; » illud vero amplius addere queas, quamvis juxta Scripturæ contextum tanquam prophetam eum turbæ non habeant, quoque eum loco tandem habeant, longe infra ipsius dignitatem de eo sentire, ne tantillam quidem cognitionis eorum partem assequentes qui eum ex parte cognoscunt, neque de eo quidquam aperte

[1] Cant. III, 7, 8. — [2] Matth. XXI, 46. — [3] Deut. XVIII, 15, 19. — [4] Coloss. I, 15, 16. — [5] Prov. VIII, 22, 23. — [6] Matth. XXI, 46.

intelligentes. Hoc autem de iis dico qui vera de eo sentiunt. Non autem hi pro eo stare existimandi sunt, qui Deo gloriam ac honorem exhibere se credentes, falsa de ipso sibi fingunt; cujusmodi sunt qui Patris ac Filii notionem confundunt, et unam Patris ac Filii hypostasin esse statuunt, sola cogitatione et nominibus solis unam eamdemque rem dividentes; neque sane pro illo stant hæretici qui magna de ipso sentire credentes iniquitatem in sublime loquuntur, et Conditori obtrectant; cum eo quippe non sunt, et idcirco adversus eum sunt : « Qui enim, *inquit,* non est me» cum, contra me est[1]. » Similiter autem quamvis in nomine Jesu congregent, qui vera de Filio non sentiunt, spargunt potius quam congregant; ait quippe Servator : « Et qui » non congregat mecum, spargit[2]. » Animadverte autem dictum non fuisse simpliciter : «Qui non congregat, spar» git; » sed cum cauto hoc et exquisito additamento, *mecum ;* oportet enim ut qui congregat congreget cum eo.....

§ IV.

De accersitis ad nuptias.

« Et[3] respondens Jesus, dixit iterum in parabolis eis, di» cens : Simile factum est regnum cœlorum homini regi, » qui faciens nuptias filio suo, misit servos suos[4], » et cætera usque ad id : « Multi enim sunt vocati, pauci vero electi. » Hæc quoque parabola levius simpliciusque intellecta facilis esse videbitur, et aperta, in qua nimirum homo rex tropice Deus et Christi pater esse dicitur; nuptiæ autem filii regis, Ecclesiæ Christi sponsæ sponso ipsius Christo restitutio; servi vero ad vocandos eos missi qui ad nuptias fuerant in-

[1] Matth. XII, 30. — [2] Ibid.
[3] N. 15-17. p. 791-795.
[4] Matth. XXII, 1, 2, 3 et seq.

vitati, ii sunt prophetæ vaticiniis suis eos qui e populo sunt ad lætitiam tempestive convertentes, quæ pro Ecclesia Christo restituta ducebatur; qui autem priores accersiti venire noluerunt, hi sunt qui prophetarum sermonibus minime paruerunt; at missi servi alteri, alius est prophetarum cœtus; paratum vero prandium, in quo tauri regis et altilia mactata fuerant, solidi erant et rationales Dei mysteriorum cibi. Similiter parata omnia, sermones sunt de rebus universis agentes, quos cum advenerit quod perfectum est, comedent ac bibent qui vocationem fuerint secuti. Quoniam autem ex iis qui accersebantur per prophetas, ipsorum sermones aliqui negligebant duntaxat, et ad res profanas et mundanas attendebant, nihil autem mali adversus ipsos designabant, propterea eorum differentiam aperire volens dixit : « Illi autem neglexerunt, et abierunt, alius in villam » suam, alius vero ad negotiationem suam. Reliqui vero te» nuerunt servos ejus, et contumeliis affectos occiderunt[1]. » Deinde juxta rudiorem hanc expositionem, ira regis ea intelligitur, cujus de Judæis loquens Apostolus mentionem facit : « Pervenit autem ira super illos usque in finem[2]. » Ad hæc bellum adversus Judæos movendum, et Jerosolymitanum excidium, populique post Christi adventum cædes his verbis prænuntiatur : « Et misso exercitu suo perdidit homi» cidas illos, et civitatem illorum succendit[3]. »

Illud autem : « Tunc ait servis suis : Nuptiæ quidem pa» ratæ sunt, sed qui invitati erant non fuerunt digni. Ite » ergo ad exitus viarum, et quoscumque inveneritis vocate » ad nuptias[4], » referri potest ad Jesu Christi apostolos Judæis dicentes : « Vobis oportebat annuntiare verbum Dei; sed » quoniam indignos vos judicatis, ecce convertimur ad gen» tes[5]. » Res ergo extra Israëlem collocatæ, exitus sunt via-

[1] Matth. xxii, 5. — [2] 1 Thess. ii, 16. — [3] Matth. xxii, 7. — [4] Ibid. 8, 9. — [5] Act. xiii, 46.

rum, in quibus qui ab Apostolis inveniuntur vocantur ad nuptias, congregantibus Apostolis quoscumque repererint; reperiebant autem eos qui sibi aurem præbebant; et cum vocarent, an qui accersebantur ante vocationem nequam probine fuissent, susdeque habebant; quoscumque enim reperissent, vocabant. Hic autem probi simpliciter dici modestissimi quique censendi sunt, ex iis qui Dei cultui se addicunt, quibus hæc Apostoli verba accommodare queas : « Cum autem gentes quæ legem non habent naturaliter ea » quæ legis sunt faciunt, ejusmodi legem non habentes ipsi » sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cor- » dibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipso- » rum[1]. » Et Christi quidem cum Ecclesia impletæ sunt nuptiæ, et eorum restitutio qui ab Apostolis inventi fuerant, et qui ut nuptiarum fruantur lætitia discumbunt. Deinde, quoniam mali probique accersendi erant, non ita tamen ut in nequitia improbi perseverarent, sed ut, mutato habitu et depositis vestibus nuptiali celebritati minime convenientibus, nuptiales induerent, « viscera *nimirum* misericor- » diæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam[2]; » ea siquidem sunt nuptialia vestimenta; idcirco ad videndos discumbentes ingreditur rex, antequam instructum ipsis prandium, tauros scilicet, et occisa altilia, et omnia parata apponat : ut re perspecta, qui vestem nuptialem habuerint retineat ac oblectet; qui secus autem, condemnet. Ingressus ergo, aliquem ex vocatis et vocationi obsecutis pristinos suos mores minime mutasse, neque nuptiali veste indutum esse comperit, « et ait illi : Quomodo huc intrasti non ha- » bens vestem nuptialem[3]? » Deinde quoniam qui peccavit, neque renovatus est, et Dominum Jesum Christum non induit, utpote nullam excusationis ansam habens, obmutescit; idcirco illud scriptum est : « At ille obmutuit[4]. » Neque vero

[1] Rom. II, 14, 15. — [2] Coloss. III, 12. — [3] Matth. XXII, 12. — [4] Ibid. XII.

e nuptiis expelli satis est qui nuptias dehonestavit; oportet enim ut a regis ministris qui vinculis præfecti sunt, colligata ejus nequitia qua præter fas usus est, industriaque qua boni nihil egit, non a nuptiis dejiciatur solum, sed in locum etiam lumine carentem relegetur, ubi tenebræ sunt quantum pote profundæ, et exteriores tenebræ dictæ. Quod si quis ergo nostrum, qui a rege vocatus ad nuptias filii ipsius venerit, obtemperasse et cum vocatis venisse videatur, minime tamen vestem illam nuptialem de qua diximus induerit, hæc perpetietur, et pedibus manibusque constrictus mittetur in tenebras exteriores; ubi, juxta illud : « Væ vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis et flebitis[1], » fletus eos manet qui fletu ac luctu digna commiserint; flebunt autem calamitates suas lugentes. Deinde ut timorem, tremorem, tristitiam, ac labores quos patientur qui veste nuptiali induti non fuerint, declaret Verbum, ait : « Ibi erit fletus, » neque solum fletus, sed et « stridor dentium[2]. » Et ut multos vocatos esse, non omnes autem, sed paucos ex ipsis venisse doceat, toti demum parabolæ id subjungitur : « Multi enim » sunt vocati, pauci vero electi[3]. »

Hæc igitur super parabola rudiori minerva dicta sint : eam autem repetitam pro virium quibus nunc pollemus modulo expendere conabimur, si modo sapientiæ spiritu adjuti, penitiores ac profundiores sensus a nobis super parabola repertos astruere, et juxta rationem reticere, vel obscure significare, vel aperte explicare possimus. Regnum ergo cœlorum, quantum ad regnantem, homini regi assimilatum est; quantum autem ad eum qui una cum rege regnat, ipsius filio; quantum autem ad ea quæ regis potestati subdita sunt, servis, et iis qui ad nuptias vocati sunt, quorum hi ingredi noluerunt, illi vero ingredi negligentes « abierunt, alius in villam suam, alius vero ad negotiationem

[1] Luc. vi, 25. — [2] Matth. xxii, 13. — [3] Ibid. 14.

» suam, alii vero tenuerunt servos ejus, et contumeliis affec» tos occiderunt[1]. » Præterea ex iis est quæ regis imperio parent ipse regis exercitus, quique ex viis congregati sunt mali ac probi donec discumbentibus completæ sint nuptiæ, quique inter discumbentes vestem nuptialem non habet, ac ministri item quibus jussum est ut manibus ligent eum ac pedibus qui vestem nuptialem non habet, et in tenebras exteriores mittant. Scribi quidem poterat : « Simile factum est » regnum cœlorum regi[2], » absque additamento hocce, *homini;* sed quoniam illud, *homini*, adjectum est, id quoque necessario venit explicandum, quod ita, meo quidem judicio, expositum est. Quidam, a quo jam ante conscriptus est liber legum sanctarum allegorias complectens, cum voces quibus humanæ conditionis particeps declaratur Deus explicaret, atque eas item quibus ipsius astruitur divinitas, homini similem dici Deum humanæ naturæ curam gerentem ostendere volens, uno hoc loco usus est : « Portavit te » Dominus Deus tuus ut solet homo gestare parvulum filium » suum[3] : » ut autem homini Deum similem non esse patefaceret, unum hunc protulit : « Non est Deus quasi homo, » ut suspendatur[4]. »

.........Is certe[5] qui homini regi assimilatus est, nuptias filio suo faciens, « misit servos suos vocare invitatos ad nup» tias[6] : » at observabis an quemadmodum sponsa quæ nubit alia est a servis accersentibus, et ab iis qui ad nuptias accersiti sunt; ita et in mysticis rebus aliqui ad novæ nuptæ collocationem assumuntur; alii autem in servorum ordinem, qui invitatos ad nuptias accersitum mittuntur; ac præter illos demum tertii, qui nempe ipsi ad nuptias invitati sunt : verum diversos animarum ordines, vel simul facul-

[1] Matth. XXII, 5 et 6. — [2] Ibid. 2. — [3] Deut. I, 31. — [4] Num. XXIII, 19.
[5] N. 21-29. p. 799-812.
[6] Matth. XXII, 3.

tatum quibus pollent, Deus noverit, necnon et causas propter quas ad sponsæ collocationem assumantur illi, alii inter eos qui vocationi huicce ministrant, atque alii demum inter ipsos invitatos. In spiritualibus autem nuptiis animadverte consuetudinem Verbi sponsi, unde fœtus tempestive exoritur, cum anima sponsa quæ Verbo nupsit, ab eoque vitiata ac corrupta non est, sed quotiescumque cum sponso consuescit, corruptionis immunitatem concipit, et qualem ex ejusmodi nuptiis nasci progeniem par est, rationales nempe fœtus enititur.

In ejusmodi item nuptiis ad paratum ex solido in spiritualibus rationalibus cibo prandium mentem adverte : cujus cibi solidiorem partem tropologice significatam intelligito per tauros; quod autem spirituale in hac eadem contemplatione continetur, per mactata altilia; aliam autem varietatem, spiritualem nempe contemplationem quæ pro rerum corporearum ratione fit, per hæc verba : « Et omnia pa» rata[1] : » tale siquidem prandium rex copiis omnibus, uti regem decet, affluens instruit, pro regia sua dignitate et opibus. Prior certe ad nuptias invitatio, ad Israëliticas quasdam generosiores animas mihi videtur pertinere. Qui enim perspicaciori pollent ingenio, eos a vocatoribus per disciplinæ verba ad beatum illud epulum præ reliquis accersitos vult Deus venire : hos autem videre licet vocationi minime obsequentes venire nolle, et alii propterea mittuntur servi eos accersituri qui venire recusant, et promissuri futurum ut si invitati venerint, parati a rege prandii participes fiant, necnon et taurorum qui inter munda mundis omnibus majores sunt, et vario ac multiplici argumento saginatarum super unaquaque quæstione cogitationum; nam quasi saginatum, vel dissectum, quique in tropologia mactatus dicitur, sermonem proponit, qui super proposita quæstione

[1] Matth. xxii, 4.

multiplex profert ac perfectum argumentum : quemadmodum si sublesta quædam et infirma probandis quæstionibus proferri argumenta fingamus, quibus eæ valide confirmari videantur, tenuia sane sunt ac exilia, et ut convenienter hæc appellem, macilenta ac strigosa quæ mactata sunt : at non ejusmodi sunt quæ in regis prandio fuerunt parata, in quo inquit : « Tauri mei, et altilia occisa sunt, et omnia *itidem* » parata[1], » ut stantibus pueris, et ministrantibus spiritualibus pincernis, ea potissimum ordine servato prandio inferat famulus unusquisque, quæ ministrare didicit. Secundos autem, ita ut dixi, juxta parabolam adhortans, id ait : « Ecce » prandium meum paravi, tauri mei, et altilia occisa sunt, » et omnia parata : venite ad nuptias[2]. »

At qui priores invitati sunt, quasi mentis inopes, « neglexerunt, et abierunt[3], » rerum suarum satagentes, iisque magis delectati quam quæ sibi a rege per missos servos promissa fuerant. Nota autem aliquem ex iis villam sibi possidentem ad nuptias non ivisse; hunc autem negotiationi deditum ea quodammodo imitari voluisse quæ in parabola de margaritarum mercatore dicuntur, pulchras quærente margaritas, qui, inventa pretiosa una, plures alias vendit ut unam illam mercetur[4]. Verum infausta ea est negotiatio, ad quam abiens qui, invitatus est, parati a rege prandii occisorumque taurorum et altilium, paratorumque omnium particeps non fuit. Ex iis ergo qui perspicacitate pollent, quotquot invitati non obsequuntur, servos tamen ad vocandum missos contumelia non afficiunt, neque trucidant, moderatiores iis sunt qui talia designare fuerunt ausi, ac æquiores, et is quidem in agrum suum, ille vero ad negotiationem suam quiescendi causa contendit. Reliqui vero præter istos quinam sint, videamus : hi mihi sane ad contentiosos sermones captiososque struendos sese demisisse videntur; in

[1] Matth. XXII, 4. — [2] Ibid. — [3] Ibid. 5. — [4] Id. XIII, 45, 46.

quibus missos servos, ad solvenda sophismata minime paratos, vel superantes, vel superare visi, vocationis ministros contumeliis afficiunt. Ac eos quidem qui divinorum sermonum tractationi addicti sunt, et illos cum sapientia divina prædicare volunt, a viris ingenii acumine præditis, veritati autem fidem accommodare nolentibus, injuria affectos videre licet; nonnullos etiam ab iis interfectos, quibus rex succensere dicitur, postquam videlicet id quod ira dicitur in eos pervenerit[1]. Iræ autem effectus ille est, regis exercitum mitti, cœlestis nempe exercitus copias, vel præfectos suppliciis angelos : hi autem ministrorum Verbi interfectores de medio tollunt, universamque eorum civitatem rex concremat; nam quasi civitatem quamdam et collectionem sigillatim efficiunt congregatorum in sapientia principum sæculi hujus dogmata, quam velut malis constantem ædificiis succendit rex ac delet : et si quando falso nominatam scientiam, vel quosvis sermones veritatem profitentes, pessundatos ac valide confutatos videris, id a Dei exercitibus hostium veritatis urbes succendentibus factum esse dicere ne pigeat. Sane Judaïcæ quoque doctrinæ civitas post Christi adventum concremata est, qua succensa servis suis, Apostolis nempe Christi, vel Angelis Dei vocationi gentium præfectis, dixit rex : « Nuptiæ quidem paratæ sunt, sed qui » invitati erant non fuerunt digni. Ite ergo ad exitus via» rum, et quoscumque inveneritis vocate ad nuptias[2] : » et ex omni quidem publica ac plebeia via, necnon ex pervagatis dogmatibus gentium, et civitatum, et villarum, et locorum usu receptis, invitatos ad nuptias homines videre est, ab iis quibus id agendi negotium datum est. Egressi autem servi, Christi nimirum Apostoli, sive e Judæa, sive Jerosolyma, sive ab interioribus finibus, intra quos erant beati angeli, postquam ad vias devenerunt, quoscumque in-

[1] 1 Thess. II, 16. — [2] Matth. XXII, 8.

venerint homines nequam et congregarunt, ac porro congregabunt, ut nequitia sua, nuptiis videlicet minime idonea veste, deposita, et veste nuptiali cum iis induti qui boni appellantur, nuptiale convivium se discumbentibus impleant.

Postquam ergo « impletæ fuerint nuptiæ discumbentium[1], » et conquiescentium in fide ac pietate, tunc ingredietur rex ut discumbentes videat, deque iis sententiam ferat, ut qui nuptialem vestem non habet, correptum eum puniat; aliis vero, instructum prandium, et mactata altilia, cum tauris, reliquisque omnibus a se paratis, apponat. Unum autem veste nuptiali non indutum vidit, sub unico genere vel specie universos comprehendens qui nequitiam sibi ante fidem adhærescentem retinuerunt, eamque minime exuerunt; atque hunc quidem coarguit, ut qui male egerit ad ejusmodi nuptias ingredi ausus veste nuptiali non assumpta, virtutis nempe amictu, splendido vestimento, de quo Salomon in Ecclesiaste præcepit dicens : « Omni tempore sint vestimenta tua candida[2]. » At obmutescit is qui absque nuptiali veste in magnificas hasce nuptias ingredi ausus est, neque quidquam proferre potest : qui ut pœna ac damnatione dignus ab eo condemnatur qui ministris edicit, aliis nempe ab exercitibus de quibus supra dictum est, ut colligatum ipsum pedibus manibusque, quibus recte et uti par erat usus non est (nec enim ita uti decuerat ambulavit, neque ea quæ decuerat egit), non extra nuptiale duntaxat convivium, sed in tenebras etiam exteriores et omni cassas lumine ejiciant; ut postquam in exterioribus tenebris fuerit versatus, lumen sitiens, ad Deum qui beneficium in eum conferre, atque inde illum liberare potest, fleat, infrendatque dentibus, qui propter nequitiam suam uvam acerbam comederunt, atque idcirco obstupuerunt : « Qui

[1] Matth. XXII, 10. — [2] Eccles. IX, 8.

» *enim* comedit uvam acerbam, obstupescent dentes ejus [1]. » Per acerbam porro uvam ejus nequitiam designari credendum est qui ad ulteriora non contendit, sed eodem permanet loco, cum ad maturitatem contendere deberet, et virtutis uvam dulcem efficere. Quod autem invitentur plerique, digni autem nequaquam fiant, toti parabolæ id subnectit : « Multi enim sunt vocati [2] ; » at propter eos qui ad nuptias ingressi, et pauci numero cum essent, discubuerunt, illud : « Pauci vero electi. » Quod si quis numerosos ecclesiarum, ut simplicioribus utar verbis, cœtus consideret, quotque piam ac rectam vitam ducant et « reformati sint in novitate » sensus [3], » quotque segniter vivant « et conformentur huic » sæculo ; » tum demum utilitatem comperiet dicti hujus a Servatore prolati : « Multi enim sunt vocati, pauci vero » electi. » Alibi vero dictum est : « Multi quærent intrare, et » non poterunt [4] ; *et :* Contendite intrare per angustam por- » tam, quia pauci sunt qui inveniunt eam [5]. »

§ V.

De iis qui de censu interrogaverunt.

« Tunc abeuntes Pharisæi consilium inierunt adversus » eum, ut caperent eum in sermone [6] ; » et reliqua usque ad id : « Et relicto eo abierunt. » Loci hujus, juxta ipsius contextus verba, hæc mihi videtur esse sententia. Judæi, utpote peculiarem, secundum Mosis legem, doctrinam, et diversam a gentium instituto vitæ rationem tuentes, illudque dogma observantes : « Usque ad mortem certa pro ve- » ritate, et Deus pugnabit pro te [7], » ne legem Dei violarent, victricibus sui gentibus adversabantur ; et sæpe in præsentissimum vitæ discrimen adducti sunt, cum Romanis, qui

[1] Jer. xxxi, 30. — [2] Matth. xxii, 14. — [3] Rom. xii, 2. — [4] Luc. xiii, 24. — [5] Matth. vii, 13, 14. — [6] Id. xxii, 15 et seq. — [7] Eccli. iv, 33.

propter Judæorum peccata superiores ipsis evaserant, Cæsaris statuam templo Dei inferre volentibus palam obsisterent. Ac sub Pontio quidem Pilato valde periclitatum esse populum ex conscriptis Tiberii Cæsaris tempore historiis discimus, cum statuam Cæsaris in templo consecrare omni ope contenderet Pilatus, hi autem supra vires etiam suas reluctarentur. Idem quoque Caii Cæsaris temporibus contigisse scriptis traditum est. Suspicamur autem nihil factum ejusmodi quamdiu populo provisum est, atque dicta a Prophetis sepe vallata erat « vinea Domini, domus Israël, et » vir Juda germen ejus delectabile[1]. » Quod autem omnem superat fidem, primus ipse templum Dei violare ausus est Pilatus, cui Jesum tradiderunt. Sospitatoris itaque temporibus cum tributum Romanis pendere jussi sunt Judæi, de eo inter Judæos disputatum deliberatumque est, utrum consecratam Deo gentem, quæ ipsius esset portio, tributum principibus solvere consentaneum sit; an pro libertate certare, si vitam pro arbitrio ducere non liceat, et tributum minime pendere. Fertur autem docuisse Judas Galilæus, cujus in Apostolorum Actis mentionem facit Lucas, ad defectionem impulsa ingenti Judæorum multitudine, Cæsari nequaquam pensitandum esse vectigal, neque dominum hunc appellandum. At qui tunc præerat tetrarcha populo persuadere conabatur præsenti rerum statui sese ut accommodaret, nec voluntarium contra potentiores bellum susciperet, et vectigalia solveret. Ac talia quidem præsenti hocce Evangelii loco non aperte declarantur; at qui proposita contextus verba accurate explorare valuerit, hæc ita se habere facile inde comperiet. Cum enim Jesum in sermone illaqueare vellent Pharisæi, missis ad eum discipulis suis cum Herodianis, ut ab eo sciscitarentur liceretne censum dare Cæsari, annon, illaqueandi ejus locum minime habuissent,

[1] Isai. v, 7.

si dandum eum esse in confesso fuisset, vel si dandum non esse omnes consensissent.

At vide annon vel ex eo historiæ hujusce veritas eluces-cat, quod cum Jesum in sermone illaqueare vellent Pharisæi, non discipulos duntaxat suos de censu quæsitum miserint, sed cum Herodianis. Veri quippe simile est qui tributum Cæsari in populo pendi vellent, Herodianos ab iis fuisse appellatos qui id nequaquam faciendum esse statuebant. Qui autem, libertatis specie ducti, quominus vectigal Cæsari pensitaretur impediebant, ii fuisse videntur Pharisæi Judæorum disciplinas accuratius rimantes ac tuentes. Quod si quis hæc nequaquam ita se habere censet, id explicet ac conciliet, curnam illaqueare eum in sermone volentes, suos discipulos, necnon et Herodianos, de censu quæsituros mittant Pharisæi. Sive enim dandum esse tributum Cæsari sanxisset Servator, sive non, cujusmodi is fuisset laqueus responsioni ejus prætensus; nisi, ita ut diximus, impediente eo quominus census Cæsari daretur, eum quasi defectionis auctorem ac impulsorem Romanis tradituri fuissent Herodiani; permittente vero, accusaturi Jesum fuissent Pharisæi, quasi personam hominis potius respiceret, quam viam Dei in veritate doceret? Apud te autem id cogita, Pharisæorum discipulos dicentes : « Magister, scimus » quia verax es, et viam Dei in veritate doces, et non est » tibi cura de aliquo; non enim respicis personam homi- » num [1], » ejusmodi laude eum quasi dehortari ne Herodianorum personam respiciat, eorumque qui a Cæsaris partibus stabant, ut juxta Pharisæorum sententiam tributum Cæsari non esse solvendum affirmans, Herodianis ab ipsis traderetur. Quin et illud attende : « Cognita autem Jesus » nequitia eorum, ait : Quid me tentatis, hypocritæ [2]? » Se ergo a Pharisæis callido ac vafro animo ad se accedenti-

[1] Matth. XXII, 16. — [2] Ibid. 18.

bus tentari sciebat, ut quidquid ipse respondisset, ex sua responsione insidias sibi instruerent. Hæc ergo in hunc præsentis Evangelii locum ad litteram dicta sunto, quibus consonant quæ a Marco et Luca super iisdem rebus allata sunt, quemadmodum ex Evangeliorum inter se collatione ac comparatione existimare potes; nec aliam enim ac istam super hoc loco Matthæus profert sententiam, nec Marcus quoque itidem ac Matthæus. Simul autem ad ea quæ jactantur a multis, propterea que honorifica videntur esse, minime sub pietatis in Deum specie attendere a Sospitatore nostro docemur, sed ad ea quæ disquisitione et studio, necnon et rationis consequentia astruuntur ac probantur. Observa enim quæstione hac proposita, an dandus esset Cæsari census, necne, opinionem suam simpliciter eum non protulisse, sed cum dixisset: « Ostendite mihi numisma census[1], » cujus esset imago ac superscriptio quæsivisse, et cum Cæsaris esse dicerent, Cæsari quæ sua forent poscenti reddenda esse, neque pietatis specie hunc iis esse fraudandum respondisse. Non autem quæ Cæsaris sunt Cæsari reddere licet, quæ Dei autem sunt Deo reddere fas non est; nec quæ Cæsaris sunt Cæsari reddens quispiam, quæ Dei sunt Deo reddere prohibetur.

Hunc autem locum tropologice sic interpretari potest aliquis. Ex corpore et anima conflati sumus; quod autem spiritu etiam constemus, id impræsentia dicere supersedeamus. Corporum autem principi, qui Cæsar dicitur, quoddam veluti tributum pendere debemus, corpori videlicet necessaria, quæ corpoream corporum principis imaginem continent; ea autem sunt alimenta, et vestes, et necessaria quies, ac somnus. Quoniam autem anima ad imaginem Dei a natura comparata est, alia animæ naturæ ac substantiæ convenientia, ac congrua ipsius regi, Deo scilicet, debemus;

[1] Matth. XXII, 19 et 20.

ea autem sunt ad virtutem ducentes viæ, et gesta virtuti consona. Legis ergo Dei doctores de rebus ad corpus pertinentibus ipsique debitis eadem non sentiunt. Qui enim corpus quantum pote jejuniis et vigiliis macerant, rerumque omnium abstinentia quas corpus et necessariæ ipsius functiones postulant, idem propemodum faciunt ac qui tributi Cæsari non solvendi auctores sunt. Alii vero sunt præterea qui res hoc loco propositas obscure interpretantur; corpori autem pendendum esse debitum sibi fingunt. At Sospitator noster, qui Verbum Dei est, congrua corpori debita ab animæ debitis distinguens, ait : « Reddite quæ sunt » Cæsaris, Cæsari; et quæ sunt Dei, Deo[1] : » imaginem quippe Cæsaris corporearumque rerum præfert tributum, quod solum, neque quidquam amplius, corpori debemus.

Aliam autem etiam pervulgatam loci hujus interpretationem teneo. Princeps sæculi hujus tropologice nuncupatur Cæsar; at rex sæculorum, nullo occultus symbolo, Deus ubique appellatur. Quandoquidem ergo quædam habemus quæ principis sunt sæculi hujus, hoc est, quæ a nequitia profluunt, neque Deo reddere possumus quæ Dei sunt, nisi prius, depositis quæcumque oriuntur ex nequitia, quæ Cæsaris sunt Cæsari reddiderimus; idcirco Servator, ostenso sibi numismate, ipsique impressa imagine, ait : « Reddite » quæ sunt Cæsaris, Cæsari; et quæ sunt Dei, Deo. » Atque hæc quidem hoc loco consideremus, quia si quando ab iis tentati qui occasiones quærunt, et quæstiones proponunt, non discendi causa, sed ut nos pro virili coarguant, sermones nobis tentandis propositos audiamus, non penitus obmutescere, neque etiam temere, sed caute et considerate respondere debemus, ut omnem his ansam præcidamus qui occasiones quærunt, et quæ ad salutem conferunt eos inculpate doceamus qui ideo audiunt ut salutem indipiscan-

[1] Matth. XXII, 21.

tur. Pharisæi porro docendis variis Judæorum traditionibus assumi possunt; Herodiani autem ejus verbi causa, quod inter eos qui simpliciori modo appellantur Judæi, regiam obtinere potestatem a multis existimatur. Utrinque vero Sospitatorem de censu interrogant; is autem ipsis, ita ut a nobis supra dictum est, respondet : verum cum discendi causa ipsum non interrogent, sed ut eum in sermone illaqueent ac tentent, propterea accepta ipsius super sua quæstione sententia, nullamque sibi præbitam huic insidiandi occasionem demirati, non apud eum quidem, quemadmodum discipuli, manserunt; neque simpliciter abierunt, ut de aliis scriptum est, sed « relicto eo abierunt[1] : » ac ejusmodi quidem sunt qui, relicto Verbo, et fide ei non habita, postquam audierunt illud recedunt. Et vero de iis qui postquam audierunt, ab ipsa auditione deficiunt, non aberraverit profecto qui dixerit eos relicto Jesu abiisse; nos autem illud Sponsæ usurpabimus : « Tenui eum, nec dimisi » eum[2]. »

§ VI.

De Sadducæis, qui Jesum interrogaverunt de muliere quæ septem viris nupserat.

« In illo die accesserunt ad eum Sadducæi, qui dicunt » non esse resurrectionem[3], » et reliqua usque ad id : « Mi- » rabantur in doctrina ejus. » Paria his, vel sane eadem apud Marcum et Lucam non valde discrepantibus verbis narrantur. *In illo die,* quoniam die ? an quando « abeuntes Pha- » risæi consilium inierunt adversus illum, ut caperent eum » in sermone[4], » et ipsum de censu interrogarunt? Postquam enim Servator noster responsionem eis de censu dedit, et dixit : « Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari; et

[1] Matth. XXII, 22. — [2] Cant. III, 4. — [3] Matth. XXII, 23 et seq. — [4] Ibid. 15.

» quæ sunt Dei, Deo [1], » ipsiusque responsionem mirati sunt, verisimile est responsionum ejus perspecta prudentia existimasse Sadducæos, vel proposita quæstione palam facturos melioribus se niti argumentis, cum minime resurrecturos eos dicerent qui resurrectionem sperant; vel certe quomodo juxta Mosis scripta esse possit resurrectio, qualisque resurrectorum futura sit vita, sese discituros..... Sadducæi ergo, qui resurrectionem non esse sciscebant, non eam solum quæ a simplicioribus carnis resurrectio dicitur respuebant, sed et animæ non modo immortalitatem, at omnem etiam perseverantiam funditus tollebant, nullam animæ vitam post illam corporis in Mosis scriptis significari credentes. Eamdem autem de humana anima sententiam quam Sadducæi, ad hanc usque diem Samaritani tuentur, quique inter eos probare se Legis peritos volunt, et pro Mosis lege ac circumcisione ad mortem usque depugnant. Hoc autem de resurrectione placitum, quod nimirum tuebantur Sadducæi et Samaritani, futuram deinceps animæ vitam negantes, amplexi quidam, Apostoli temporibus, Corinthii, resurrectionem quoque non dari statuebant; de quibus id ipse scribit: « Si autem Christus prædicatur quod » resurrexit a mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, » quoniam resurrectio mortuorum non est [1]? » Quod autem mortuorum resurrectionem inficiantes Corinthii, juxta Sadducæorum sententiam, resurrectionem, hoc est, animæ perennitatem respuerent, his ostendit verbis : « Si in hac » vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores » sumus omnibus hominibus [2]. » Quod si diligenter perpenderis, videbis eum qui receptam ac creditam in Ecclesia mortuorum resurrectionem negat, etiamsi falso neget, non plane in hac vita tantum in Christo spem positam habere : nam si, ut id ponamus, vera non sit credita a multis resur-

[1] Matth. XXII, 21. — [2] 1 Cor. XV, 12. — [3] Ibid. 19.

rectio, non in hac vita tantum in Christo spem collocavit qui eam repudiat, si modo vivat anima, non illud quidem resumens corpus, sed ætherium aliud ac melius induens; sed nec « miserabiliores sumus omnibus hominibus, » si animam quidem vivere dicamus ac superesse, hoc autem corpus ipsi nequaquam circumponatur, illudque eam resumere non fateamur. Ut autem sententiæ huic plane adversari in priore ad Corinthios Apostolum amplius comprobemus, hoc etiam utemur loco : « Si omnino mortui non » resurgunt, utquid et baptizantur pro illis? utquid et nos » periclitamur omni hora [1] ? » necnon et illo : « Si (secun- » dum hominem) ad bestias pugnavi Ephesi, quid mihi » prodest, si mortui non resurgunt? Manducemus et bi- » bamus, cras enim moriemur [2]. » Demus enim verum esse quod credunt multi, dogma resurrectionem mortuorum asserens falsum esse, quomodo inde sequitur frustra nos pro animarum nostrarum salute decertantes periclitari? quomodo item nihil ille emolumenti capiet qui adversus bestias pro Christo pugnaverit? pro merito administratæ, prius autem corpus non resumat. Quo item pacto etiamsi minime futura sit carnis resurrectio, hæc inde consectaria sunt: « Manducemus et bibamus, cras enim moriemur ?» Hæc autem propterea non dicimus, quod fidem iis detrectemus quæ his apud Isaiam verbis conscripta sunt : « Videbit om- » nis caro salutare Dei [3] ; » vel quod habetur in Job : « Quia » Æternus qui solvere me debet super terram, et suscitare » pellem meam quæ tolerat hæc [4] ; » neque sane Apostoli dicto fidem negamus, quod tale est : « Vivificabit mortalia corpo- » ra vestra, propter inhabitantem spiritum ejus in vobis [5], » sed pro virili parte vocis hujus, *resurrectio,* significationem in præsenti Evangelii loco propositam repurgamus : unde

[1] 1 Cor. xv, 29, 30. — [2] Ibid. 32. — [3] Luc. iii, 6. — [4] Job, xix, 25. — [5] Rom. viii, 11.

et ex priore ad Corinthios deprompta allegavimus. « Accesserunt ergo ad Jesum Sadducæi, qui dicebant non esse resurrectionem [1]; » quo nimirum sensu resurrectionis vocabulum, uti tradidimus, usurpabant; « et interrogaverunt » *Dominum nostrum*, dicentes : Moyses dixit, Si quis mortuus fuerit non habens filium, ut ducat frater ejus uxorem » illius, et suscitet semen fratri suo. »

.....Isaias [2] quidem ait in prophetia : « Apprehendent septem mulieres virum unum in die illa, dicentes : Panem » nostrum comedemus, et vestimentis nostris operiemur; » tantummodo invocetur nomen tuum super nos, aufer opprobrium nostrum [3]. » Accedentes autem ad Servatorem nostrum Sadducæi, de septem viris qui unam duxerant uxorem prophetiæ contraria dicunt : figmentum autem videtur esse quæstio eorum, quibus id propositum est, ut per fictionem doctrinam de resurrectione subvertant, quique ex resurrectione consequi existimant ut unusquisque resurrectorum eamdem habeat affinitatem ac habitum cum quibus in hac vita habuit, adeo ut uxorem suam postquam resurrexerit vir recipiat, pater autem in eodem erga filium habitu et frater erga fratrem perseveret. At rerum omnium Opificem, cum res quasque ad utilitatem compararet, ubi ortus foret et interitus ejusmodi habitus necessario invexisse nesciebant, ut aliquis sit vir ad liberorum procreationem ab uxore adjutus; qui autem inde geniti sunt, quod ex iisdem nati fuerint, aliquam habeant consanguinitatem, invicem nempe fraternitate conjuncti; generationis autem opus erat pater et filius, et mater ac filia. Si ergo hanc adipiscentur vitam, qui propter præsens hocce sæculum in quo recte vixerant in beatitudine præmio digni censentur, neque quisquam a

[1] Matth. XXII, 23, 24.
[2] N. 33. p. 821-824.
[3] Isai. IV, 1.

mortuis consequitur ut resurgat qui hic non decertaverit; manifestum sane est quibus propter generationem hic opus erat, ea illic minime futura: nec enim supervacaneum quidquam facit Deus, neque frustra quidpiam ab illo producitur. Considerassent Sadducæi quid ex hac sua opinione foret consectarium, cum uxorem suam assumpturum unumquemque arbitrabantur: futuras nimirum ibi liberorum procreationes, infantium ortus et mortes; ac si hæc admittantur, morbos quoque; si genituræ etiam, infantiam, et ab infantia ad loquelæ perfectionem progressum, ac rationem denique, et dum perficitur ac completur ratio, malitiam, et vix aliquando rursum virtutem in paucis iis qui illam reperire satagunt: quo quid insanius esse potest? Ac satius quidem est resurrectionem non esse, quam qualem sibi fingebant Sadducæi, resurrectioni a mortuis consectarium esse putantes uxorem suam quemque recipere; unde et ea omnia quæ diximus, futura esse sequebatur. Quod si novum ergo sæculum speratur, et, ut dixit Isaias, « cœli novi, et terra » nova [1], » et ut in Evangelio scriptum est, « calix novi tes- » tamenti [2], » a nova opinor vite expressus; diversa profecto esse oportet, et vere beata, quæcumque ad vitam illic traducendam pertinebunt. Quemadmodum autem, ita ut ipsum declaravit Verbum, ex eo quod uxor et vir forent, patrum quoque filios esse sequebatur, et fratres fratrum, et natorum matres; nonne pari ratione ex eo quod neque uxor sit, neque vir, sequitur quoque nec patrem, nec matrem, nec quosquam fratres invicem futuros; atque id fortasse non quoad futura solum, sed et quoad præterita? Illic enim nulla cognationis secundum carnem apud eos erit mentio qui hoc recte intelligunt: « Ne memineritis priorum, et anti- » qua ne intueamini, ecce ego facio nova omnia [3]: » et juxta illud in futuro sæculo Abrahami pater non dicetur Thare;

[1] Isai. LXVI, 22. — [2] 1 Cor. XI, 25. — [3] Isai. XLIII, 18, 19.

neque Ismaëlis, aliorumque qui ex Cetura Abrahamo nati sunt, nec Isaaci fortasse Abraham; antiqua enim obsoleta sunt; et tunc fortasse dicetur : « Ecce facta sunt omnia » nova [1]. » An autem aliquo alio quam secundum carnem modo frater aliquis est, et alio aliquo quam per generationem modo pater et filius, non mulieris ope, neque obscœnarum corporis partium, sed quomodo pro rata Dei filius est Sospitator, animadvertet qui hæc recte investigare ac rimari poterit, et « spiritus omnia scrutantis etiam profunda » Dei [2] » capax fuerit. Ego vero non diversum in his aliquid duntaxat et quasi æquivocum intelligo, de fratre, et patre, ac filio loquor, sed in uxore etiam ac viro. « In resurrectione » enim » mortuorum verum illud est, « neque nubunt neque » nubuntur, sed sunt sicut Angeli Dei in cœlo [3]; » verum quoque et illud, quod quasi in parabola de nuptiis, ab iis quæ supra terram fiunt plane diversis, dictum est hoc loco : « Simile factum est regnum cœlorum homini regi, qui fa» ciens nuptias filio suo [4], » et reliqua; et hoc item loco : « Tunc simile erit regnum cœlorum decem virginibus, quæ » accipientes lampades suas [5], » et reliqua. In resurrectione ergo mortuorum matrimonium contrahit regis filius super omne matrimonium quod oculus vidit, et auris audivit, et in cor hominis ascendit [6]; et ex iis verbis arcanis « quæ non » licet homini loqui [7] » venerandum illud est, et divinum, ac spirituale matrimonium......

Quoniam [8] Sadducæorum de septem fratribus qui unam habuerunt uxorem quæstio nullam desiderat tropologiam, agedum Servatoris circa eam rem sermones expendamus, in quibus ait : « Erratis nescientes Scripturas, neque virtu» tem Dei. In resurrectione enim neque nubent, neque nu-

[1] 2 Cor. v, 17. — [2] 1 Cor. II, 10. — [3] Matth. XXII, 30. — [4] Ibidem, 2. — [5] Id. XXV, 1. — [6] 1 Cor. II, 9. — [7] 2 Cor. XII, 4.

[8] N. 34-36. p. 824-829.

» bentur : sed sunt sicut angeli Dei in cœlo [1]. » Ad id autem proposuerit aliquis ejusmodi quæsitum : Sospitator Sadducæis dicens : « Erratis nescientes Scripturas, neque virtu- » tem Dei, » id in Scripturis doceri declarat, in resurrectione mortuorum nuptias non futuras, utpote Angelis qui in cœlo sunt, et apud quos nullæ sunt nuptiæ, similibus iis futuris qui resurgent ; quænam ergo docet Scriptura in resurrectione neque nupturos neque nuptum iri ? et quonam in loco vel Legis vel Prophetarum discimus similes Angelis cœli futuros qui resurgent ? id enim in veteri Scriptura aperte non reperimus. Illud quidem apud Lucam minime quæretur, a quo Servatorem nostrum dixisse scriptum est : « Filii hujus sæculi generant et generantur, nubunt et tra- » duntur ad nuptias [2], » et reliqua ; non quidquam autem quod ad Sadducæos pertineat, quodque hæc in Scripturis doceri astruat. At apud Matthæum id sane quæri possit, similiter quoque et apud Marcum ; nam juxta ipsum respondens Jesus dixit Sadducæis : « Nonne ideo erratis non » scientes Scripturas, neque virtutem Dei ? Cum enim a » mortuis resurrexerint, neque nubent, neque nubentur, » sed sunt sicut Angeli in cœlis [3]. » Quisquis ergo ad dubitationem nostram attenderit, ea requirat in Scripturis quæ dicta a Servatore de rebus post resurrectionem futuris probent ac confirment : talia autem nos dicemus, hæc non ipsis quidem verbis, neque ita ut a quibuslibet deprehendi et adverti queant, sed tropologice in Scripturis contineri : « Cum enim umbram habeat Lex futurorum bonorum [4], » et nonnulla de uxoribus et viris præceperit, et de legitimis nuptiis disseruerit ; et de iis præcipue non loquitur quæ ex præsentibus verbis intelligi queant, sed iis quæ supra a nobis commemoratæ sunt, cum quæ ad Sospitatoris nuptias

[1] Matth. xxii, 29, 30. — [2] Luc. xx, 34. — [3] Marc. xii, 24, 25. — [4] Hebr. x, 1.

in futuro sæculo futuras pertinent proponeremus, ut puta : « Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, et unum de » libera ; et qui de ancilla, secundum carnem natus est; qui » autem de libera, per promissionem [1] : » non sensili cum libera matrimonio, neque habitæ cum ancilla consuetudini [2] mihi adhærendum est; hæc enim allegorice dicta sunt. Sed et si « propter hoc relinquet homo patrem et matrem suam, » et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una, » non hæc ita intelligenda sunt quasi nullum mysterium significent; « mysterium enim hoc magnum est [3], » et, ut ait Paulus, ad Christum et ad Ecclesiam pertinens : ac paulo superius cum legem de muliere viri sui defuncti fratri nubente exponeremus, legis sensum pro virili rimati sumus. Sexcentæ autem aliæ de viro et uxore leges prostant; qualis illa est de libello repudii [4]; et illa de duabus mulieribus quas habet unus vir, quarum diligitur altera, altera odio habetur [5]; et illa quoque de captiva quæ ei nubit a quo fuerit amata, nubit autem postquam rasa est, et lugubri ornatu patrem suum et matrem luxit ac deflevit [6] : quarum legum unaquæque sanctum aliquid ac divinum in vera tropologia continet, postquam semel reperta est. Si quis ergo Legem evolvens, et quæ de matrimonio mulierum ac virorum scripta sunt legens, non aliud quam quod littera significat ostendi ac reperiri existimet, « errat nesciens Scripturas, neque virtutem Dei.»

Atenim quæret aliquis an verba hæc : « Erratis, nescientes » Scripturas [7], » quæ Sadducæis aliam scripturam a legali non admittentibus dicta sunt, ad alias a lege Moysis scripturas referri possint. Ob idipsum ergo accusari Sadducæos dicet aliquis, quod cum Scripturas quæ Legem sequuntur non admittunt, errent nescientes ipsas : at respondebit alter ad hoc, ut Sadducæorum coarguatur error, sufficere

[1] Galat. IV, 22, 23. — [2] Genes. II, 24. Ephes. V, 31. — [3] Ibid. — [4] Deut. XXIV, 3. — [5] Idem, XXI, 15. — [6] Ibid. 11, 12, 13. — [7] Matth. XXII, 29.

ut Moysis ignorent scripturas, propter ignoratos illis sensus divinos qui in iis delitescunt. Duo porro a Sadducæis ignorari dicit, unum quidem, ipsas Scripturas; alterum autem, virtutem Dei; a qua virtute et ipsa resurrectio, et nova in ea vita perficitur. Quod autem virtutem Dei ignorare dicuntur Sadducæi, ad se ipsum Servatorem referre poterit pronuntiare aliquis; quandoquidem « Christus Dei virtus » est et Dei sapientia[1] : » nec ipsum cognoscebant Sadducæi, utpote quæ de ipso scripta sunt nescientes, neque quantum conferet ad eorum a mortuis resurrectionem qui salutem consequentur. Cui autem ortæ hujus super illo loco dubitationis : « Erratis nescientes Scripturas, neque virtutem » Dei, » per tropologiam solutio non satisfacit, alterutrum faciet : vel huicce loco fidem detrahet quasi non recte scripto, quod nempe Servator quæ scripta non sunt quasi scripta laudaverit; vel certe ipsi Jesu, quasi verum non dixerit, fidem audebit abrogare : at tertius aliquis ad apocryphos libros confugiens, in quibus quæ ad beatam vitam pertinent apertius videntur fuisse conscripta, ad illos referenda esse dicet quæ hic prodita sunt his verbis : *Erratis, nescientes Scripturas.* Verum propter rejectam tropologiam vide annon in absurda mera incurret : nam sive Scripturæ fidem detrahit, contra Ecclesiæ doctrinam faciet; sive Jesu, id tanquam Judæus secundum carnem præstabit; sin ad libros apocryphos confugiet, ad rem a fidelibus non admissam descendet. Quapropter mihi non aliter solvi posse videtur illud : « Erratis, nescientes Scripturas, neque virtutem Dei. In resurrectione enim neque nubent, neque » nubentur[2], » quam per allegoriam, quæ simili modo apud Apostolum in epistola ad Galatas de ancilla et libera[3], et super reliquis Scripturis in quibus de viro et muliere dictum est aliquid, tradi potest. Et quemadmodum errant qui cum

[1] 1 Cor. II, 24. — [2] Matth. XXII, 29, 30. — [3] Gal. IV, 22, 23.

Prophetarum scripta tropologice non interpretentur, corporeos cibos post resurrectionem esuros nos ac bibituros existimant, quia talia Scripturarum verbis continentur; ita et cum res de matrimoniis et viris ac mulieribus conscriptas verbo tenus tuentur, futurumque autumant ut tunc quoque venereis utamur congressibus, propter quos orationi vacare minime licet; cum polluti quodammodo et immundi sint qui venereis rebus utuntur.

Quæro deinceps an illa : « Erratis, nescientes Scripturas, » neque virtutem Dei » ad illud solum referatur : « In resur» rectione enim neque nubent, neque nubentur; » an et ad ea quoque : « Sed sunt sicut Angeli Dei in cœlo : » nec enim reperio in quonam Scripturæ loco Angelis in cœlo similes futuri dicantur, qui salutem adipiscentur; nisi quis fortasse illo declarari pronuntiet : « Tu autem ibis ad patres tuos in » pace, nutritus in senectute bona [1], » et illo : « Apposi» tus est populo suo [2], » vel eo qui in Deuteronomio habetur loco, quo homo quasi a Deo in cœlo et supra terram constitutus exhibetur [3]; quem locum tibi ipse quæsitum reperies. Deinde illud exponendum venit : « De resurrec» tione mortuorum non legistis quod dictum est a Deo di» cente vobis : Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et » Deus Jacob ? Deus non est Deus mortuorum, sed viven» tium [4]. » Ad id autem dicemus, cum depromptis e Prophetis sexcentis testimoniis probare posset Servator futuram vitam homines manere, id minime fecisse, quod scilicet unam Moysis scripturam admitterent Sadducæi, a qua deducta ratiocinatione convincere ipsos voluit : sic autem illa se habere videtur; Deus dixit Moysi : « Ego sum Deus Abra» ham, et Deus Isaac, et Deus Jacob [5], » cum oraculum ipsi in rubo reddidit : aut igitur Deus eorum Deus est qui

[1] Gen. xv, 15. — [2] Id. xxxv, 29. — [3] Deut. iv, 32. — [4] Matth. xxii, 31, 32. — [5] Exod. iii, 6.

sunt, aut eorum qui non sunt : absurdum est autem Deum qui dixit : « Ego sum qui sum id mihi nomen est [1], » horum esse Deum pronuntiare qui neutiquam sunt : quod si illud absurdum est, eorum profecto Deus est qui sunt, et qui vivunt, et qui existunt, quique beneficium a Deo in se collatum agnoscunt, cum ipsorum Deum sese professus est et dixit : « Hoc est memoriale meum in æternum [2]. » Vivunt ergo, Deum ipsiusque beneficium agnoscentes Abraham, et Isaac, et Jacob ; et uniuscujusque ipsorum speciatim Deus dictus est, nec enim scriptum est : « Ego Deus » Abraham, et Isaac, et Jacob, *sed :* Ego sum Deus Abra- » ham, et Deus Isaac, et Deus Jacob [3]. » Et ita a Matthæo, et Marco, et Luca scriptum est, ut lectoribus, opinor, persuadeant Deum singulorum ipsorum Deum esse, hanc ipsis peculiarem veniam condonantem; nec enim Hebræis similes erant, ut quemadmodum illorum, ita et horum Deus collective appellaretur : de his quippe scriptum est : « Deus » Hebræorum misit me [4]; » de illis autem sigillatim, ut unum Abrahamum ejusdem esse dignitatis et pretii ac totam Hebræorum gentem Scriptura declararet; annon enim Deus æque Deus est Abrahami ac Deus Hebræorum ? Deum item ipsum esse Isaac, et Deum Jacob, ita ut Hebræorum Deus est, pari modo pronuntiabis. Simili autem honore dignum habitum fuisse Eliam existimo; idcirco quarto Regum scriptum est : « Deus Eliæ [5]. » Deus ergo Abrahami solum Deus erat, similiter et Isaac, et Jacob ; Sospitatoris autem nostri qui ipsis præstantior est, non Deus solum, sed etiam Pater Deus est. Propterea recte ait Apostolus : « Benedictus » Deus, et Pater Domini nostri Jesu Christi [6]. » Is autem Christus Jesus, cujus benedictus Deus et Pater est, id etiam veris suis concessit discipulis, ut ipsorum non modo Deus,

[1] Exod. III, 14. — [2] Ibid. 15. — [3] Ibid. 6. — [4] Id. VII, 16. — [5] 4 Reg. II, 14. — [6] 2 Cor. I, 3.

sed etiam Pater sit; postquam enim surrexit a mortuis, Mariæ dixit : « Noli me tangere, nondum enim ascendi ad » Patrem meum : vade autem ad fratres meos, et dic eis : » Ascendo ad Patrem meum, et Patrem vestrum; Deum » meum, et Deum vestrum [1]. » Tunc vero et Abrahamo, et Isaaco, et Jacobo id gratificatum ipsum fuisse existimo, ut non amplius eorum Deus duntaxat esset Deus, sed jam etiam Pater. Ad id vero : « Deus non est mortuorum, sed » vivorum [2], » quod apud Matthæum et Marcum itidem extat, illud etiam addidit Lucas : « Omnes enim vivunt ei [3]; » quæ quidem Patriarcharum laus erat non exigua, tanto videlicet nostro Servatore, non ipsos solum vivere, sed quodcumque etiam vitæ ipsorum est, Deo, nec alii cuiquam ducere testificante. Illud vero : *Omnes enim vivunt ei*, omni modo nos exercere ac repræsentare decet, ut non alii cuiquam, quam Deo, in Christo omnes vivamus. Hanc autem quæ Patriarcharum vitam astruebat demonstrationem, paucis comprehensam verbis, et ex Moysis scriptis eorum gratia depromptam qui sola illa tanquam divina admittebant, « audientes turbæ mirabantur [4], » Sospitatoris doctrinæ assentientes, atque huic quidem sapientissimæ, quæque parum ipsi credulos conciliare ad eumque convertere posset.

[1] Joan. xx, 17. — [2] Matth. xxii, 32. Marc. xii, 27. — [3] Luc. xx, 38. — [4] Matth. xxii, 33.

ORIGENIS

IN LUCAM HOMILIÆ.

(D. HIERONYMO INTERPRETE.)

PROLOGUS

S. HIERONYMI PRESBYTERI

IN EXPLANATIONEM S. LUCÆ AB ORIGENE[1].

Ante paucos dies quorumdam in Matthæo et in Luca commentarios vos legisse dixistis : e quibus alter et sensibus hebes esset, et verbis; alter in verbis luderet, in sententiis dormitaret. Quamobrem petistis ut contemptis istiusmodi nugis, saltem Adamantii nostri in Lucam homilias, sicut in Græco habentur, interpreter : molestam rem et tormento similem, alieno (ut ait Tullius) stomacho et non suo scribere. Quam tamen idcirco nunc faciam, quia sublimiora non poscitis. Si quidem illud quod olim Romæ sancta Blesilla flagitaverat, ut XXXVI tomos illius in Matthæum, et quinque alios in Lucam, et XXXIX in Joannem, nostræ linguæ traderem, nec virium mearum, nec otii, nec laboris est. Perspicitis enim, quantum apud me et auctoritas vestra et voluntas valet, prætermisi paululum Hebraicarum quæstionum libros, ut ad arbitrium vestrum lucrati operis hæc, qualiacumque sunt, non mea, sed aliena dictarem, præsertim cum a sinistro oscinem corvum audiam crocitantem, et mirum in modum de cunctarum avium ridere coloribus, cum totus ipse tenebrosus sit. Fateor itaque antequam ille objiciat in his Origenem tractatibus quasi iterum ta-

[1] Tom. III, p. 932.

lis ludere, alia sunt virilia ejus, et senectutis seria. Quæ si libuerit, si potuero, si Dominus ut in Latinum sermonem vertam dederit commeatum, et prætermissum opus prius explevero, tunc videre poteritis, imo per vos Romana lingua cognoscet, quantum boni et ante nescierit, et scire nunc cœperit. Præterea Commentarios viri eloquentissimi Hilarii, et beati martyris Victorini, quos in Matthæo diverso sermone, sed una gratia Spiritus ediderunt, post paucos dies ad vos mittere disposui, ne ignoretis quantum nostris quoque hominibus sanctarum Scripturarum quondam studium fuerit.

§ I.

PRÆFATIO.

Sicut[1] olim in populo Judæorum multi prophetiam pollicebantur, et quidam erant pseudoprophetæ, e quibus unus fuit Ananias filius Agot; alii vero prophetæ, et erat gratia in populo discernendorum spirituum, per quem alii inter prophetas recipiebantur, nonnulli quasi ab exercitatissimis trapezitis reprobabantur : ita et nunc in novo Testamento multi conati sunt scribere Evangelia, sed non omnes recepti. Et ut sciatis non solum quatuor Evangelia, sed plurima esse conscripta, e quibus hæc quæ habemus electa sunt, et tradita ecclesiis, ex ipso procemio Lucæ quod ita contexitur, cognoscamus : « Quoniam quidem multi conati sunt ordi» nare narrationem [2]. » Hoc quod ait : *conati sunt,* latentem habet accusationem eorum qui absque gratia Spiritus sancti ad scribenda Evangelia prosilierunt. Matthæus quippe, et Marcus, et Joannes, et Lucas non sunt conati scribere, sed Spiritu sancto pleni scripserunt Evangelia. « Multi *igi» tur* conati sunt ordinare narrationem de his rebus quæ » manifestissime cognitæ sunt in nobis. » Ecclesia quatuor habet Evangelia, hæreses plurimas, e quibus quoddam scri-

[1] Hom. I. p. 932 et seqq.
[2] Luc. 1, 1.

bitur secundum Ægyptios, aliud juxta duodecim Apostolos. Ausus fuit et Basilides scribere Evangelium, et suo illud nomine titulare. Multi conati sunt scribere, sed et multi conati sunt ordinare : quatuor tantum Evangelia sunt probata, e quibus sub persona Domini et Salvatoris nostri proferenda sunt dogmata. Scio quoddam Evangelium quod appellatur secundum Thomam, et juxta Mathiam : et alia plura legimus, ne quid ignorare videremur propter eos qui se putant aliquid scire, si ista cognoverint. Sed in his omnibus nihil aliud probamus, nisi quod Ecclesia, id est, quatuor tantum Evangelia recipienda. Hæc idcirco, quia in principio lectum est : « Multi conati sunt ordinare narrationem de his rebus » quæ confirmatæ sunt in nobis[1]. » Illi tentaverunt, atque conati sunt de his rebus scribere quæ in nobis manifestissime sunt compertæ. Effectum suum Lucas indicat ex sermone quo ait : « in nobis manifestissime sunt ostensæ[2], » id est, πεπληροφορημένων [quod uno verbo Latinus sermo non explicat]. Certa enim fide et ratione cognoverat, neque in aliquo fluctuabat, utrum ita esset, an aliter. Hoc autem illis evenit qui fidelissime crediderunt, et id quod Propheta obsecrat consecuti sunt, et dicunt : « Confirma me in sermo» nibus tuis[3] : » unde et Apostolus de his qui erant firmi atque robusti, ait : « Ut sitis radicati et fundati in fide[4]. » Si quis enim radicatus in fide est atque fundatus, licet tempestas fuerit exorta, licet venti flaverint, licet se imber effuderit, non convelletur, nec corruet, quia super petram ædificium solida mole fundatum est[5]. Nec putemus oculis istis carnalibus firmitatem fidei dari, quam mens et ratio tribuit. Infideles quique credant signis atque portentis, quæ humana acies contuetur : fidelis vero, magis prudens atque robustus, rationem sequatur et verbum, et sic dijudicet

[1] Luc. I, 1. — [2] Ibid. — [3] Psal. CXVIII, 28. — [4] Eph. III, 17. — [5] Matth. VII, 25.

quid verum quidve falsum sit. « Sicut tradiderunt nobis qui » ab initio ipsi viderunt, et ministri fuerunt sermonis[1]. » In Exodo scriptum est : « Populus videbat vocem Dei[2]. » Et certe vox auditur priusquam videtur, sed propterea scriptum est, ut ostenderetur nobis aliis oculis videre vocem Dei, quibus illam aspiciunt qui merentur. Porro in Evangelio non vox cernitur, sed sermo qui voce præstantior est. Unde nunc dicitur : « Sicut ab initio tradiderunt nobis qui a principio » ipsi viderunt, et ministri fuerunt sermonis[3]. » Igitur Apostoli ipsi viderunt sermonem : non quia aspexerant corpus Domini Salvatoris, sed quia Verbum viderunt. Si enim juxta corpus vidissent Jesum, hoc est, Dei vidissent sermonem, ergo et Pilatus qui condemnavit, sermonem Dei vidit, et Judas proditor, et omnes qui clamaverunt : « Crucifige, crucifige eum : Tolle de terra[4], » talem Dei viderunt sermonem. Sed absit ut quisquam incredulus sermonem Dei viderit. Videre sermonem Dei, tale est quale Salvator ait : « Qui videt me, videt et Patrem qui misit me[5]. » « Sicut » tradiderunt nobis qui a principio ipsi viderunt, et ministri fuerunt sermonis[6]. » Clam Lucæ sermonibus edocemur, quod cujusdam doctrinæ finis sit ipsa doctrina, alterius vero doctrinæ finis in opere computetur. Verbi gratia : scientia geometriæ finem habet ipsam tantum scientiam atque doctrinam. Alia vero scientia est, cujus finis opus exigit : velut in medicina oportet rationem et dogmata scire medicinæ, non ut tantummodo noverim quid debeam facere, sed ut faciam, id est, ut secem vulnera, victum moderatum castigatumque disponam, æstus febrium in pulsu venarum sentiam, ut curationibus cyclicis humorum abundantiam siccem, temperem, atque restringam. Quæ si quis tantum scierit, et non opere fuerit subsecutus, cassa erit

[1] Luc. I, 2. — [2] Exod. XX, 18. — [3] Luc. I, 2. — [4] Joan. XIX, 6 et 15. — [5] Id. XIV, 9. — [6] Luc. I, 2.

ejus scientia. Simile quid scientiæ medicinæ et operi, etiam in notitia ministerioque sermonis est. « Sicut tradiderunt » nobis qui a principio ipsi viderunt [1], » doctrinam et scientiam significari, et ex eo quod dixit : « Ministri fuerunt ser- » monis, » demonstrari opera cognoscamus. Assecuto a principio : « Visum est et mihi assecuto ab initio [2], » inculcat, ac replicat, quoniam ea quæ scripturus est non rumore cognoverit, sed ab initio ipse fuerit consecutus. Unde et ab Apostolo merito collaudatur dicente : « Cujus laus in Evan- » gelio est per omnes ecclesias [3]. » Hoc enim de nullo alio dicitur, et nisi de Luca dictum traditur : « Visum est et » mihi assecuto a principio omnia diligenter ex ordine tibi » scribere, optime Theophile [4]. » Putat aliquis quod ad Theophilum quempiam Evangelium scripserit. Omnes qui nos auditis loquentes, si tales fueritis ut diligamini a Deo, et vos Theophili estis, et ad vos Evangelium scribitur. Si quis Theophilus est, iste optimus et fortissimus est; hoc quippe significantius Græco sermone dicitur κράτιςος. Nemo Theophilus infirmus est. Et quomodo scriptum est de populo Israël, quando egrediebatur ex Ægypto, quod non fuerit in tribubus eorum infirmus [5] : sic, ut audacter loquar, dicam quod omnis qui Theophilus est, sit robustus, habens fortitudinem robustam a Deo tanquam a sermone ejus, ut cognoscere possit eorum verborum quibus conditus est veritatem, intelligens sermonem Evangelii in Christo, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

§ II.

De Joannis conceptione.

Qui [6] volunt peccatis suis obtendere aliquam excusatio-

[1] Luc. I, 2. — [2] Ib. 3. — [3] 2 Cor. VIII, 18. — [4] Luc. I, 3. — [5] Ps. CIV, 37.
[6] Hom. II, p. 934 et seqq.

nem, existimant nullum esse absque peccato, et utuntur testimonio quod in Job scriptum est : « Nemo mundus a » sorde, ne si unius quidem diei fuerit vita ejus super ter- » ram[1]. » Numerabiles autem menses ejus. Cujus sonum tantummodo proferunt, interpretationem penitus ignorantes. Adversus quos breviter respondebimus, quoniam absque peccato esse in Scripturis, dupliciter intelligitur : ut sit alterum, nunquam omnino peccasse ; alterum, peccare desiisse. Si igitur aiunt eum absque peccato dici qui nunquam peccaverit, et nos assentimus nullum esse absque peccato : quia omnes homines aliquando peccavimus, licet postea virtutem secuti sumus. Si vero sic intelligunt hominem non esse absque peccato, ut negent quempiam post vitia ita se ad virtutes referre, ut nunquam omnino peccet, falsa eorum sententia est. Potest enim fieri ut qui ante peccaverit, et peccare desierit, sine peccato esse dicatur. Sic et Dominus noster Jesus Christus exhibuit « sibi gloriosam Ecclesiam, » non habentem maculam[2] ; » non quia ecclesiasticus vir nunquam habuerit maculam, sed quia nequaquam ultra maculetur : « non habentem rugam[3] ; » non quod ruga veteris hominis in eo aliquando non fuerit, sed quod eam habere desierit. In hunc modum et illud quod sequitur est intelligendum : « Ut sit sancta et immaculata[4] : » non quod a principio immaculata fuerit ; hoc enim suspicari quidem de homine non potest, quod anima ejus maculosa non fuerit ; sed quod reputetur pura atque sincera, quæ maculari ultra desierit. Hæc idcirco diximus, ut doceremus posse hominem, ob id quod peccare desivit, vocari absque peccato et immaculatum. Unde et manifestissime de Zacharia et Elizabeth scribitur : « Erant justi ambo, in conspectu Dei am- » bulantes. In omnibus autem erant justi ambo ante Domi- » num, incedentes in mandatis et justificationibus Domini

[1] Job, XIV. — [2] Ephes. V, 27. — [3] Ibid. — [4] Ibid.

» sine querela[1]. » Diligentius laudes Zachariæ et Elizabeth, quas sanctus Lucas in sua scribit historia, contemplemur : non tantum ut sciamus illos fuisse laudabiles, sed ut sanctum zelum assumentes, etiam ipsi laude digni efficiamur. Potuerat simpliciter scribere, Erant justi ambo, ambulantes in omnibus mandatis; nunc autem necessario additur : « justi ambo in conspectu Dei. » Potest quippe fieri ut sit aliquis justus in conspectu hominum, sed in conspectu Dei, non. Verbi gratia : quando non habet homo quod de me male loquatur, et in me universa considerans, nihil cui detrahat reperit, justus sum in conspectu hominum. Finge omnes de me æqualem habere sententiam, et quærere quid detrahant mihi, et tamen invenire non posse, sed consono me ore laudare : justus sum in conspectu hominum plurimorum. Verum hominum non est certum judicium; nesciunt enim utrum in abscondito cordis mei aliquando peccaverim, utrum viderim mulierem ad concupiscendum eam[2], et adulterium mihi in corde sit natum : ignorant homines cum me viderint secundum vires meas eleemosynam facere, utrum propter mandatum Dei fecerim, an hominum laudem favoremque quæsierim. Difficilis res est in conspectu Dei justum esse, ut non ob aliam causam quid boni facias nisi propter ipsum bonum, et Deum tantum quæras boni operis retributorem. Tale quid et Apostolus loquitur : « Quorum laus non ex hominibus, sed ex Deo est[3]. » Beatus qui in conspectu Dei justus est, atque laudabilis. Homines enim, quamvis certum judicium habere videantur, tamen non possunt ad liquidum pronuntiare. Evenit quippe interdum, ut laudent eum qui non est laudabilis, et ei detrahant qui minime detractione dignus est. Solus Deus et in laude et in vituperatione justus est judex. Unde digne et nunc additur in laude justorum : « Erant justi ambo in con-

[1] Luc. I, 6. — [2] Matth. V, 28. — [3] Rom. II, 29.

» spectu Dei [1]. » Tale quid et Salomon in Proverbiis cohortatur dicens : « Fili, provide bona in conspectu Dei et hominum [2]. » Sequitur Zachariæ et Elizabeth alia laudatio : « Ambulantes in omnibus mandatis et justificationibus Domini. » Quando bene et recte de aliquibus judicamus, in justificationibus Domini gradimur; quando hoc aut illud facimus, in mandatis illius ambulamus. Unde puto et sanctum Lucam volentem eos prædicare laude perfecta, dixisse: « Erant justi ambo, ambulantes in omnibus mandatis et justificationibus Domini [3]. » Dicat mihi quispiam : Si laus ista perfecta est, quid sibi vult hoc quod dicitur: *sine querela* [4]? sufficiebat enim dicere : « Ambulantes in omnibus viis et » justificationibus Domini; » nisi posset fieri ut ambulet quis in omnibus mandatis Dei, et tamen sine querela non ambulet. Et quomodo potest evenire ut in omnibus mandatis et justificationibus Dei ambulans sub querela sit? Cui breviter dicam : Nisi hoc ita esset, nunquam in alio loco nosceremus scriptum referri : « Juste, id quod justum est se- » quere [5]. » Nisi enim justum esset aliquid quod non juste sequeremur, nequaquam nobis præciperetur ut juste id quod justum est sequeremur. Quando enim facimus mandatum Dei, et in conscientia nostra vanæ gloriæ sordes respergimus ut placeamus hominibus, aut alia quæcumque non placet Deo boni operis causa præcedit, quamvis faciamus præceptum Dei, tamen illud absque querela non facimus, et injuste id quod justum est sequimur. Difficile ergo est ambulare in omnibus mandatis et justificationibus Domini sine querela, secundum testimonium et laudem Dei in Christo Jesu. Quæ laus reddenda est in die judicii ab eo cui omnes nos manifestari oportet ante tribunal ejus, ut recipiat unusquisque quæ per corpus gessit, sive bona, sive

[1] Luc. I, 6. — [2] Prov. III. — [3] Luc. I, 6. — [4] Ibidem. — [5] Deuter. XVI, 20.

mala [1]. Omnes enim stabimus ante tribunal Dei, ut recipiamus quod meremur in Christo Jesu.....

Quæ [2] corporalia sunt et sensu carent, ut videantur ab alio ipsa nihil efficiunt, sed tantummodo oculus alterius intentus in ea, sive voluerint illa, sive noluerint, videt quando in ea contemplationem direxerit. Quid enim potest homo, aut alia res quæ circumdatur corpore crasso, cum in præsenti fuerit, facere ne cernatur? E contrario ea quæ sunt superna et divina, ea cum in præsenti fuerint, non videntur, nisi ipsa voluerint : et in voluntate eorum est videri, vel non videri. Gratia Dei fuit ut appareret Abraham, vel cæteris Prophetis : non quod oculus tantum cordis Abraham in causa fuerit ut cerneret Deum ; sed quod gratia Dei ultro se aspiciendam præbuerit viro justo. Hoc autem non solum super Deo Patre intelligas, sed etiam super Domino Salvatore, et super Spiritu sancto, et ut ad minora perveniam, super Cherubim et Seraphim. Fieri enim potest ut et nunc nobis loquentibus assistat angelus, et tamen quia non meremur, eum videre nequeamus. Quamvis enim oculus sive corporis, sive animæ nostræ, ad contemplandum intendat, nisi sponte apparuerit angelus, et se videndum præbuerit, et ille qui vere desiderat non videbit. Itaque ubicumque scriptum fuerit : Apparuit Deus illi, vel illi, ut et nunc : « Apparuit ei angelus Domini, stans a dextris altaris in» censi [3], » ita ut dixi intellige. Sive Deus, sive angelus, Abrahæ vel Zachariæ, cum voluerit vel noluerit, aut non videbitur aut videbitur...... Tale quid mihi intelligendum de Christo, qui quondam in corpore videbatur, quod non quicumque eum videbant poterant videre. Videbant quippe tantum corpus illius : secundum vero hoc quod Christus,

[1] 2 Cor. v, 10.
[2] Hom. III. p. 935 et seq.
[3] Luc. I, 11.

erat, eum videre non poterant. Porro discipuli eum videbant, et magnitudinem divinitatis illius contemplabantur. Propter quod puto et ad Philippum deprecantem atque dicentem : « Ostende nobis Patrem, et sufficit nobis [1], » respondisse Salvatorem : « Tanto tempore vobiscum sum, et » non cognovistis me ? Philippe, qui videt me, videt et Pa» trem [2]. » Neque enim Pilatus, qui videbat Jesum, intuebatur Patrem ; nec proditor Judas : quia nec ipse Pilatus, nec Judas, Christum secundum hoc quod erat Christus videbant, nec multitudo quæ coarctabat eum. Illi tantum videbant Jesum, quos aspectu suo dignos esse sciebat. Laboremus ergo et nos, ut et impræsentiarum nobis Deus appareat. Sanctus quippe Scripturarum sermo promisit, quod invenietur ab his qui non tentant eum, apparet autem his qui non sunt increduli in eum ; et in futuro non abscondatur a nobis, sed videamus eum facie ad faciem, et habeamus fiduciam bonæ vitæ, fruamurque conspectu omnipotentis Dei in Christo Jesu et Spiritu sancto.....

Zacharias [3] cum angelum vidiset, expavit. Nova quippe facies humanis obtutibus se præbens turbat mentem, animumque consternat. Unde angelus sciens hanc esse humanam naturam, primum perturbationi medetur dicens : « Noli » timere, Zacharia [4] : » et trepidantem refocillat, novoque lætificat nuntio inferens : « Exaudita est oratio tua, et uxor » tua Elizabeth pariet filium, et vocabis nomen ejus Joan» nem, et erit tibi gaudium et exultatio [5]. » Quando justus quis oritur mundo, et stadium hujus vitæ ingreditur, ministri navitatis ejus lætantur, et se efferunt in sublime. Quando vero ille nascitur qui malæ vitæ præparatus est, et quasi ob pœnas in ergastulum relegatus, minister consternatur

[1] Joan. xiv, 8. — [2] Ibid. 9.
[3] Hom. iv. p. 936 et seq.
[4] Luc. i, 13. — [5] Ibid. 14.

et concidit. Vis exemplum accipere sancti viri cujus omnis fructus in laude sit? Vide Jacob duodecim genuisse mares, qui omnes populi Dei et partis illius patriarchæ et principes extiterunt: in his omnibus Jacob lætabatur pater, sicut et nunc de Joannis nativitate cunctis gaudium nuntiatur: et qui semel ob utilitatem aliorum ad liberorum opera descenderit, et se voluerit huic ministerio mancipare, obsecret Deum ut talis ei filius ingrediatur sæculum, super cujus nativitate lætior sit. Scribitur ergo de Joanne: « Erit mag» nus in conspectu Domini [1]. » Magnitudinem animæ Joannis ostendit, quæ oculis Dei pateat; et aliquid minus, quod proprie in animæ virtute conspicitur......... Sequitur de Joanne: « Et Spiritu sancto replebitur adhuc de utero ma» tris suæ [2]. » Et nativitas Joannis plena miraculo est. Quomodo enim Domini nostri et Salvatoris adventum Archangelus nuntiavit, ita et Joannis ortum Archangelus nuntiat: « Spiritu sancto replebitur adhuc de utero matris suæ. » Populus Judæorum facientem Dominum nostrum signa atque portenta, et curantem infirmitates eorum, nequaquam videbat: Joannes vero adhuc in utero matris constitutus exultat, etenim non potest, et ad adventum matris Jesu de utero gestit erumpere. « Ecce enim, *ait Elizabeth*, ut facta » est salutatio tua in aures meas, exultavit gaudio infans in » utero meo [3]. » Adhuc in matris utero erat Joannes, et jam Spiritum sanctum acceperat. Non enim illud principium erat substantiæ ejus, atque naturæ, de qua Scriptura loquitur, quod plurimos filiorum Israël convertet ad Dominum Deum ipsorum. Joannes plurimos convertit, Dominus autem non plures, sed omnes. Hoc opus illius, ut omnes convertat ad Deum Patrem, « et præcedat coram ipso in spi» ritu et virtute Eliæ [4]. » Non ait in anima Eliæ, sed in spiritu et virtute Eliæ. Fuit in Elia virtus, et spiritus sicut in

[1] Luc. I, 15. — [2] Ibid. — [3] Ibid. 44. — [4] Ibid. 17.

omnibus prophetis, et secundum dispensationem corporis in ipso quoque Domino Salvatore : de quo post paululum ad Mariam dicitur : « Spiritus sanctus superveniet in te, et » virtus Altissimi obumbrabit tibi [1]. » Spiritus ergo qui fuerat in Joanne, et virtus quæ in illo erat, in hoc quoque apparuit. Ille translatus est, hic vero præcursor Domini fuit; et mortuus est ante eum, ut ad inferna descendens illius prædicaret adventum. Ego puto quod sacramentum Joannis usque hodie expleatur in mundo. Quicumque crediturus est in Christum Jesum, præcurrit ante spiritus et virtus Joannis ad animam illius, et præparat Domino populum perfectum, et in cordis asperitatibus planas facit vias, et dirigit semitas parare Domino plebem perfectam. Non illo tantum tempore præparatæ sunt viæ, et directæ semitæ, sed usque hodie adventum Domini Salvatoris spiritus Joannis virtusque præcedit. O magna mysteria Domini, et dispensationis ejus! Angeli præcurrunt Jesum : Angeli quotidie aut ascendunt aut descendunt super salutem hominum, in Christo Jesu.....

Zacharias [2] sacerdos cum in templo offerret incensum, silentio condemnatur et retinetur, imo tantum nutibus loquitur, et mutus usque ad ortum Joannis filii perseverat. Quo hæc tendit historia? Silentium Zachariæ silentium prophetarum est in populo Israël. Nequaquam loquitur eis Deus, et Sermo, qui a principio erat apud Patrem Deus, ad nos transiit; nobisque non tacet Christus, apud illos usque hodie silet : quamobrem et Zacharias propheta tacuit. Manifestissime ex sermonibus ipsius comprobatur, quod et propheta fuerit et sacerdos.....

« Quando [3] concepit Elizabeth, abscondebat se mensibus » quinque dicens : Quia sic mihi fecit Dominus in diebus

[1] Luc. I, 35.
[2] Hom. V. p. 937. — [3] Hom. VI. p. 938 et seq.

» quibus respexit auferre opprobrium meum in hominibus [1]. » Quæro quam ob causam, postquam intellexit se esse prægnantem, publicum declinarit. Ni fallor, hoc est etiam quod hi qui nuptiis copulati sunt non omne tempus coitus liberum inter se habent, sed est tempus quando recedunt ab opere nuptiarum. Si enim vir senex fuerit et mulier anus, pudoris est maximi servire eos libidini, servire conjugio, quæ vel curæ corporis et senectæ esse Dei videntur voluntate sublata. Hæc autem quæ ad sermonem Angeli et dispensationem Dei rursum fuerat viro copulata, erubescebat quod anus et pene decrepita ad opus juvenum revertisset. Unde et abscondebat se mensibus quinque : non usque ad nonum mensem, donec partus ingrueret; sed usque quo conciperet Maria. Quando enim illa concepit, et venit ad eam, et facta est salutatio in aures ejus, exultavit in gaudio infans in utero Elizabeth, et prophetavit Spiritu sancto plena, et locuta est quæ Evangelicus sermo describit : « Et » diffamata sunt super omnem montanam verba hæc [2]. » Quando enim in populo rumor egressus est habere eam in utero prophetam, et aliquid majus esse hominem qui gestabatur a virgine, tunc non absconditur, sed tota libertate se prodit, et exultat se habere præcursorem in utero Salvatoris.

§ III.

De Annuntiationis mysterio.

..Scriptura commemorat quod « mense sexto *conceptus* » *Elizabeth,* missus sit angelus Gabriel a Deo in civitatem » Galilææ, cujus nomen Nazareth, ad virginem desponsa» tam viro cui nomen Joseph, de domo David [3], » et nomen virginis Maria. Rursum in mea mente volvens quæro

[1] Luc. I, 24 et 25. — [2] Ibid. 65. — [3] Ibid. 26, 27.

quare Deus cum semel Salvatorem judicaret nasci ex virgine, non elegit puellam absque sponso, sed eam potissimum quæ jam fuerat desponsata. Et, nisi fallor, hæc causa est. Debuit de ea virgine nasci quæ non solum sponsum haberet, sed, ut Matthæus scribit, jam viro tradita fuerat, licet eam vir necdum nosset, ne turpitudinem virginis habitus ipse monstraret, si virgo videretur utero tumenti. Unde eleganter in cujusdam martyris epistola scriptum reperi, Ignatium dico episcopum Antiochiæ post Petrum secundum, qui in persecutione Romæ pugnavit ad bestias : « Principem » sæculi hujus latuit virginitas Mariæ : » latuit propter Joseph, latuit propter nuptias, latuit quia habere virum putabatur. Si enim non habuisset sponsum et, ut putabatur, virum, nequaquam potuisset principi mundi hujus abscondi. Statim enim cogitatio diaboli tacita subrepsisset : Quomodo ista quæ non concubuit cum viro, prægnans est ? Debet iste conceptus esse divinus, debet aliquid humana natura esse sublimius. E contrario disposuerat Salvator dispensationem suam et assumptionem corporis ignorare diabolum : unde et in generatione sua celavit eam, et discipulis postea præcipiebat ne manifestum eum facerent. Et cum ab ipso diabolo tentaretur, nusquam confessus est Dei se esse Filium, sed tantummodo respondebat : Non oportet ut adorem te, nec ut lapides istos panes faciam, aut me de alto præcipitem. Et cum ista diceret, tacuit semper se esse Filium Dei. Quære et in alia scriptura, et reperies voluntatis Christi fuisse ut adventum Filii Dei diabolus ignoraret. Apostolus enim passionem ejus asserens nescisse contrarias fortitudines, ait : « Sapientiam loquimur inter perfectos : » sapientiam autem non sæculi hujus, neque principum sæ- » culi hujus qui destruitur ; sed loquimur Dei sapientiam in » mysterio absconditam, quam nullus principum hujus sæ- » culi cognovit. Si enim cognovissent, nunquam Dominum

» gloriæ crucifixissent[1]. » Absconditum igitur fuit a principibus sæculi mysterium Salvatoris.........Hæc de eo quod sponsum habuerit Maria. Quia vero Angelus novo sermone Mariam salutavit, quem in omni Scriptura invenire non potui, et de hoc pauca dicenda sunt. Id enim quod ait : « Ave » gratia plena[2], » quod Græce dicitur κεχαριτωμένη, ubi in Scripturis alibi legerim non recordor : sed neque ad virum istiusmodi sermo est, Salve gratia plena. Soli Mariæ hæc salutatio servatur. Si enim scisset Maria et ad alium quempiam similem factum esse sermonem, habebat quippe Legis scientiam, et erat sancta, et Prophetarum vaticinia quotidiana meditatione cognoverat, nunquam quasi peregrina eam salutatio terruisset. Propter quod loquitur ei Angelus : « Ne timeas, Maria, invenisti enim gratiam coram Domino. » Ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum. Is erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur[3]. » Dicitur et de Joanne : « Erit magnus[4] ; » et hoc ipsum Gabriel angelus contestatur : sed quando venit Jesus vere magnus, vere sublimis, ille qui prius magnus fuerat minor effectus est. « Ille *enim, inquit,* fuit lucerna ardens » et lucens, et vos voluistis ad horam exultare in lumine » ejus[5]. » Magnitudo Salvatoris nostri non tunc apparuit quando natus est, sed nunc postquam opressa ab adversariis videbatur, emicuit. Vide magnitudinem Domini : in omnem terram exivit sonus doctrinæ ejus, et in fines orbis terrarum verba illius. Dominus noster Jesus, qui virtus est Dei, in omnem diffusus est orbem, et impræsentiarum nobiscum est, juxta illud quod in Apostolo legitur : « Congregatis vobis et spiritu meo cum virtute Domini nostri Jesu » Christi[6]. » Virtus Domini Salvatoris et cum his est qui ab orbe nostro in Britannia dividuntur, et cum his qui in

[1] 1 Cor. II, 6, 7, 8. — [2] Luc. I, 28. — [3] Ibid. 30 et seqq. — [4] Ibid. 15.
[5] Joan. v, 35. — [6] 1 Cor. v, 4.

Mauritania, et cum universis qui sub sole in nomine ejus crediderunt. Vide ergo magnitudinem Salvatoris quomodo in toto orbe diffusa sit : et certe necdum ejus veram magnitudinem exposui. Ascende in cœlos, et vide eum quomodo cœlestia repleverit. Apparuit siquidem Angelis. Descende cogitatione in abyssos, et videbis eum etiam illuc descendisse. « Qui *enim* descendit, ipse est et qui ascendit, » ut impleret omnia, ut in nomine Jesu omne genu flecta- » tur, cœlestium, terrestrium, et infernorum [1]. » Considera virtutem Domini quod impleverit mundum, id est, cœlestia, terrestria, et infernalia; quomodo et cœlum ipsum penetravit, et in superna ascenderit. Legimus enim, quod pertransierit cœlos Filius Dei [2]. Si hæc videris, pariter intueberis non transitorie dictum : « Magnus erit [3], » sed verbum opere completum. Magnus est Dominus noster Jesus, et præsens, et absens, tribuitque consortium fortitudinis suæ huic cœtui nostro atque conventui : quod ut et singuli mereamur accipere, deprecemur Dominum Deum, cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

§ IV.

De visitatione beatæ Mariæ ad Elizabeth.

Meliores [4] ad deteriores veniunt ut eis ex adventu suo aliquid tribuant emolumenti. Sic et Salvator venit ad Joannem, ut sanctificaret baptisma illius : et Maria, statim ut audivit Angelum nuntiantem quod conceperit Salvatorem, et quod cognata illius Elizabeth haberet in utero, consurgens cum festinatione venit in montana, et ingressa est domum Elizabeth; Jesus vero qui in utero illius erat, festinabat adhuc in ventre matris Joannem positum sanctificare. Deni-

[1] Ephes. IV, 10, et Phil. II, 10. — [2] Hebr. IV, 14. — [3] Luc. I, 32.
[4] Hom. VII. p. 939 et seq.

que antequam veniret Maria, et salutaret Elizabeth, non exultavit infans in utero : sed statim ut Maria locuta est verbum quod Filius Dei in ventre matris suggesserat, exultavit infans in gaudio, et tunc primum præcursorem suum prophetam fecit Jesus. Oportebat quoque Mariam cum Dei prole dignissima post alloquium Dei ad montana conscendere, et in sublimioribus commorari. Unde et scriptum est : « Consurgens Maria in diebus illis, venit ad montana[1]. » Debuerat etiam cum esset sollicita non pigra, properare sollicitudine, et Spiritu sancto plena ad sublimiora perduci, et virtute Dei protegi, a qua fuerat obumbrata. Venit ergo « in civitatem Judæ, et in domum Zachariæ, et salutavit Eli» zabeth. Factum est cum audisset salutationem Mariæ Eli» zabeth, exultavit infans in utero ejus, et repleta est Spiritu » sancto[2]. » Non est itaque dubium quin quæ tunc repleta est Spiritu sancto, propter filium sit repleta. Neque enim mater primum Spiritum sanctum meruit, sed cum Joannes adhuc clausus in utero Spiritum sanctum recepisset, tunc et illa post sanctificationem filii repleta est Spiritu sancto. Poteris hoc credere, si simile quid etiam de Salvatore cognoveris......... Spiritu itaque sancto tunc repleta est Maria, quando cœpit in utero habere Salvatorem. Statim enim ut Spiritum sanctum accepit Dominici corporis conditorem, et Filius Dei esse cœpit in utero, etiam ipsa completa est Spiritu sancto : « Exultavit *ergo* infans in utero *Elizabeth*, » et repleta est Spiritu sancto, et clamavit voce magna, et » dixit : Benedicta tu inter mulieres[3]. » Debemus in hoc loco, ne simplices quique decipiantur, ea quæ solent opponere hæretici confutare. In tantam quippe nescio quis prorupit insaniam, ut assereret negatam fuisse Mariam a Salvatore, eo quod post nativitatem illius juncta fuerit Joseph, et locutus est : quæ quali mente dixerit ipse noverit qui

[1] Luc. 1, 39. — [2] Ibid. 39, 40, 41. — [3] Ibid. 41, 42.

locutus est. Si quando igitur hæretici vobis tale quid objecerint, respondete eis, et dicite : Certe Spiritu sancto plena Elizabeth ait : « Benedicta tu inter mulieres. » Si sancto Spiritu benedicta canitur Maria, quomodo eam Salvator negavit ? Porro quod asserunt eam nupsisse post partum, unde approbent non habent. Hi enim filii qui Joseph dicebantur, non erant orti de Maria, neque est ulla scriptura quæ ista commemoret. « Benedicta tu inter mulieres, et benedictus » fructus ventris tui. Et unde mihi hoc, ut veniat mater » Domini mei ad me[1] ? » Quod ait : *Unde mihi hoc*, non ignorans dicit ; et maxime Spiritu sancto plena, quasi nesciat quod juxta Dei voluntatem mater Domini venerit ad eam : sed isto sensu loquitur : Quid boni feci ? quæ opera mea tanta sunt, ut mater Domini ad me veniat ? per quam justitiam, ex quibus bonis, de qua fidelitate mentis hoc merui, ut mater Domini mei veniat ad me ? » Ecce enim ut » facta est salutatio tua in aures meas, exultavit in exultatione infans in utero meo[2]. » Sancta erat anima beati Joannis, et adhuc in matris utero clausa, venturaque in mundum quasi per experientiæ sensum sciebat quæ Israël ignorabat : unde exilivit ; et non simpliciter exilivit, sed in gaudio. Senserat enim venisse Dominum suum, ut sanctificaret servum suum, antequam de matris utero procederet. Utinam mihi eveniat ut ab infidelibus stultus dicar, qui talibus credidi. Ipsum opus ostendit et veritas, non me stultitiæ, sed sapientiæ credidisse, et quia hoc quod stultum apud illos putatur, mihi salutis occasio sit. Nisi enim fuisset cœlestis et beata nativitas Salvatoris ; nisi habuisset divini aliquid et humanitatem hominum superegrediens, nunquam totum orbem illius doctrina penetrasset. Si tantummodo fuisset in Mariæ utero, et non Dei Filius, quomodo poterat fieri ut et illo tempore, et nunc, non solum corporum, sed etiam

[1] Luc. I, 42, 43. — [2] Ibid. 44.

animarum morbi multiplices curarentur? Quis nostrum non insipiens fuit, qui nunc propter misericordiam Dei habemus intelligentiam et sitimus Deum? Quis nostrum non incredulus justitiæ, qui nunc propter Christum justitiam habemus, sequimurque justitiam? Quis nostrum non errabundus et vagus, qui nunc propter adventum Salvatoris non fluctuamus atque turbamur, sed sumus in via, in illo videlicet qui ait : « Ego sum via[1] ? » Possumus et reliqua congregantes videre quoniam omnia quæ scripta sunt de eo, divina admiratione digna referuntur; quod et nativitas illius, et nutrimenta, et virtus, et passio, et resurrectio non solum illo tempore, sed etiam nunc operentur in nobis. Quis vos, o Catechumeni, in ecclesia congregavit? quis stimulus impulit ut, relictis domibus, in hunc cœtum coeatis? Neque enim nos domus vestras singillatim circuimus, sed omnipotens Pater virtute invisibili subjicit cordibus vestris quos scit esse dignos, hunc ardorem, ut quasi inviti et retractantes veniatis ad fidem, maxime in exordio religionis cum veluti trepidi et paventes salutis fidem cum timore suscipitis. Obsecro vos, o Catechumeni, nolite retractare : nemo vestrum formidet et paveat, sed sequimini præeuntem Jesum. Ille vos trahit ad salutem, congregat in Ecclesiam; nunc quidem super terram, si autem dignos fructus feceritis, in ecclesiam primitivorum qui scripti sunt in cœlestibus. Beata quæ credidit, quia erit perfectio his quæ dicta sunt ei a Domino. Super quibus et beata Maria magnificat Dominum Jesum..........

Ante[2] Joannem prophetat Elizabeth; ante ortum Domini Salvatoris prophetat Maria. Et quomodo peccatum cœpit a muliere, et deinceps ad virum usque pervenit : sic et principium salutis a mulieribus habuit exordium, ut cæteræ

[1] Joan. xiv, 6.
[2] Hom. viii. p. 940 et seqq.

quoque mulieres, sexus fragilitate deposita, imitarentur vitam conversationemque sanctarum earum quæ vel maxime nunc in Evangelio describuntur. Videamus ergo vaticinium virginale : « Magnificat, *ait,* anima mea Dominum, et exul» tavit spiritus meus in Deo salutari meo [1]. » Duæ res, anima scilicet et spiritus, duplici laude funguntur : anima Dominum prædicat, spiritus Deum. Non quod alia laus Domini, alia Dei sit : sed quia qui Deus est, idem et Dominus est; et qui Dominus est, idem et Deus sit. Quæritur quomodo magnificet Dominum; si enim Dominus nec augmentum nec decrementum recipere potest, et quod est est, qua ratione nunc Maria loquitur : « Magnificat anima mea Dominum? » Si considerem Dominum Salvatorem imaginem esse invisibilis Dei, et videam animam meam factam ad imaginem Conditoris, ut imago esset imaginis; neque enim anima mea specialiter imago est Dei, sed ad similitudinem imaginis prioris effecta est : tunc videbo quoniam, in exemplum eorum qui solent imagines pingere, et uno (verbi causa) vultu regis accepto ad principalem similitudinem exprimendam, artis industriam commendare, unusquisque nostrum ad imaginem Christi formans animam suam, aut majorem ei aut minorem ponit imaginem, vel obsoletam, vel sordidam, aut claram, atque lucentem et splendentem, ad effigiem imaginis principalis. Quando igitur grandem fecero imaginem imaginis, id est, animam meam, et magnificavero eam opere, cogitatione, sermone; tunc imago Dei grandis efficitur, et ipse Dominus, cujus imago est, in nostra anima magnificatur. Et quomodo crescit Dominus in nostra imagine, sic si peccatores fuerimus, minuitur atque decrescit. Sed nos pro imagine Salvatoris alias nobis imagines induimus, pro imagine Verbi, sapientiæ, justitiæ, cæterarumque virtutum, diaboli formam assumimus, ut dicatur de

[1] Luc. 1, 46, 47.

nobis : « Serpentes, generatio viperarum[1]. » Et leonis personam induimus, et draconis, et vulpium, quando venenati, crudeles, callidi sumus; necnon et hirci, vel porci, quando ad libidinem promptiores............ Anima itaque Mariæ primum magnificat Dominum, et postea exultat in Deo. Nisi enim antea crederemus, exultare non possemus. « Quia » respexit, *inquit,* in humilitatem ancillæ suæ[2]. » In quam humilitatem Mariæ respexit Dominus? Quid habebat mater Salvatoris humile atque dejectum, quæ Dei Filium gestabat in utero? Quod ergo dicit : « Respexit in humilitatem » ancillæ suæ, » tale est quasi dixerit : Respexit in justitiam ancillæ suæ, respexit in temperantiam, respexit in fortitudinem atque sapientiam. Dignum quippe est, ut virtutes respiciat. Respondeat aliquis, et dicat : Intelligo quomodo Deus justitiam ancillæ suæ sapientiamque respiciat; quomodo autem intendat humilitatem non satis liquet. Consideret qui quærit talia, quoniam proprie in Scripturis una de virtutibus humilitas prædicetur. Ait quippe Salvator : « Discite a me, quia mansuetus sum et humilis corde, et » invenietis requiem animabus vestris[3]. » Quod si vis nomen hujus audire virtutis, quomodo etiam a philosophis appellatur, ausculta eamdem esse humilitatem quam respiciat Deus, quæ ab illis ἀτυφία sive μετριότης dicitur. Sed et nos quodam eam possumus appellare circuitu, cum aliquis non est inflatus, sed ipse se dejicit. Qui enim inflatur, cadit secundum Apostolum in judicium diaboli, siquidem et ille ab inflatione cœpit atque superbia : « Ut non, *inquit,* » inflatus in judicium incidat diaboli[4]. » Respexit super humilitatem ancillæ suæ. Humilem me, inquit, et mansuetudinis sectantem dejectionisque virtutem respexit Deus. « Ecce enim amodo beatam me dicunt omnes generatio-

[1] Matth. xxiii, 33. — [2] Luc. i, 48. — [3] Matth. xi, 29. — [4] i Timoth. iii, 6.

» nes[1]. » Si simpliciter intelligam omnes generationes, super credentibus illud interpretor. Si autem altius aliquid fuero scrutatus, animadvertam quanti profectus sit dicere : « Quia fecit mihi magna qui est potens[2] ; » quoniam « omnis qui se humiliat exaltabitur[3]. » Respexit autem Deus in humilitatem beatæ Mariæ, propterea fecit illi magna qui potens est, « et sanctum nomen ejus. Et misericordia ejus » in generationes generationum[4]. » Misericordia Dei non in unam generationem, nec in duas, neque in tres, sed nec in quinque, verum in sempiternum extenditur in generationes generationum, timentibus potentiam ejus. « Fecit virtutem » in brachio suo[5]. » Licet infirmus ad Dominum accesseris, si timueris eum, audire poteris repromissionem quam tibi ob timorem suum Dominus pollicetur. Quæ est ista repromissio? *Timentibus*, inquit, *se* fecit virtutem. Virtus, sive imperium, potestas est regia. Etenim κράτος, quod nos imperium possumus appellare, ab eo dicitur quod imperet, sive sub se universa contineat. Si ergo timueris Dominum, dat tibi fortitudinem sive imperium, dat regnum, ut factus sub rege regum, possideas regnum cœlorum in Christo Jesu : cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

§ V.

De Zachariæ prophetia.

Plenus[6] Spiritu sancto Zacharias, duas prophetias generaliter nuntiat : primam de Christo, alteram de Joanne. Quod manifeste de verbis ipsius approbatur, in quibus quasi de præsentia et qui versaretur in mundo loquitur Salvatoris, ac deinde de Joanne : « Repletus *enim* Spiritu sancto, » prophetavit dicens : Benedictus Dominus Deus Israël, quia

[1] Luc. I, 48. — [2] Ib. 49. — [3] Id. XIV, 11. — [4] Id. I, 49, 50. — [5] Ib. 56.
[6] Hom. X. p. 942 et seqq.

» visitavit et fecit redemptionem plebis suæ[1]. » Visitante enim et Deo volente redimere populum suum, mansit Maria cum Elizabeth, postquam ei locutus est Angelus mensibus tribus, ut per ineffabilem quamdam virtutem, non solum Joannem, sicut dudum diximus, sed etiam Zachariam, ut nunc Evangelicus sermo declarat, præsens Salvator instrueret. Paulatim quippe et hic per tres menses sancti Spiritus augmenta capiebat, et cum nesciret erudiebatur, et de Christo prophetavit dicens : « Qui dedit redemptionem » populo suo, et suscitavit cornu salutis nobis in domo Da- » vid[2], » in qua secundum carnem natus est Christus. Et vere quia fuit cornu salutis in domo David, prophetia ista concinitur : « Vinea *enim* facta est in cornu[3]. » In quo cornu? In Christo Jesu, in illo in quo nunc scribitur : « Suscitavit » cornu salutis nobis, in domo David pueri sui, sicut locu- » tus est per os sanctorum Prophetarum. Salutem ex inimi- » cis nostris[4]. » Non putemus nunc de corporalibus inimicis dici, sed de spiritualibus. Venit enim Dominus Jesus, foris in prælio, destruere omnes inimicos nostros, ut nos de insidiis eorum liberaret : « De manu inimicorum nostrorum, » et de manu eorum qui nos oderunt. Facere misericor- » diam cum patribus nostris[5]. » Ego puto quod in adventu Domini Salvatoris, et Abraham, et Isaac, et Jacob fruiti sint misericordia Dei. Neque enim credibile est ut qui prius viderunt diem illius, et lætati sunt, postea in adventu ipsius et nativitate de virgine nihil utilitatis acceperint. Et quid de Patriarchis loquor? Ad altiora Scripturarum auctoritatem sequens audacter ascendam, quoniam præsentia Domini Jesu et dispensatio illius non solum terrena, sed etiam cœlestia juverit. Unde et Apostolus ait : « Pacem fa- » ciens per sanguinem crucis suæ, sive super terram, sive

[1] Luc. I, 67, 68. — [2] Ibid. 68, 69. — [3] Isai. V, 1. — [4] Luc. I, 69, 70, 71. — [5] Ibid. 71, 72.

» in cœlis[1]. » Si autem in cœlis et in terra præsentia Domini profuit, cur paveas dicere quod adventus illius etiam majoribus profuit, ut impleatur quod dicitur : « Facere miseri» cordiam cum patribus nostris, et recordari testamenti » sancti sui, juramenti quod juravit ad Abraham patrem » nostrum, ut daret nobis absque timore de manu inimi» corum liberari[2] ? » Crebro de hostium manu aliqui liberantur, sed non absque timore. Cum enim metus discrimen ante præcesserit, et ita de inimicorum manu quis fuerit erutus, liberatur quidem, sed non sine timore. Porro adventus Domini Jesu de manu inimicorum absque timore nos eruit. Non enim sensimus inimicos nostros, nec eos vidimus repugnantes, sed nescimus quomodo repente de faucibus eorum et insidiis erepti sumus, in puncto atque momento, et transtulit nos in hæreditatem partemque justorum, « et li» berati sumus de manu inimicorum sine metu, ut servia» mus Deo in sanctitate et justitia coram eo omnibus die» bus nostris[3]. » « Et tu puer propheta Altissimi vocaberis[4]. » Apud memetipsum quærens rationem quare non quasi de Joanne, sed ad Joannem ipsum dicens : « Et tu puer pro» pheta Altissimi vocaberis, » et reliqua; superfluum enim fuit ad non audientem loqui, et ad parvulum atque lactantem apostropham facere; hanc puto posse me reperire : quod quomodo mirabiliter Joannes natus est, et Angelo prædicante venit in mundum, et tribus mensibus Maria juxta Elizabeth commorante fusus est in terram, sic etiam cuncta quæ super eo scripta sunt mirabiliter facta referuntur. Quod si dubitas statim de utero matris effusum posse verba patris audire, et scire quid sit hoc quod ad se dicitur : « Et » tu puer propheta Altissimi vocaberis, » considera multo fuisse mirabilius quod præcessit : « Ecce ut facta est vox sa» lutationis tuæ in aures meas, exultavit infans in gaudio in

[1] Coloss. I, 20. — [2] Luc. I, 72, 73, 74. — [3] Ibid. 74, 75. — [4] Ibid. 76.

» utero meo[1]. » Si enim adhuc in ventre matris conclusus audit Jesum, et audiens exilivit atque lætatus est, quare non credas eum jam genitum prophetiam patris audire, et intelligere potuisse dicentem ad se : « Et tu puer propheta » Excelsi vocaberis, antecedes enim coram Domino parare » vias ejus[2]? » Ideo reor Zachariam festinasse ut loqueretur ad parvulum, quia sciebat eum post paululum in eremo moraturum, nec se ejus posse præsentiam habere : « Puer *enim* » erat in desertis usque ad diem ostensionis suæ ad Israël[3]. » Et Moyses in desertis moratus est, sed post et expletis jam ætatis suæ annis, fugit ex Ægypto, et per alios annos pecora custodivit : Joannes vero statim ut natus est, transiit ad deserta, et qui major fuit inter natos mulierum, majori nutrimento dignus apparuit de quo Propheta loquitur : « Ecce » mitto angelum meum ante faciem tuam[4]. » Recte angelus dicitur qui missus fuerat coram Domino, et prophetantem patrem statim ut natus est audire potuit, et intelligere. Quamobrem nos qui tantis mirabilibus credimus, credamus pariter resurrectioni, credamus et repromissionibus quæ venturæ sunt, regnoque cœlorum quod nobis quotidie spiritus pollicetur. Quæ omnia ut scripta sunt mirabiliter plus quam sentire possumus, accipiamus in Christo Jesu, cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

§ VI.

De nativitate Christi.

Natus est[5] Dominus meus Jesus, et Angelus descendit de cœlo annuntians nativitatem ejus. Videamus itaque quos quæsierit, ut eis nuntiaret adventum. Non venit Jerosolymam, non quæsivit Scribas et Pharisæos, non synagogam

[1] Luc. I, 44. — [2] Ibid. 76. — [3] Ibid. 80. — [4] Malach. III, 1.
[5] Hom. XII. p. 945 et seq.

ingressus est Judæorum; sed pastores reperit super greges suos vigilias excubantes, eisque loquitur : « Natus est hodie » Salvator, qui est Christus Dominus[1]. » Putasne nihil aliud divinus Scripturarum sermo significat, sed tantum hoc, quod ad pastores venerit Angelus et eis locutus sit? Audite, pastores ecclesiarum, pastores Dei, quod semper Angelus ejus descendat e cœlo, et annuntiet vobis quoniam « natus est » vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus. » Etenim pastores ecclesiarum, nisi ille Pastor venerit, per se bene gregem servare non poterunt : infirma est eorum custodia, nisi Christus cum eis paverit atque servaverit. Dudum in Apostolo lectum est : « Dei cooperatores sumus[2]. » Pastor bonus qui imitatur Pastorem bonum, cooperator est Dei et Christi. Et propterea pastor bonus est qui habet secum Pastorem optimum compascentem sibi. Posuit enim Deus in ecclesia apostolos, prophetas, evangelistas, pastores, doctores, omnia in perfectione sanctorum[3]. Et hæc quidem sunt dicta simplicius. Cæterum si ad sacratiorem oportet ascendere intelligentiam, dicam quosdam fuisse pastores Angelos qui res humanas regerent; et cum horum unusquisque suam custodiam conservaret et diebus ac noctibus vigilans jam laborem ferre non posset, et hoc ageret industrie, ut gentes quæ sibi creditæ fuerant gubernaret, venisse Angelum nato Domino, et annuntiasse pastoribus quod verus esset Pastor exortus. Verbi gratia, ut ad exemplum veniam, erat quidam pastor Macedoniæ, hic necessarium habebat auxilium Domini : propterea apparuit in somnis vir Macedo Paulo, dicens : « Transiens in Macedoniam, ad- » juva nos[4]. » Quid de Paulo loquar, cum hæc non Paulo, sed qui in Paulo erat, locutus sit Jesu? Indigent itaque pastores præsentia Christi. Quamobrem Angelus descendit de cœlo, et ait : « Nolite timere : ecce enim annuntio vobis

[1] Luc. II, 11. — [2] I Cor. III, 9. — [3] Ephes. IV, 11, 12. — [4] Act. XVI, 9.

» gaudium magnum[1]. » Vere gaudium magnum, his quibus hominum fuerat et provinciarum cura permissa, Christum venisse in mundum. Multum utilitatis accepit Angelus qui dispensabat Ægyptias res, postquam Dominus descendit e cœlo, ut Ægyptii Christiani fierent. Profuit et cunctis qui diversas provincias obtinebant; verbi causa, præsidi Macedoniæ, præsidi Achaiæ, reliquarumque religionum. Neque enim fas est credere malos angelos suis præesse provinciis, et bonos non easdem provincias habere permissas. Hoc autem quod de singulis provinciis dicit, puto etiam de universis hominibus generaliter debere credere. Unicuique duo assistunt angeli, alter justitiæ, alter iniquitatis. Si bonæ cogitationes in corde nostro fuerint, et in animo justitia pullularit, haud dubium quin nobis loquatur Angelus Domini: si vero mala fuerint in nostro corde versata, loquitur nobis angelus diaboli. Quomodo igitur per singulos homines bini sunt angeli, sic opinor et in singulis dispares esse provinciis, ut sint et boni, sint et mali. Verbi gratia, in Epheso propter eos qui in illa urbe peccatores erant, pessimi angeli præsidebant. Rursus quia multi erant credentes in ea, erat et Angelus ecclesiæ Ephesiorum, utique bonus. Hoc autem quod de Epheso diximus, super omnibus provinciis cognoscendum. Ante adventum Domini Salvatoris, isti Angeli parum poterant creditis sibi utilitatis afferre, et conatus eorum sequi non valebat effectus. Quoddam est signum quam parum prodesse poterant subjectis. Ausculta quod dicimus: Quando Angelus Ægyptiorum Ægyptios adjuvabat, vix unus proselytus credebat in Deum; et hoc fiebat, Ægyptios Angelo dispensante. Denique quia plerique de Ægyptiis et Idumæis proselyti accipiebant fidem Christi, propterea Scriptura dicit: « Non abominaberis Ægyptium, quoniam advenæ » eratis in terra Ægypti; et Idumæum, quia frater tuus est.

[1] Luc. II, 10.

» Filii si nati fuerint eis, in generatione tertia intrabunt in » ecclesiam Dei [1]. » Atque ita fiebat ut de omnibus gentibus nonnulli proselyti fierent, et hoc ipsum Angelis qui gentes habebant subditas annitentibus. Nunc autem populi credentium accedunt ad fidem Jesu, et Angeli quibus creditæ fuerint ecclesiæ, roborati præsentia Salvatoris, multos adducunt proselytos, ut congregentur in omni orbe conventicula Christianorum....

Dominus [2] noster atque Salvator in Bethleem, et multitudo cœlestis exercitus laudat Deum, et dicit : « Gloria in » excelsis Deo, et super terram pax hominibus bonæ volun- » tatis [3]. » Hæc autem loquitur multitudo cœlestis exercitus, quia jam defecerat præbere hominibus auxilium, et videbat se opus quod sibi creditum fuerat implere non posse absque eo qui vere salvare poterat, et præsules quoque ipsos juvare ut homines salvarentur. Quomodo igitur scriptum est in Evangelio quod quidam, remis sulcantes mare adversus contrarios ventos, jam fessi erant, et viginti quinque sive triginta stadiis laborantes, portum tenere non poterant, et postea Dominus supervenit, et quiescere fecit fluctus tumentes, navemque cujus hinc inde latera tundebantur, ab imminenti discrimine liberavit [4] : sic intellige quoniam et Angeli volebant quidem hominibus præbere auxilium, et eis ab ægrotationibus suis tribuere sanitatem; quia « omnes » sunt apparitores spiritus in ministerium missi propter eos » qui consecuti sunt salutem [5], » qui, quantum in suis viribus erat, adjuvabant homines. Videbant autem multo inferiorem suam esse medicinam, quam illorum cura poscebat. Porro, ut de exemplo possis intelligere quod dicimus, vide mihi urbem in qua ægrotent plurimi, et medicorum fre-

[1] Deut. XXIII, 7, 8.
[2] Hom. XIII, p. 946 et seq.
[3] Luc. II, 14. — [4] Joan. VI, 19, 21. — [5] Hebr. I, 14.

quens adhibeatur manus; sint diversa vulnera; quotidie in emortuam carnem serpens putredo penetret, et tamen medici qui adhibiti sunt ad curandum nequeant alia ultra invenire medicamina, et artis suæ scientia magnitudinem mali vincere: cum hæc in talibus nacti sint, eveniat aliquis archiater qui habeat summam in arte notitiam, et illi qui prius sanare nequiverant, cernentes magistri manu putredines cessare vulnerum, non invideant, non livore crucientur, sed in laudes erumpant archiatri, et prædicent Deum qui et sibi et ægrotantibus tantæ scientiæ hominem miserit. In hanc ergo similitudinem, et multitudo exercitus Angelorum audita est dicens: « Gloria in excelsis Deo, et super » terram pax hominibus bonæ voluntatis[1]. » Postquam enim Dominus venit ad terram, pacem fecit per sanguinem crucis suæ, sive eorum quæ in terra erant, sive eorum quæ in cœlis[2]. Siquidem volentes Angeli ut recordarentur homines Creatoris sui, cum fecissent omnia quæ in suis viribus erant ut sanarentur, et noluissent illi respicere sanitatem, cernunt eum qui sanare potuit, et glorificantes dicunt: « Gloria in excelsis Deo, et super terram pax[3]. » Diligens Scripturæ lector inquirat quomodo Salvator loquitur: « Non » veni pacem mittere super terram, sed gladium[4]; » et nunc Angeli in ejus nativitate decantant: « Super terram » pax[5]. » Siquidem et in alio loco ex persona ipsius dicitur: « Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis. Non » sicut mundus iste dat pacem, ego do pacem[6]. » Videat ergo quod inferimus, an possit solvere quæstionem. Si scriptum esset, *Super terram pax*, et hucusque esset finita sententia, recte quæstio nasceretur. Nunc vero in eo quod additum est, hoc est, quod post pacem dicitur: « In homi» nibus bonæ voluntatis[7], » solvit quæstionem. Pax enim

[1] Luc. II, 14. — [2] Coloss. I, 20. — [3] Luc. II, 14. — [4] Matth. X, 34. — [5] Luc. II, 14.— [6] Joan. XIV, 27. — [7] Luc. II, 14.

quam non dat Dominus super terram, non est pax bonæ voluntatis. Neque enim ait simpliciter : « Non veni pacem » mittere [1], » sed cum additamento *super terram :* neque e contrario dixit : Non veni pacem mittere super terram hominibus bonæ voluntatis. Hæc locuti sunt Angeli ad pastores; qui non solum eo tempore loquebantur, sed usque hodie nisi locuti fuerint ad pastores, et sua eis opera copularint, dicitur ad eos : « Nisi Dominus ædificaverit domum, » in vanum laboraverunt qui ædificant eam. Nisi Dominus » custodierit civitatem, in vanum laborabit qui custodit » eam [2]. »…. « Et factum est, *inquit,* cum abiissent ab eis » Angeli in cœlos, pastores dixerunt ad invicem : Trans- » eamus usque Bethleem, et videamus hoc verbum quod » factum est, quod Dominus ostendit nobis. Venerunt fes- » tinantes, et invenerunt Mariam, et Joseph, et puerum [3]. » Quia festinantes venerant, et non pedetentim neque fesso gradu, ideo invenerunt Joseph dispensatorem ortus Dominici, et Mariam quæ Jesum fudit in partum, et ipsum Salvatorem jacentem in præsepio. Illud erat de quo Propheta vaticinatus est, dicens : « Cognovit bos possessorem suum, » et asinus præsepe Domini sui [4]. » Bos animal mundum est, asinus animal immundum. « Cognovit asinus præsepe » Domini sui. » Non populus Israël cognovit præsepe Domini sui, sed immundum animal ex gentibus : « Israël vero » me non cognovit, et populus meus me non intellexit [5]. » Intelligentes hoc præsepe, nitamur cognoscere Dominum, et digni fieri scientia ejus, assumere quoque nativitatem et resurrectionem carnis ejus, sed et inclytum ac secundum majestatis ejus adventum, cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Matth. x, 34. — [2] Psal. cxxvi, 1. — [3] Luc. ii, 15, 16. — [4] Isai. i, 3. — [5] Ibidem.

§ VII.

De Simeonis et Annæ prophetia.

Digna [1] Dei munere quærenda est ratio. « Simeon, vir » sanctus et Domino placens, *sicut in Evangelio scriptum* » *est*, expectans consolationem Israël, responsum acceperat » a Spiritu sancto, non se prius mortem obiturum, quam » videret Christum Domini [2]. » Quid ei profuit ut videret Christum? Utrum hoc tantum in promissione habuit, ut videret illum, nihilque ex visu ejus consequeretur utilitatis? an latet aliquod donum dignum Deo, quod beatus Simeon et meruit et accepit? « Fimbriam vestimenti Jesu » mulier tetegit, et sanata est [3]. » Si illa ad extremam partem vestimenti tantum emolumenti habuit, quid putandum est de Simeone qui in suas ulnas accepit Infantem, et brachiis tenens lætabatur, atque gaudebat videns parvulum a se gestari qui ad vinctos venerat resolvendos, seque ipsum nodis corporis liberandum; sciens neminem posse de claustro corporis quempiam emittere cum spe futuræ vitæ, nisi eum quem in brachiis continebat. Unde ad eum loquitur : « Nunc dimittis, Domine, servum tuum in pace [4]. » Quamdiu enim Christum non tenebam, quamdiu illum meis brachiis non arctabam, clausus eram, et de vinculis exire non poteram. Hoc autem non solum de Simeone, sed de omni humano genere sciendum est. Si quis egreditur e mundo, si quis e carcere vinctorum domo dimittitur ut ad regnandum vadat, sumat Jesum in manibus suis, et circumdet eum brachiis suis, totum habeat in sinu, et tunc exultans ire poterit quo desiderat. Considerate quanta dispensatio præcesserit ut Filium Dei Simeon mereretur tenere. Pri-

[1] Hom. XV, p. 949 et seq.
[2] Luc. II, 25, 26. — [3] Matth. IX, 20, 22. — [4] Luc. II, 29.

mum responsum a sancto Spiritu acceperat, non eum videre mortem nisi prius vidisset Christum Domini. Deinde non fortuitu ac simpliciter ingressus est templum, sed venit in templum in spiritu Dei. « Quotquot enim spiritu Dei » aguntur, hi sunt filii Dei [1]. » Spiritus igitur sanctus eum duxit in templum. Tu quoque si vis tenere Jesum et amplexare manibus, et dignus fieri exire de carcere, omni labore nitere ut ducem habeas spiritum, veniasque ad templum Dei. Ecce nunc stas in templo Domini Jesu, hoc est, in Ecclesia ejus : hoc est templum de vivis lapidibus extructum. Stas autem in templo Domini, quando vita tua et conversatio Ecclesiæ fuerit appellatione dignissima. Si veneris spiritu ad templum, invenies parvulum Jesum ; levabis illum brachiis tuis, et dices : « Nunc dimittis servum tuum, » Domine, in pace, secundum verbum tuum [2]. » Simulque attende, quod solutioni et dimissioni pax addita sit. Non enim ait : Dimitti volo ; sed cum additamento : In pace dimitti. Nam et beato Abrahæ hoc idem promissum est : « Tu » autem vades ad patres tuos in pace, nutritus in senecta » bona [3]. » Quis est qui moriatur in pace, nisi qui habet pacem Dei, quæ omnem sensum superat, custoditque cor possessoris sui ? Quis est iste qui de sæculo isto recedit in pace, nisi is qui intelligit quod Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, nihilque inimicum habet adversarium Dei, sed omnem pacem atque concordiam bonis in se operibus assumpsit, et sic in pace dimittitur pergere ad sanctos patres, ad quos et sanctus Abraham profectus est ? Quid de patribus loquar ad ipsum quoque qui patriarcharum princeps et Dominus est, ire Jesum, de quo dicitur : « Melius est resolvi, et esse cum Christo [4] ? » Ille habet Jesum, qui audet loqui : « Vivo, jam non ego, vivit vero in

[1] Rom. VIII, 14. — [2] Luc. II, 29. — [3] Genes. XV, 15. — [4] Philip. I, 23.

» me Christus[1].» Ut igitur et nos, stantes in templo, et tenentes Dei Filium, amplexantesque eum, digni remissione et profectione ad meliora simus, oremus omnipotentem Deum, oremus et ipsum parvulum Jesum, quem alloqui et tenere desideramus in brachiis : cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

.... « Erant[2] pater illius et mater admirantes super » his quæ dicebantur de eo[3]. » Quæ igitur causa extitit ut eum qui pater non fuit patrem esse memoraret? Qui simplici expositione contentus est, dicit : Honoravit eum Spiritus sanctus patris vocabulo, quia nutrierat Salvatorem. Qui autem altius aliquid inquirit, potest dicere, quia generationis ordo a David usque ad Joseph deducitur, et ne videretur frustra Joseph nominari, qui pater non fuerat Salvatoris, ut generationis ordo haberet locum, pater appellatus est Domini. Admirabantur igitur pater illius et mater super his quæ dicebantur de eo, tam ab Angelo quam a multitudine cœlestis exercitus, necnon a pastoribus. Omnia quippe hæc audientes vehementissime mirabantur. Dehinc Scriptura ait : « Benedixit eis Simeon, et dixit ad » Mariam matrem ejus : Ecce iste positus est in ruinam et » in resurrectionem multorum in Israël, et in signum cui » contradicetur. Et tuam ipsius animam pertransibit gla- » dius, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes[4]. » Quomodo Salvator in ruinam et in resurrectionem multorum venerit, est contemplandum. Qui simpliciter exponit potest dicere in ruinam eum venisse infidelium, et in resurrectionem credentium. Qui vero curiosus interpres est, dicit nequaquam eum cadere qui ante non steterit. Da mihi igitur qui fuerit ille qui steterit, et in cujus ruinam Salva-

[1] Galat. II, 20.
[2] Hom. XVII, p. 951 et seqq.
[3] Luc. II, 33. — [4] Ibid. 34 et 35.

tor advenerit, necnon et eum qui consurgat. Nam utique ille consurgit qui ante corruerat. Videndum est utique ne forte Salvator non aliis atque aliis in ruinam venerit et resurrectionem multorum, sed iisdem et in ruinam et in resurrectionem venerit. « In judicium, *ait,* ego veni, ut qui » non videbant videant, et qui videbant cæci fiant[1]. » Est enim in nobis quod videbat prius, et postea videre desivit; et aliud quod non videbat, et postea cœpit videre. Verbi gratia, volo videre illis oculis quibus antea non videbam, et qui mihi postea reserati sunt, quoniam post inobedientiam et Adam et Evæ oculi sunt aperti, de quibus superiori sermone tractavimus. Nunc autem interpretandum quid sibi velit hoc quod ait: « Ecce hic positus est in ruinam et in » resurrectionem multorum in Israël[2]. » Me oportet primum cadere, et cum cecidero postea bene resurgere, ne Salvator causa fuerit malæ ruinæ. Sed propterea cadere me fecit, ut consurgam, et multo mihi ruina utilior fuerit quam illud tempus quo videbar stare: stabam enim in peccato eo tempore quo peccato vivebam; et quia peccato stabam, prima mihi utilitas fuit ut caderem, et peccato morerer. Denique et sancti Prophetæ quando augustius aliquid contemplabantur, cadebant in faciem suam. Propterea autem cadebant, ut peccata per ruinam plenius purgarentur. Hoc ipsum et Salvator tibi primum concedit, ut corruas: ethnicus eras, cadat in te ethnicus; diligebas scortum, primum in te scortum intereat; peccator eras, cadat in te peccator: ut possis de hinc resurgere et dicere: « Si commortui sumus, » et convivemus[3]; » et: « Si mortis conformes, simul et » resurrectionis erimus[4]. » Iste igitur in ruinam et in resurrectionem multorum positus est in Israël, hoc est, in his qui plena possunt acie et ratione conspicere. « Et in signum » cui contradicetur[5]. » Omnibus quæ narrat historia de Salva-

[1] Joan. IX, 39. — [2] Luc. II, 34. — [3] Rom. VI, 8. — [4] Ib. 5. — [5] Luc. II, 34.

tore, contradicitur. Virgo mater est; signum est cui contradicitur: Marcionitæ contradicunt huic signo, et aiunt penitus eum de muliere non esse generatum; Ebionitæ contradicunt signo, dicentes ex viro et muliere ita natum esse ut nos quoque nascimur. Habuit corpus humanum, et hoc signum est cui contradicitur: alii enim dicunt eum venisse de cœlis; alii, tale quale nos corpus habuisse, ut per similitudinem corporis etiam nostra corporis redimeret a peccatis, et daret nobis spem resurrectionis. Resurrexit a mortuis, et hoc signum est cui contradicitur: quomodo resurrexit, et utrum ipse, et talis qualis mortuus est, an certe melioris substantiæ corpus resurrexerit: et est infinita contentio, aliis dicentibus: Fixuram clavorum Thomæ ostendit in manibus suis; aliis e regione tractantibus: Si idem corpus habuit, quomodo clausis ingressus est ostiis, et stetit? Vides igitur quemadmodum argumentis variis etiam resurrectioni ejus quæstio concitetur, et fit signum cui contradicitur. Ego et hoc quod Prophetarum ore prædictum est, puto signum esse cui contradicitur. Sunt enim plures hæretici qui asserunt eum a Prophetis penitus non fuisse prædicatum. Et quid me necesse est multa prosequi? Omnia quæ de eo narrat historia, signum est cui contradicitur. Non quod contradicant hi qui credunt in eum, nos quippe omnia scimus vera esse quæ scripta sunt; sed quia apud incredulos universa quæ de eo scripta sunt, signum sit cui contradicitur. Deinde Simeon ait.....

« Et tuam animam pertransibit gladius, ut revelentur » ex multorum cordibus cogitationes[1].» Cogitationes erant malæ in hominibus, quæ propterea revelatæ sunt ut prolatæ in medium perderentur, et interfectæ atque emortuæ, esse desinerent, et occideret eas ille qui pro nobis mortuus est. Quamdiu enim absconditæ erant cogitationes,

[1] Luc. II, 35.

nec prolatæ in medium, impossibile erat eas penitus interfici. Unde et nos si peccaverimus, debemus dicere : « Peccatum meum notum feci tibi, et iniquitatem meam non » abscondi. Dixi : Annuntiabo injustitiam meam contra me » Domino [1]. » Si enim hoc fecerimus, et revelaverimus peccata nostra non solum Deo, sed et his qui possunt mederi vulneribus nostris atque peccatis, delebuntur peccata nostra ab eo qui ait : « Ecce delebo ut nubem iniquitates tuas, » et sicut caliginem peccata tua [2]. » Post Simeonis prophetiam, quia necesse erat ut mulieres etiam salvarentur, venit prophetes mulier, de qua scribitur : « Et erat Anna prophe» tissa, filia Phanuel, de tribu Aser [3]. » Quam pulcher ordo! Non venit ante virum mulier, sed primum venit Simeon, qui apprehendit Infantem et tenuit in brachiis suis ; deinde mulier, cujus non sunt quidem verba digesta, sed dictum est generaliter quod confessa sit Domino, et locuta de eo omnibus qui expectabant redemptionem Israël. Et juste sancta mulier spiritum prophetandi meruit accipere, quia longa castitate longisque jejuniis ad hoc culmen ascenderat. Videte, mulieres, testimonium Annæ, et imitamini illud, si quando vobis evenerit ut perdatis viros. Considerate quid de ea scriptum sit : « Septem annis vixit a virginitate sua » cum viro suo [4], » et reliqua : propterea prophetes fuit. Neque enim utlibet et fortuito Spiritus sanctus habitavit in ea. Bonum est et primum, si qua potest virginitatis gratiam possidere; si autem hoc non potuerit, sed evenerit ei ut perdat virum, vidua perseveret.....

[1] Psal. xxxi, 5. — [2] Isai. xliv, 22. — [3] Luc. ii, 36. — [4] Ibid.

§ VIII.

De pueritia Jesu.

Natus[1] est Dominus meus Jesus, et ascenderunt parentes ejus in Jerosolymam, ut complerent ea quæ fuerant in Lege præcepta, et offerrent pro eo par turturum et duos pullos columbarum. Tenuit eum brachiis suis Simeon, ut dudum lectum est, et prophetavit de eo quæ narrat historia : et postquam omnia in more completa sunt, revertuntur parentes quo Jesus nunc agebat; et tamen crescebat et confortabatur sapientia et gratia. Necdum quadraginta dies purgationis impleverat, necdum Nazareth venerat, et jam totam sapientiam respiciebat. Potuit Scriptura dicere : Crescebat et confortabatur, et accipiebat spiritum; sed qui evacuaverat se formam servi accipiens, statim ut pro mundatione ejus sacrificium oblatum est, id quod vacuefecerat adimplevit : non quod corpus ejus illico majus fuerit effectum, sed quod sacratius quippiam demonstraretur, Scriptura referente : « Puer autem crescebat, et confortabatur, » et replebatur sapientia[2]. » Quæramus sicubi alibi de parvulo scriptum sit : « Crescebat et confortabatur, » ut ex collatione multorum, quid plus in Domino nostro dicatur intelligere valeamus. De Joanne : « Puer autem crescebat » et confortabatur[3]; » et tamen non additur, et replebatur sapientia, sed, *confortabatur spiritu.* Hic vero de Domino : « Crescebat, *inquit,* et confortabatur, et replebatur sapien- » tia, et gratia Dei erat super eum[4]. » Hæc omnia de puero qui necdum duodecim annos impleverat, dicta sunt. Cum autem duodecim esset annorum, remanet in Jerusalem. Parentes ejus ignorantes, quærunt eum sollicite, et non in-

[1] Hom. XVIII, p. 953 et seq.
[2] Luc. II, 40. — [3] Id. I, 80. — [4] Id. II, 40.

veniunt. Quærunt inter affines, quærunt in comitatu, quærunt inter notos, et in his omnibus non reperiunt. Quæritur ergo Jesus a parentibus suis cum patre qui nutritius et comes fuerat Ægyptum descendentis, et tamen non statim ut quæritur invenitur. Non enim inter cognatos et carnis propinquos invenitur Jesus, non in his qui corporaliter ei juncti sunt: in multorum comitatu Jesus meus non potest inveniri. Disce ubi eum quærentes reperiant, ut et tu quærens cum Joseph Mariaque reperias. Et quærentes, inquit, « invenerunt illum in templo [1]. » Non ubicumque in alio loco, sed in templo. Neque in templo simpliciter, sed « in medio doctorum, audientem et interrogantem » eos. » Et tu ergo quære Jesum in templo Dei, quære in ecclesia, quære eum apud magistros qui in templo sunt et non egrediuntur ex eo. Si enim ita quæsieris, invenies eum. Porro si quispiam dicit se magistrum esse, et Jesum non habet, iste nomine tantum magister est; et ideo apud eum non potest inveniri Jesus Verbum Dei et sapientia. Inventus est, inquit, in medio doctorum. Quomodo in alio loco de prophetis scriptum est, sic et nunc intellige in medio doctorum. « Si, *inquit,* alteri revelatum fuerit sedenti, primus » tacet [2]. » In medio doctorum sedentem inveniunt eum, et non solum sedentem, sed et sciscitantem et audientem eos. Et nunc præsens est Jesus, interrogat nos, et audit loquentes. « Et mirabantur, *inquit,* omnes [3]. » Super quo mirabantur? Non super interrogationibus ejus, licet et ipsæ mirabiles erant, sed « super responsionibus ejus [4]. » Aliud est enim interrogare, aliud respondere. Interrogabat magistros, et quia respondere non poterant, ipse his de quibus interrogaverat respondebat. Quod autem responsio non vicissitudinem sermocinandi, sed doctrinam in Scripturis sanctis sonet, lex divina te doceat. Moyses loquebatur; Deus

[1] Luc. II, 46. — [2] I Cor. XIV, 30. — [3] Luc. II, 47. — [4] Ibid.

autem respondebat ei voce. Responsio illa eorum erat super quibus ignorantem Moysen Dominus instruebat. Interdum interrogat Jesus, interdum respondet, sicut supra diximus. Quanquam mirabilis ejus interrogatio sit, tamen multo mirabilior est responsio. Ut igitur et nos audiamus eum, et proponat nobis quæstiones, quas ipse dissolvat, obsecremus illum, et cum labore nimio et dolore quæramus; et tunc poterimus invenire quem quærimus. Non enim frustra scriptum est: « Ego et pater tuus dolentes quærebamus » te [1]. » Oportet enim qui quærit Jesum, non negligenter, non dissolute, non transitorie quærere, sicut quærunt nonnulli, et ideo invenire non possunt...

.... «Dolentes [2], *inquit,* quærebamus te [3].» Non puto eos idcirco doluisse quia putarent errasse puerum, vel periisse; nec poterat accidere ut Maria, quæ sciebat se de Spiritu sancto concepisse, quæ et Angelum loquentem, et currentes pastores, et Simeonem audierat prophetantem, timeret ne puerum perderet oberrantem. Amove hanc opinionem maxime de Joseph, cui ab Angelo præceptum fuerat ut tolleret puerum, et in Ægyptum pergeret; qui audierat: « Ne timeas tollere Mariam conjugem tuam, quod » enim in ea natum est de Spiritu sancto est [4]. » Nunquam fieri poterat ut perditum formidaret infantem, quem divinum esse cognoverat. Aliud quidam dolor et quæstio parentum, quam simplex lector intelligit, sonat. Quomodo enim tu, si quando Scripturas legis, quæris in eis sensum cum dolore quodam ac tormento; non quo Scripturas errasse aut perperam quid habere arbitreris, sed quod illæ intrinsecus habeant veritatis sermonem atque rationem, et tu nequeas invenire quod verum est: ita et illi quærebant

[1] Luc. II, 48.
[2] Hom. XIX. p. 955.
[3] Luc. II, 48. — [4] Matth. I, 20.

ne forte recessisset ab eis, ne relinquens eos ad alia transmigrasset, et, quod magis puto, ne revertisset ad cœlos, cum illi placuisset iterum descensurus. Dolentes ergo quærebant Filium Dei. Et cum quærerent, non invenerunt inter cognatos. Neque enim poterat humana cognatio Dei Filium continere. Non invenerunt inter cognatos, quia divina majora erant notitia scientiaque mortali. Ubi igitur inveniunt eum? In templo. Ibi enim invenitur Filius Dei. Si quando et tu quæsieris Filium Dei, quære primum in templo; illuc propera, ibi Christum sermonem atque sapientiam, id est, Filium Dei, reperies. Quoniam vero parvulus erat, invenitur in medio præceptorum sanctificans et erudiens eos. Quia parvulus erat, invenitur in medio non eos docens, sed interrogans, et hoc pro ætatis officio, ut nos doceret quid pueris, quamvis sapientes et eruditi sint, conveniret, ut audiant potius magistros quam docere desiderent, et se vana ostentatione non jactent. Interrogabat, inquam, magistros, non ut aliquid disceret, sed ut interrogans erudiret. Ex uno quippe doctrinæ fonte manat et interrogare et respondere sapienter; et ejusdem scientiæ est, scire quid interroges, quidve respondeas. Oportuit primum Salvatorem eruditæ interrogationis magistrum fieri, ut postea interrogationibus responderet juxta rationem Dei atque sermonem....

Quærebant[1] Maria et Joseph inter affines Jesum, et non inveniebant in comitatu, et invenire non poterant. Quæsierunt in templo, sed apud magistros, et in medio præceptorum inveniunt eum. Ubicumque magistri fuerint, in medio magistrorum invenitur Jesus; si tamen magister sedeat in templo, et nunquam egrediatur ex eo. Profuit Jesus magistris suis, et eos quos interrogare videbatur docuit in medio eorum loquens, et quodammodo concitabat eos ad

[1] Hom. xx, p. 955 et seq.

quærenda quæ usque ad id locorum utrum scirent, an ignorarent, nosse non poterant. Invenitur Jesus in medio magistrorum, et inventus dicit quæsitoribus suis : « Quid est quia » quærebatis me ? Nesciebatis quia in his quæ sunt Patris » mei oportet me esse [1] ? » Primum simpliciter sentientes, armemur adversus impios hæreticos, qui dicunt non esse Conditorem Patrem Jesu, neque Deum Legis, sed nec Prophetarum. Ecce Pater, Deus templi asseritur. Erubescant Valentiniani audientes Jesum inquientem : « In his quæ sunt » Patris mei oportet me esse. » Erubescant omnes hæretici, qui Evangelium recipiunt secundum Lucam, et quæ in eo sunt scripta contemnunt. Hæc, ut dixi, sint intellecta simplicius. Quoniam vero infertur : « Ipsi autem non intellexerunt » sermonem [2], » sensum Scripturæ diligentius ventilemus, si erant stulti et insipientes, ut nescirent quid diceret, quia hoc quod ait : « In his quæ sunt Patris mei me esse opor» tet, » significaret in templo, an aliud quidam altius significet, et quod magis ædificet audientes. Unusquisque nostrum si bonus fuerit atque perfectus, possessio Dei Patris est, et habet in medio sui Jesum. Credamus quippe dicenti : « Quoniam in his quæ sunt Patris mei me oportet » esse [3]. » Magis rationabile atque vivens, et verum templum Dei hoc esse suspicor, quam illud quod typice terreno opere constructum est. Unde illo in templo ut typice fuit, ita recessit et typice. Egressus est enim de templo terreno dicens : « Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta [4], » et relinquens domum illam venit ad possessionem Dei Patris, ad ecclesias in toto orbe dispersas, et dicit : « In his quæ » sunt Patris mei me oportet esse [5]. » Tunc ergo non intellexerunt verbum quod locutus est eis. Simul et illud attendite, quod quamdiu in possessione Patris sui fuit, sursum erat. Quia necdum plenam fidem Joseph et Maria habe-

[1] Luc. II, 49. — [2] Ib. 50. — [3] Ib. 49. — [4] Matth. XXIII, 38. — [5] Luc. II, 49.

bant (1), propterea sursum cum eo manere non poterant, sed dicitur descendisse cum eis. Crebro Jesus descendit cum discipulis suis, nec semper versatur in monte, nec absque fine sublimia tenet. In monte cum Petro est, cum Jacobo, cum Joanne, et rursum in alio loco cum cæteris discipulis. Porro quia non valebant hi qui variis ægrotationibus laborabant in montem conscendere, idcirco descendit, et venit ad eos qui deorsum erant. Nunc quoque scribitur : « Des» cendit cum eis, et venit Nazareth, et subjiciebatur eis [1]. » Discamus filii subjecti esse parentibus nostris; major minori subjicitur. Nam quia majorem Joseph videbat ætate, propterea eum parentis honore coluit, omnibus filiis exemplum tribuens, ut subjiciantur parentibus. Quod si patres iis non fuerint, subjiciantur iis qui patrum ætatem habent. Quid loquor de parentibus et filiis ? Si Jesus Filius Dei subjicitur Joseph et Mariæ, ego non subjiciar episcopo, qui mihi a Deo ordinatus est pater ? non subjiciar presbytero, qui mihi Domini dignatione præpositus est ? Puto quod intelligebat Joseph quia major se erat Jesus, quod subjiciebatur sibi, et sciens majorem esse subjectum, trepidus moderabatur imperium. Videat ergo unusquisque quod sæpe melioribus præpositus sit inferior, et nonnunquam accidat ut ille qui subjectus est melior sit eo qui sibi videtur esse præpositus. Quod cum intellexerit dignitate sublimior, non elevabitur superbia ex eo quod major est, sed sciet ita sibi meliorem esse subjectum, quomodo et Jesus subjectus fuit Joseph. Deinde sequitur : « Maria autem conservabat omnia verba » hæc in corde suo [2]. » Plus aliquid quam de homine suspicabatur, unde et custodiebat omnia verba ejus in corde suo, non quasi pueri qui duodecim esset annorum, sed ejus qui de Spiritu sancto conceptus fuerat, quem videbat proficere sapientia et gratia apud Deum et homines. Jesus pro-

[1] Luc. II, 51. — [2] Ibid.

ficiebat sapientia; sapientior per singulas videbatur ætates. Numquid sapiens non erat, ut sapientior fieret? An quoniam evacuaverat se, formam servi accipiens, id quod amiserat resumebat, et replebatur virtutibus quas paulo ante assumpto corpore visus fuerat relinquere? Proficiebat ergo non solum sapientia, sed ætate. Est ætatis profectus. Duæ in Scripturis feruntur ætates : altera corporis, quæ non est in potestate nostra, sed in lege naturæ; altera animæ, quæ proprie in nobis sita est, juxta quam, si volumus, quotidie crescimus et ad summitatem venimus, ut non simus ultra parvuli fluctuantes, et qui circumferamur omni vento doctrinæ, sed esse parvuli desinentes, incipiamus esse viri atque dicamus : « Quando factus sum vir, destruxi ea quæ » erant parvuli [1]. » Hujus, ut dixi, ætatis profectus, qui incrementum habet animæ, in nostra est potestate. Si autem non sufficit testimonium, etiam aliud de Paulo sumamus exemplum : « Donec perveniamus, *inquit*, omnes in virum » perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis corporis Chri» sti [2]. » In nobis ergo est ut ad mensuram perveniamus ætatis corporis Christi, et, si in nobis est, omni labore nitamur deponere parvulum et destruere illum, et ad ætates reliquas pervenire, ut nos quoque audire possimus : « Tu au» tem ibis ad patres tuos cum pace, nutritus in senecta bo» na [3], » utique spirituali, quæ est vere senectus bona, canescens et in finem usque perveniens in Christo Jesu : cui est gloria, et honor, et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

§ IX.

De prædicatione Joannis.

Quando [4] ad Judæos tantum sermo propheticus mitteba-

[1] 1 Cor. XIII, 11. — [2] Ephes. IV, 13. — [3] Gen. XV, 15.
[4] Hom. XXI. p. 956 et seqq.

tur, Judaïci reges ponebantur in titulo. Verbi gratia, visio quam vidit Isaias filius Amos[1], adversus Judæam et adversus Jerusalem, in regno Osiæ et Jonathan, et Achaz, et Ezechiæ; nec alium quemquam, exceptis Judææ regibus, Isaiæ vides tempore designatum. In quibusdam prophetis et Israël reges legimus, sicut ibi : « Et in diebus, *inquit,* Jeroboam » filii Joas regis Israël[2]. » Quando vero sacramentum Evangelii prædicandum erat, et in toto orbe Evangelium disseminandum, cujus princeps Joannes in eremo fuit, et orbem Romanum Tiberii regebat imperium, et tunc in quinto decimo anno verbum Domini ad Joannem factum esse describitur. Et si tantum his qui de nationibus credituri erant annuntianda salus fuisset, et penitus excludendus Israël, suffecerat dicens : « In quinto decimo anno Tiberii Cæsaris, » præside Judææ Pontio Pilato[3]. » Quia vero et de Judæa et de Galilæa multi credituri erant, idcirco et hæc regna ponuntur in titulo, diciturque : « Tetrarcha Galilææ Herode, et » Philippo fratre ejus tetrarcha Itureæ et Trachonitidis regio- » nis, et Lysania tetrarcha Abilenæ, sub principibus sacerdo- » tum Anna et Caïpha factum est verbum Domini ad Joan- » nem filium Zachariæ in deserto[4]. » Olim verbum Dei fiebat ad Jeremiam filium Elchiæ, in Anathoth, in diebus Josiæ regis Judæ : nunc sermo Dei fit ad Joannem filium Zachariæ, qui nunquam factus est ad prophetas in deserto. Sed quia plures filii credituri erant desertæ, magis quam ejus quæ habet virum, idcirco factum est verbum Dei ad Joannem filium Zachariæ in deserto. Simulque considera quod magis rationem habet si mystice intelligatur desertum, et non secundum simplicem litteram. Qui enim in deserto prædicat, superflue facit ibi vociferari, ubi se loquentem nullus exaudiat. Præcursor ergo Christi, et vox clamantis in deserto, prædicat in deserto animæ quæ non habebat pacem. Non

[1] Isai. I, 1. — [2] Amos. I, 1. — [3] Luc. III, 1. — [4] Ib. 1 et 2. — [4] Jer. I, 1.

solum autem tunc, sed et in præsenti primum lucerna ardens et lucens venit, et prædicabat baptisma pœnitentiæ in remissionem peccatorum : deinde lux vera subsequitur, quando lucerna ipsa loquitur : « Illum oportet crescere, me » autem minui[1]. » Fit verbum in deserto, et venit ad omnem circa regionem Jordanis[2]. Quæ enim alia loca debuit circuire Baptista, nisi vicinia Jordanis, ut quicumque voluisset agere pœnitentiam, præsto esset ad lavacrum aquæ? Porro Jordanis, descendens interpretatur : descendens autem et largo impetu currens fluvius Dei, Salvator noster Dominus est, in quo baptizamur. Quam veram aquam salutarem in remissionem quoque peccatorum in baptisma prædicat : venite catechumeni, agite pœnitentiam, ut in remissionem peccatorum baptisma consequamini. In remissionem peccatorum ille accipit baptisma, qui peccare desistit. Si quis enim peccans ad lavacrum venit, ei non fit remissio peccatorum. Propterea obsecro vos ne absque cautela et diligenti circumspectione ad baptismum veniatis, sed ostendatis primum fructus dignos pœnitentiæ. Facite aliquid temporis in conversatione bona, mundos vos a cunctis sordibus vitiisque servate, et tunc vobis remissio peccatorum fiet, quando cœperitis et ipsi propria peccata contemnere. Dimittite delicta vestra, et dimittentur vobis. Hoc autem ipsum quod nunc de veteri instrumento ponitur, in Isaia propheta scriptum legimus; ibi enim dicitur : « Vox clamantis in deserto : » Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus[3]. » Vult Dominus in vobis reperire viam ut possit in vestras animas ingredi et iter suum facere. Præparate ei semitam de quo dicitur : « Rectas facite semitas ejus : » Vox clamantis in deserto, vox clamat : Præparate viam. Primo enim vox ad aures pervenit : deinde post vocem, imo cum voce, auditum sermo penetrat. Juxta hunc sensum a Joanne annuntiatus est Chri-

[1] Joan. III, 30. — [2] Luc. III, 4. — [3] Isai. XL, 3.

stus. Videamus ergo quid vox de Verbo annuntiet. « Præpa» rate, *inquit,* viam Domino. » Quam viam Domino præparemus? Numquid corpoream? Aut potest sermo Dei tali itinere pergere? An intrinsecus præparanda est Domino, et in corde nostro recta et æqualis semita componenda? Hæc est via per quam ingressus est sermo Dei, qui in humani corporis capacitate consistit. Magnum est cor hominis, et spatiosum, et capax, si tamen mundum fuerit. Vis ejus magnitudinem latitudinemque cognoscere? Vide quantum divinorum sensuum magnitudinem capiat. Ipse ait : « Dedit » mihi eorum quæ sunt notitiam; rationem mundi scire, » et opera elementorum; principium et finem, et medieta» tem sæculorum; temporum varietates, et translationem » mensium; annorum circulos, et siderum sedes; naturas » animalium, et furores bestiarum; spirituum violentias, et » cogitationes hominum; diversitates arborum, et vim ra» dicum[1]. » Vides non parvum esse cor hominis, quod tanta capiat. Neque in corporis quantitate, sed in fortitudine ejus intellige, quæ tantam scientiam capiat veritatis. Ut autem et simplices quosque quotidianis exemplis ad credendum adducam quod grande sit cor hominis, videamus. Quascumque urbes transivimus, habemus illam in animo; et qualitates, et situs platearum murorumque, et ædificiorum in corde nostro versantur : viam quam ingressi sumus, in memoriæ pictura ac descriptione retinemus : mare quod navigavimus tacita cogitatione amplectimur. Non est parvum, ut dixi, cor hominis, quod potest tanta capere. Si autem non est parvum tanta capiens, consequenter in illo via Domini præparatur, et recta fit semita, ut ambulet in illa sermo Dei atque sapientia. Præpara viam Domino per conversationem bonam, et egregiis operibus tene semitam, absque offensa ulla deambulet in te Verbum Dei, et

[1] Sap. VII, 17 et seqq.

donet tibi mysteriorum suorum adventusque notitiam......

...... Quod sequitur[1], proprie de Domino Salvatore est. Neque enim a Joanne omnis vallis impleta est, sed a Domino Salvatore. Seipsum unusquisque consideret, quis erat antequam crederet : tunc animadvertet vallem humilem, vallem se fuisse præcipitem et in ima demersam. Quando venit Dominus Jesus et misit Spiritum sanctum vicarium suum, vallis omnis expleta est. Expleta est autem operibus bonis et fructibus Spiritus sancti. Charitas non sinit permanere te vallem. Quod si pacem habueris, et sapientiam, et bonitatem, non solum vallis esse desistes, sed etiam mons esse incipies Dei. Quod tamen de gentibus quotidie magis fieri videmus atque compleri : « Omnis vallis implebi» tur, » quam de populo Israël, qui de excelso depositus est. « Omnis, *inquit,* mons et collis humiliabitur[2]. » Mons erat quondam ille populus, et collis, qui depositus est atque destructus. « Illorum delicto salus gentibus data est ad » æmulandum eos[3]. » Quod etsi contrarias fortitudines quæ adversus mortales erigebantur, dixeris montes et colles esse depositos, non peccabis. Ut enim impleantur hujuscemodi valles, humiliandæ sunt. Sed et hoc quod in adventu Christi prophetatum est, utrum expletum sit contemplemur. Sequitur enim : « Et omnia prava erunt in directa[4]. » Unusquisque nostrum pravus erat, si tamen non et usque hodie perseverat, et per adventum Christi qui factus est ad animam nostram, prava quæque directa sunt. Quid enim tibi prodest si Christus quondam venit in carnem, nisi quoque ad tuam animam venerit? Oremus ut illius quotidie nobis adventus fiat, et possimus dicere : « Vivo autem, jam » non ego, vivit autem in me Christus[5]. » Si enim Christus

[1] Hom. XXII. p. 958 et seq.
[2] Luc. III, 5. — [3] Rom. XI, 11. — [4] Luc. III, 5. — [5] Gal. II, 20.

vivit in Paulo, non vivit in me, quid mihi proderit ? Cum autem et ad me venerit, et fruitus illo fuero sicut fruitus est Paulus, tunc et ego Paulo similiter loquar : « Vivo, » jam non ego, vivit vero in me Christus. » Consideremus ergo cætera quæ in Christi prædicentur adventu. Nihil te asperius erat : vide pristinos motus tuos, vide iram et cætera vitia, si tamen cessaverunt esse quæ fuerant, et intelligis nihil te asperius, et (ut significantius loquar) nihil fuisse inæqualius. Conversatio tua inæqualis erat, et sermo, et opera inæqualia. Venit ergo Dominus meus Jesus, et exæquavit asperitates tuas; incomposita quæque vertit in vias planas, ut fieret in te iter sine offensione, et leve, atque purissimum, gauderetur que in te Deus Pater, et Christus Dominus mansionem apud te faceret, diceretque : « Ego et » Pater meus veniemus, et mansionem apud eum facie» mus [1]. » Sequitur : « Et videbit omnis caro salutare Dei [2] : » Tu quondam caro eras; imo, ut mirabilius loquar, cum adhuc in carne sis, vides salutare Dei. Quid autem sibi velit quod dicitur : *Omnis caro,* eo quod nulla excipiatur quæ non videat salutare Dei, relinquo intelligendum his qui sciunt Scripturarum mysteria. Quænam egredientibus ad baptismum Joannes loquitur, attendendum. Si quis vult baptizari, egrediatur. Manens enim in pristino statu, et mores suos et consuetudinem non relinquens, nequaquam rite ad baptismum venit. Ut autem intelligas quid sit egredi ad baptismum, accipe testimonium, et ausculta verba quibus Deus loquitur ad Abraham : « Egredere de terra tua [3], » et reliqua. Egredientibus itaque ad lavacrum turbis, non egressis, sed tantum egredientibus, Joannes loquitur quæ sequuntur. Si enim jam egressi fuissent, nunquam ad eos diceret : « Generatio viperarum [4]. » Quæcumque igitur ad

[1] Joan. XIV, 23. — [2] Luc. III, 6. — [3] Gen. XII, 1. — [4] Luc. III, 7.

illos loquitur, ad vos, o catechumeni et catechumenæ, loquitur. Qui disponitis venire ad baptismum, considerate num forsitan vobis dici possit : « Generatio viperarum. » Sed et illud quod sequitur, nisi pravitatem venenaque serpentum de corde vestro expuleritis, dicetur ad vos : « Quis ostendit » vobis fugere ab ira ventura [1] ? » Magna huic sæculo impendet ira : omnis iram Dei passurus est mundus : tantam vastitatem cœli, et latitudinem terræ, et stellarum choros, splendorem solis, et lunæ nocturnæ solatia, Dei ira subvertet. Hæc enim omnia propter hominum peccata transibunt. Et olim quidem super omnia tantum in terra venit ira Dei, quia omnis caro reliquerat viam suam super terram [2] : nunc autem et super cœlum et super terram ventura est ira Dei. « Cœli pertransibunt, tu autem permanebis (*ad Deum » dicitur*), et omnes sicut vestimentum veterascent [3]. » Videte qualis et quanta ira sit, quæ mundum omnem consumptura sit, et puniet eos qui pœna digni sunt, invenietque materiam in qua se exerceat. Unusquisque nostrum ex eo quod gessit, iræ materiam præparavit. « Secundum duritiam enim tuam, et impœnitens cor, thesaurizas tibi iram » in die iræ et revelationis justi judicii Dei [4], » dicitur ad Romanos. Dein sequitur : « Quis ostendit vobis fugere ab » ira ventura ? Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ [5]. » Et vobis qui venitis ad baptismum, dicitur : « Facite fruc» tus dignos pœnitentiæ. » Vultis scire qui sunt fructus pœnitentiæ ? Charitas fructus est spiritus, gaudium fructus est spiritus, pax, patientia, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, continentia [6], et reliqua hujuscemodi. Si hæc omnia habuerimus, fecimus fructus dignos pœnitentiæ. Rursum dicitur ad eos qui ad Joannis baptismum veniebant : « Et ne incipiatis dicere intra vosmetipsos : Patrem

[1] Luc. III, 7. — [2] Gen. VI, 12. — [3] Ps. CI, 27. — [4] Rom. II, 5. — [5] Luc. III, 7, 8. — [6] Galat. V, 22, 23.

» habemus Abraham : dico enim vobis, quia potest Deus » de lapidibus istis suscitare filios Abraham. » Prophetat Joannes novissimus prophetarum expulsionem prioris populi, et vocationem gentium. Illis enim qui de Abraham gloriabantur, dicit : « Et ne incipiatis dicere in vobismet» ipsis : Patrem habemus Abraham[1]. » Et de gentibus sursum loquitur : « Dico enim vobis, quia potest Deus de lapi» dibus istis suscitare filios Abrahæ. » De quibus lapidibus? Non utique lapides irrationabiles corporeosque monstrabat, sed homines insensibiles et quondam duros, qui quia lapides et ligna adorabant, impletum est illud quod in Psalmo cantabatur : « Similes illis fiant qui faciunt ea, et om» nes qui confidunt in eis[2]. » Vere qui faciunt idola, et confidunt in eis, similes sunt diis suis, absque sensu, sine ulla ratione, in lapides lignaque conversi sunt. Cum enim tantum videant creaturarum ordinem, decorem, officium, tantam mundi pulchritudinem, nolunt de creaturis intelligere creatorem, neque considerant tantæ dispensationis aliquam providentiam, aliquem esse rectorem; sed sunt cæci, his tantum oculis mundum videntes, quibus irrationabilia jumenta et bestiæ vident. Non enim animadvertunt in his quæ vident ratione regi, aliquam inesse rationem. Hæc propterea, quia Joannes dixerat : « Potest Deus de lapidibus istis suscitare » filios Abrahæ[3]. » Et nos igitur obsecremus Deum, ut si quando fuimus lapides, vertamur in filios Abrahæ pro his filiis qui ejecti sunt, et repromissionem adoptionemque suo vitio perdiderunt. Unum testimonium adhuc de lapidibus ponam. Si quidem in cantico Exodi scribitur : « Vertantur » in lapides, donec pertranseat populus tuus iste quem pos» sedisti[4]. » Rogatur itaque Deus, ut paulisper convertantur in lapides. Hoc enim Græcus sermo significantius sonat, ἀναλιθοούθωσαν, donec pertranseat populus Judæorum.

[1] Luc. III, 8. — [2] Psal. CXIII, 8. — [3] Luc. III, 8. — [4] Exod. XV, 16.

Haud dubium quin postquam illi transierint, gentes lapideæ esse cessabunt, et pro duro corde recipient humanam in Christo rationabilemque naturam.....

Joannes[1] illo jam tempore loquebatur : « Ecce securis ad » radices arborum posita est[2] : » et si quidem jam ingrueret consummatio, et temporum finis instaret, nulla mihi quæstio nasceretur ; dicerem enim hoc quod ait : « Ecce securis » ad radices arboris posita est[3] ; » et illud : « Omnis *enim* » arbor quæ non facit fructum bonum, præcidetur, et in » ignem mittetur, » propterea prophetatum, quia in illo tempore complebatur. Cum autem tanta post sæcula fluxerint, et tam innumerabiles anni ab illo tempore usque ad præsentem diem transierint, quomodo Spiritus sanctus in Propheta dicat : « Ecce securis ad radices arborum posita est, » debemus inquirere. Ego puto Israëlitico populo prophetari, quod præcisio ejus vicina sit. His enim qui egrediebantur ad eum ut baptizarentur, inter cætera loquebatur : « Facite » fructus dignos pœnitentiæ[4], » et quasi Judæis dicebat : « Ne » incipiatis dicere in vobismetipsis : Patrem habemus Abra- » ham. Dico enim vobis, quia potest Deus ex lapidibus istis » suscitare filios Abrahæ[5]. » Hoc ergo quod ait : « Ecce se- » curis ad radices arborum posita est[6], » Judæis loquitur. Cui sensui et Apostolicum illud congruit, fractos esse ab hac securi infidelitatis ramos, atque succisos, ut amputaret ex arbore non radicem, sed ea quæ de radice pullularunt, ut in radice pristinæ arboris rami possint oleastri inseri[7]. « Om- » nis *ergo* arbor quæ non facit fructum bonum, præcide- » tur, et in ignem mittetur[8]. » Hunc enim finem habet, ut incendio concremetur. Deinde tres ordines inducuntur sciscitantium Joannem super salute sua : unus quem Scriptura

[1] Hom. XXIII. p. 959 et seqq.

[2] Luc. III, 9. — [3] Ibid. — [4] Ibid. 8. — [5] Ibid. — [6] Ibid. 9. — [7] Rom. XI, 16, 17 et seqq. — [8] Luc. III, 9.

appellavit populos exeuntes ad baptisma, alius quem Publicanos nominat, tertius qui militum appellatione censetur. « Interrogabant eum turbæ, dicentes : Quid faciemus? Qui » respondens eis : Qui habet duas tunicas, det ei qui non » habet; et qui habet cibos, similiter faciat[1]. » Quod quidem nescio si turbæ conveniat præcipi. Magis enim apostolis quam vulgo congruit, ut qui duas tunicas habet, unam tribuat non habenti. Et ut scias magis hoc apostolis quam populis convenire, audi quid a Salvatore dicatur ad eos : « Neque duas tunicas tollatis in via[2]. » Duplex itaque vestimentum quo unusquisque vestitur, et præcipitur ut alterum tribuat non habenti, aliam intelligentiam sonat. Vult enim nos Salvator, quomodo non habemus duobus servire dominis, sic nec duas habere tunicas, nec duplici veste circumdari, ne sit unum indumentum veteris hominis, et alterum novi. E contrario autem cupit ut expoliemus nos veterem hominem, et induamus novum. Hucusque facilis expositio est. Porro quæritur quomodo, juxta hanc interpretationem, jubeatur nobis non habenti tribuere vestimentum. Quisnam est ille qui ne unum quidem indumentum super carnem suam habet, qui nudus est, qui omnino nulla veste coopertus? Neque vero hoc dico, quod non præcipiatur liberalitas, et in pauperes misericordia; hyperbolica clementia, ut etiam nudos altera tunica protegamus : sed hoc aio, quod et profundiorem locus iste respiciat intellectum, et oporteat ei dare tunicam qui omnino non habebat. Quis est ergo iste qui tunicam non habet? nempe ille qui penitus Deum non habet. Debemus igitur exuere nos, et ei dare qui nudus est. Alius habet Deum, alius omnino non habet, contraria videlicet fortitudo. Et quomodo scriptum est ut in profundo maris præcipitemus delicta nostra, sic projici a nobis oportet vitia atque peccata, et jacere super

[1] Luc. III, 10. — [2] Matth. x, 10.

eum qui eorum nobis causa extitit[3]. « Et qui habet, *inquit,* » cibum, similiter faciat[1]. » Qui habet cibos, tribuat non habenti, ut non solum ei vestimentum, sed etiam id quod possit comedere largiatur. « Venerunt autem et Publicani » baptizari ab eo[2]. » Hoc et juxta simplicem intelligentiam docet Publicanos nihil amplius quærere quam in Lege præceptum est; qui enim plus exegerint, non Joannis mandatum prævaricant, sed Spiritus sancti qui locutus est in Joanne. Nescio autem utrum, ut secundum ἀναγωγὴν, aliud quiddam excellentius sermo significet, et an debeamus in tali auditorio res tam mysticas prodere, maxime inter eos qui Scripturarum medullas non introspiciunt, sed tantum superficie delectantur. Periculosum quidem est, sed tamen strictim breviterque tangendum. Cum exierimus a sæculo, et hæc vita nostra fuerit commutata, erunt quidam in finibus mundi sedentes velut Publicanorum officio diligentissime perscrutantes ne quid sui in nobis inveniant. Videtur mihi princeps sæculi hujus quasi Publicanus esse, unde scriptum est de eo : « Venit princeps mundi istius, et in me » habet nihil[3]. » Illud quoque quod in Apostolo legimus : « Reddite omnibus debita; cui tributum, tributum : cui vec- » tigal, vectigal; cui honorem, honorem : nemini quid de- » beatis, nisi ut invicem diligatis[4], » sacrate intelligendum est. Quamobrem consideremus ne forte cum non habuerimus quod pro vectigali queamus reddere, ipsi trahamur ob debitum, ut solet apud sæculi quoque fieri vectigales, quando quis pro debito ipsi reipublicæ serviturus includitur. Complures e nobis ab istiusmodi Publicanis tenendi sunt, quos Jacob ille vir sanctus non magnopere formidabat, nec verebatur ut de Publicanorum vectigalibus in eo aliquid reperiretur. Unde et audacter ad Publicanum illum

[1] Mich. vii, 19. — [2] Luc. iii, 11. — [3] Ibidem, 12, — [4] Joan. xiv, 30. — [5] Rom. xiii, 7, 8.

loquebatur Laban : « Cognosce si quid tuarum rerum est » apud me[1]. » Super quod agit testimonium Scriptura dicens : « Et non cognovit Laban apud Jacob quidquam[2]. » .... Hæc idcirco diximus, ut ostenderemus et Publicanos doceri a Joanne, et non solum eos qui reipublicæ vectigalibus serviunt, sed etiam illos qui veniebant ad pœnitentiam. Et alii erant a corporalibus Publicani, sicut et alii milites, qui egrediebantur ad baptismum pœnitentiæ. Venit enim non Joannes et propheta tantum, sed etiam ipse Salvator, et hominibus, et Angelis, et virtutibus cæteris salutarem pœnitentiam prædicare, « ut in nomine Jesu omne genu flec- » tatur, cœlestium, et terrestrium, et infernorum ; et omnis » lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria » est Dei Patris[3]. »

Joannem[4], qui minor est Christo, suscepit populus, reputans et cogitans ne forte ipse esset Christus : eum vero qui major illo venerat, non suscepit. Vis causam scire ? Cognosce : Joannis baptisma videbatur, Christi baptismus invisibilis erat. « Ego enim, *inquit,* baptizo vos in aqua : qui » autem post me venit, major est; ipse vos baptizabit Spiritu » sancto et igni[5]. » Quando baptizat Jesus Spiritu sancto, et rursum quando igne baptizat ? Numquid uno atque eodem tempore Spiritu et igni baptizat, an vario atque diverso ? « Vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos » hos dies[6]. » Baptizati sunt; Apostoli post ascensionem ejus ad cœlos Spiritu sancto : quod autem igni fuerint baptizati, Scriptura non memorat. Sed quomodo Joannes juxta Jordanem fluvium venientes ad baptismum præstolabatur, et alios abigebat dicens : « Generatio viperarum[7], » et reliqua, porro eos qui confitebantur vitia atque peccata suscipiebat : sic

[1] Gen. xxxi, 32. — [2] Ibid. 33. — [3] Philip. ii, 10, 11.
[4] Hom. xxiv. p. 961 et seq.
[5] Luc. iii, 16. — [6] Act. i, 5. — [7] Luc. iii, 7.

stabit in igneo flumine Dominus Jesus juxta flammeam romphæam, ut quemcumque post exitum vitæ hujus qui ad paradisum transire desiderat, et purgatione indiget, hoc eum amne baptizet, et ad cupita transmittat; eum vero qui non habet signum priorum baptismatum, lavacro igneo non baptizet. Oportet enim prius aliquem baptizari aqua et Spiritu, ut cum ad igneum fluvium venerit, ostendat se et aquæ et Spiritus lavacra servasse, et tunc mereatur etiam ignis accipere baptismum in Christo Jesu......

Habet[1] periculum et dilectio, si modum transeat. Debet enim qui aliquem diligit naturas et causas considerare dilecti, et non eum plus diligere quam meretur. Nam si mensuram charitatis modumque transcenderit, et qui diligit et qui diligitur in peccato erunt. Quod ut manifestius fiat, ponamus exemplum. Joannem populus mirabatur, et diligebat eum : et revera erat dignus miraculo, ut plus ei quam cæteris hominibus deferretur, quia aliter quam cuncti mortales vixerat. Non omnes sumus simplici contenti cibo, sed varietate delectamur escarum : unum nobis ad potandum vinum sufficit; varii gustus vina mercamur : Joannes vero semper locustis, semper vescebatur melle sylvestri, et contentus erat simplici et tenui cibo, ne corpus illius crassioribus pulmentis pinguesceret, et exquisitis dapibus gravaretur. Hujusmodi quippe natura corpora nostra sunt ut escis superfluis aggraventur, et cum corpus fuerit aggravatum anima quoque oneretur, quæ per totum diffusa corpus passionibus illius subjacet. Quamobrem recte præcipitur eis qui observare possunt : « Bonum est non manducare carnem, neque bibere vinum, neque in quo frater tuus scandalizetur[2]. » Erat igitur Joannes vitæ mirabilis et multum ab aliorum hominum conversatione diversus. Non habebat

[1] Hom. xxv. p. 962 et seq.
[2] Rom. xiv, 21.

sacculum, non famulum, non saltem vile tugurium. Morabatur in deserto non solum usque ad diem ostensionis suæ ad Israël; verum eo tempore quo pœnitentiam populo prædicabat, erat in solitudine Judææ, et aqua simplici irrigabatur, ut et in potu esset diversus a cæteris. Nos qui versamur in urbibus, qui in medio populorum sumus, et vestes quærimus lautiores, et cibos, et habilia : ille vero qui in eremo morabatur, videte quali vestimento indutus fuerit : de pilis camelorum sibi tunicam fecerat, et zona pellicea cingebatur. Omnia ergo in illo nova erant, et propter dissimilitudinem vitæ, universi qui videbant admirabantur eum, et mirantes studiosissime colebant, super omnia quod pœnitentes in remissionem peccatorum baptizabat. Quas ob causas diligebant eum quidem justissime, sed non servabant in charitate modum : cogitabant enim ne forte ipse esset Christus. Quam inordinatam et irrationabilem charitatem cavens apostolus Paulus, de semetipso loquebatur : « Timeo » autem ne quis de me cogitet super id quod videt in me, » aut audit ex me. Et ne magnitudo revelationum extollat » me, etc.[1] » Quod metuens ne etiam ipse incurrat, nolebat omnia de se judicare quæ noverat, ne quis eo plus arbitretur esse quam cerneret, et mensuram honoris excedens diceret quod dictum fuerat de Joanne, quia ipse esset Christus. Quod quidem nonnulli etiam de Dositheo Samaritarum hæresiarcha dixerunt, alii vero de Juda Galilæo. Denique in tantam quidam dilectionis audaciam proruperunt, ut nova quædam et inaudita super Paulo monstra confingerent. Alii enim aiunt hoc quod scriptum est, sedere a dextris Salvatoris et sinistris, de Paulo et de Marcione dici, quod Paulus sedet a dextris, Marcion sedeat a sinistris. Porro alii legentes : « Mittam vobis advocatum Spiritum veritatis[2], » nolunt intelligere tertiam personam a Patre et Filio, et di-

[1] 1 Cor. XII, 6, 7. — [2] Joan. XIV, 16, 17.

vinam sublimemque naturam, sed apostolum Paulum. Nonne tibi omnes videntur plus amasse quam expedit, et dum virtutem uniuscujusque mirantur, dilectionis perdidisse mensuram? Quod quidem in Ecclesia patimur : plerique enim dum plus diligunt quam meremur, hæc jactant et loquuntur, sermones nostros doctrinamque laudantes, quæ conscientia nostra non recipit. Alii vero tractatus nostros calumniantes, ea sentire nos criminantur quæ nunquam sensisse nos novimus. Sed neque hi qui plus diligunt, neque illi qui oderunt, veritatis regulam tenent; et alii per dilectionem, alii per odium metiuntur. Unde oportet charitati frena imponere, et tantum ei vagandi permittere libertatem, quantum in prærupta non corruat. Scriptum est in Ecclesiaste : « Ne sis justus multum, neque ampliora cogi» tes, ne forte obstupescas[1]. » Quod exemplum sequens possum simile quid dicere : Ne diligas hominem ex tota anima tua, et ex tota virtute tua : Ne ames Angelum de toto corde, de tota anima, de tota virtute; sed præceptum juxta eloquium Salvatoris soli serva Deo. « Diliges *enim, inquit,* » Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima » tua, et ex tota virtute tua. » Respondeat mihi aliquis, et dicat : Salvator præcipit : « Diliges Dominum Deum tuum » ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota virtute » tua, et proximum tuum tanquam teipsum[2]. » Volo diligere Christum : doce ergo me quomodo eum diligam. Si enim dilexero eum ex toto corde meo, et ex tota anima mea, et ex tota virtute, contra præceptum facio, ut alterum absque uno Deo sic diligam. Sin autem minus eum dilexero quam omnipotentem Patrem, timeo ne in Primogenitum universæ creaturæ impius et profanus inveniar. Doce me, et ostende rationem, quomodo inter utrumque medius incedens, diligere debeam Christum. Vis scire qua charitate Christus dili-

[1] Eccles. VII, 17. — [2] Matth. XXII, 37, 39.

gendus sit? Breviter ausculta. Diliges Dominum Deum tuum in Christo. Putas diversam habere posse in Patre et Filio charitatem? Simul dilige Dominum Christum. Dilige Patrem in Filio, Filium in Patre, ex toto corde, et ex tota anima, et ex tota virtute. Quod si aliquis sciscitatur, et dicit : Hoc quod asseris de Scripturis proba : audiat apostolum Paulum, qui habebat rationabilem charitatem, loquentem : « Certus enim sum, quia neque mors, neque vita, » neque Angeli, neque potestates, nec præsentia, nec fu- » tura, nec fortitudo, nec altitudo, nec profundum, nec alia » creatura poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in » Christo Jesu, Domino *Salvatore* nostro[1]. » ......

Christus[2] est Deus, « et qui adorat eum, in spiritu et ve- » ritate oportet adorare[3]. » Deus quoque noster, « ignis con- » sumens est[4]. » Dupliciter appellatur Deus, et spiritus, et ignis. Justis spiritus, ignis peccatoribus. Sed dum et Angeli spiritus ignisque dicuntur : « Qui facit, *inquit*, Angelos suos » spiritus, et ministros suos ignem urentem[5] » Angeli sanctis quibusque sunt spiritus; his vero qui merentur addicunt ignem, et fervorem subministrant. Juxta quem sensum et Deus noster atque Salvator cum sit spiritus, ignem venit mittere super terram. Spiritus, secundum illud quod scribitur : « Cum autem conversus fueris ad Dominum, aufere- » tur velamen[6], » et, « Dominus spiritus est[7]. » Ignem autem venit mittere non super cœlum, sed super terram, ut ipse demonstrat dicens : « Ignem veni mittere super terram, et » quid volo, nisi ut jam ardeat[8]? » Si enim conversus fueris ad Dominum qui est spiritus, Christus tibi spiritus erit, et non venit ignem mittere super terram. Quod si non converteris ad Deum, sed habes terram et fructus ejus, ignem

[1] Rom. VIII, 38, 39.
[2] Hom. XXVI. p. 963 et seq.
[3] Joan. IV, 24. — [4] Deut. IV, 24. — [5] Hebr. I, 7. — [6] 2 Cor. III, 16, 17. — [7] Joan. IV, 24. — [8] Luc. XII, 49.

venit mittere super terram tuam. Huic quid simile etiam de Deo scriptum est : « Ignis accensus est furoris ejus, » non usque ad cœlum sursum, sed « usque ad infernum deorsum, » et devorabit » non cœlum, sed « terram et germina ejus[1]. » Quorsum ista memoravi? Quia et baptismus quo baptizat Jesus, in Spiritu sancto est, et igni. Memini eorum quæ nuper locutus sum, nec præterit explanatio superior, sed volo et novum aliquid inferre. Si sanctus fueris, Spiritu sancto baptizaberis; si peccator, in ignem mergeris, et unum atque idem baptisma indignis et peccatoribus in condemnationem ignemque vertetur : his vero qui sancti sunt, et tota fide ad Dominum convertuntur, Spiritus sancti gratia salusque tribuenda est. Is ergo qui Spiritu sancto et igne dicitur baptizare, habet « ventilabrum in manu sua, et mundabit » aream suam, et congregabit triticum suum in horreum; » paleas autem comburet igni inextinguibili[2]. » Volo invenire rationem quare Dominus noster habeat ventilabrum, et quod blando vento leves paleæ huc illucque rapiantur, grave vero triticum in unum deferatur locum : neque enim absque vento possunt triticum et paleæ separari. Existimo tentationes pro vento intelligi, quæ confuso credentium acervo, alios paleas, alios triticum esse demonstrant. Cum enim anima tua fuerit aliqua tentatione superata, non tentatio te vertit in paleas, sed cum esses palea, levis videlicet et incredulus, ostendit te esse tentatio quod latebas. E contrario autem cum fortiter tentamenta toleras, non te facit fidelem tentatio, atque patientem, sed virtutem quæ in te erat patientiæ et fortitudinis, et latebat, profert in medium. « Putas enim, *ait Dominus,* aliter me tibi locutum fuisse, » quam ut pareres justus? » et alibi : « Afflixi te, et affeci penuria, ut manifesta fierent quæ erant in corde tuo. » In hunc modum et tempestas non facit super arenam ædifi-

[1] Deut. XXXII, 22. — [2] Luc. III, 17.

cium consistere, sed super terram. Quæ cum fuerit exorta, id quod super terram fundatum est non evertet; quod vero super arenam fluctuat, probat illico non bene fuisse fundatum. Quapropter antequam oriatur tempestas, antequam ventorum flabra consurgant, priusquam intumescant flumina, dum adhuc silent universa, omne studium nostrum ad ædificiorum fundamenta vertamus, ædificemus domum nostram variis firmisque lapidibus præceptorum Dei, ut cum persecutio sævierit adversus Christianos, durusque turbo surrexerit, ostendamus nos habere ædificium super petram Christum Jesum. Si quis autem (quod procul absit a nobis) negaverit, iste sciat non se illo tempore quo negasse visus est, Christum negasse, sed semina et radices habuisse negandi jam veteres, tunc vero fuisse agnitum quod habebat, et in medium esse productum. Oremus igitur Dominum ut simus ædificium quod tempestas nulla subvertat, fundatum supra petram per Dominum nostrum Jesum Christum....

Qui[1] Evangelii ermonem docet, non unam rem nuntiat, sed plurimas. Hoc quippe Scriptura significat dicens : « Multa » quidem et alia exhortans annuntiabat[2]. » Itaque etiam alia quæ scripta non sunt Joannes populo prædicabat : quæ autem scripta, considerate quanta fuerint quæ annuntiant Christum. Monstravit enim baptismum Spiritus sancti, prædicavit Publicanis salutem, docuit milites disciplinam, aream purgari, succidi arbores, et cætera quæ Evangelii narrat historia. Exceptis ergo his quæ scripta sunt, etiam illa quæ scripta non sunt annuntiasse monstratur in eo quod dicitur : « Multa quidem et alia exhortans annuntiabat po» pulo. » Et quomodo in Evangelio secundum Joannem de Christo refertur, quia « multa et alia *locutus est* quæ non

[1] Hom. XXVII. p. 964 et seq.
[2] Luc. III, 18.

» sunt scripta in libro isto : quæ si scriberentur, neque ipsum puto mundum capere potuisse libros qui scribendi » erant[1] : » sic et in præsenti loco intellige, quod forsitan Lucas, quoniam majora quædam a Joanne annuntiabantur quam ut deberent litteris credi, noluerit ea nominatim dicere, sed tantum significaverit quod dicta sint; et idcirco dixisse : « Multa quidem et alia exhortans annuntiabat po- » pulo[2]. » Miremur quidem Joannem ex his quæ sequuntur, maxime quod inter natos mulierum major Joanne Baptista nemo fuerit, et in tantam opinionem merito virtutis ascenderit, ut a plerisque Christus putaretur : sed aliud multo mirabilius. Herodes tetrarcha habebat regiam potestatem, et poterat eum cum voluisset occidere : et cum rem fecisset injustam et contra legem Moysi, ut uxorem fratris sui acciperet, quæ habebat filiam de priori viro, non eum timuit, non accepit personam, non cogitavit, ut dixi, regiam potestatem, non formidavit interitum; sciebat enim, etiamsi propheta non esset, quod lacessitus eum posset occidere. Hæc igitur universa cum nosset, libertate prophetica corripuit Herodem, et incestas nuptias arguit, et ob id clausus in carcere, non de morte sollicitus, non de incerto judicii, sed in vinculis de Christo quem annuntiaverat, cogitabat. Et quia ipse ad eum ire non poterat, mittit discipulos suos sciscitantes : « Tu es qui venturus es, an alium expectamus[3] ? » Animadvertis quod et in carcere docuerit; vides eum et in illo loco discipulos habere, et quam ob causam ibidem per se erudiebat. Inter quæ etiam cum de Jesu orta esset quæstio, mittit ex discipulis et interrogat : « Tu es qui venturus es, an alium expectamus? » Revertuntur discipuli, et nuntiant magistro quæ Salvator jusserat nuntiari : cujus verbis Joannes armatus ad prælium confidenter emoritur, et libenter capite truncatur ipsa vox Domini voce firmatus,

[1] Joan. xxi, 25. — [2] Luc. iii, 18. — [3] Id. vii, 19.

verum esse Dei Filium quem credebat. Hæc de Joanne, et libertate ejus, et Herodis insania, qui super multa scelera etiam hoc addidit, ut Joannem primum carcere cluderet, et postea decollaret. Quia vero Dominus baptizatus est, et cœli aperti sunt, et Spiritus sanctus descendit super eum, voxque de cœlis intonuit dicens : « Hic est Filius meus di- » lectus, in quo mihi complacui[1]; » dicendum est in baptismo Jesu cœlum esse reseratum, et ad dispensationem remissionemque peccatorum, non illius qui peccatum non fecerat neque inventus est dolus in ore ejus, sed totius mundi apertos esse cœlos, et Spiritum sanctum descendisse : ut postquam Dominus ascendisset in excelsum, et captivam duxisset captivitatem, tribueret nobis Spiritum qui ad se venerat, quem quidem dederat et resurrectionis tempore, dicens : « Accipite Spiritum sanctum. Si cui dimiseritis pec- » cata, dimittentur eis : si cui tenueritis, tenebuntur[2]. » Descendit enim Spiritus sanctus super Salvatorem in specie columbæ, avis mansuetæ, innocentis, et simplicis. Unde et nobis præcipitur ut imitemur innocentiam columbarum. Talis est Spiritus sanctus, mundus, et volucris, et sublime consurgens. Quamobrem orantes dicimus : « Quis dabit » mihi pennas ut columbæ, et requiescam[3] ? » Id est : Quis dabit mihi pennas Spiritus sancti ? Et in alio loco sermo propheticus pollicetur : « Si dormieritis inter medios cleros, » pennæ columbæ deargentatæ, et posteriora dorsi ejus in » virore auri[4]. » Si enim inter medios cleros veteris et novi testamenti requieverimus, dabuntur nobis pennæ columbæ deargentatæ, id est, sermones Dei, et posteriora ejus auri fulgore et virore radiantia, ut sensus noster Spiritus sancti sensibus compleatur, id est, sermo et mens illius compleatur adventu, et nec loquamur aliquid, nec intelligamus, nisi quod ille suggesserit : sed omnis sanctificatio tam in corde

[1] Matth. III, 17. — [2] Joan. XX, 22, 23. — [3] Psal. LIV, 7. — [4] Ps. LXVII, 14.

quam in verbis et in opere, a sancto Spiritu veniat in Christo Jesu, cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

§ X.

De genealogia Salvatoris.

Dominus[1] noster atque Salvator, qui multorum Salvator, cujus generationem Scriptura non docuit quæ melior fuit, nunc secundum patrum ordinem natus esse describitur. Et cum divinitas ejus non subjaceat exordio, propter te, qui ortus in carne es, nasci voluit, et tamen non æque ab Evangelistis nativitatis ejus ordo narratur. Quæ res nonnullos plurimum conturbavit. Matthæus enim incipiens nativitatis illius seriem texere ab Abraham, usque ad id pervenit ut diceret : « Christi autem Jesu generatio sic erat[2] : » et describit non eum qui baptizatus est, sed qui venit in mundum. Lucas vero exponens nativitatem ejus, non a superioribus ad inferiora deducit; sed cum baptizatum ante dixisset, usque ad ipsum pervenit Deum. Nec eædem personæ sunt in generatione ejus, quando descendere dicitur et quando conscendere. Qui enim fecit eum cœlis tibi descendentem, mulieres non quaslibet, sed peccatrices, et quas Scriptura reprehenderat introducit : qui vero baptizatum narrat, nullius facit mulieris mentionem. In Matthæo enim, ut diximus, nominatur Thamar quæ cum socero fraude concubuit; et Ruth Moabitis, nec de genere Israël; et Raab, quæ unde sumpta sit scire nequeo; et conjux Uriæ, quæ violavit mariti thorum. Quia enim Dominus noster atque Salvator ad hoc venerat ut hominum peccata susciperet, et eum qui non fecerat peccatum pro nobis peccatum fecit Deus : propterea descendens in mundum assumpsit peccatorum ho-

[1] Hom. xxviii. p. 965 et seq.
[2] Matth. i, 18.

minum vitiosorumque personam, et nasci voluit de stirpe Salomonis cujus peccata conscripta, et Roboam cujus delicta feruntur, et de cæteris e quibus multi fecerunt malum in conspectu Dei. Quando vero de lavacro conscendit, et secundus ordo esse describitur, non per Salomonem, sed per Nathan nascitur, qui ejus arguit patrem super Uriæ morte ortuque Salomonis. Sed in Matthæo semper generationis nomen adjungitur : hic vero penitus siletur. Scriptum est enim ibi : « Abraham genuit Isaac : Isaac genuit Jacob : » Jacob genuit Judam et fratres ejus : Judas genuit Phares » et Zaram de Thamar[1] ; » et usque ad finem *genuit* semper apponitur. In Luca vero ubi de lavacro conscendit Jesus filius, dicitur : « sicut putabatur, filius Joseph[2] : » et in tam multa serie nominum, excepto quod putabatur filius Joseph, generationis nomen ascriptum non est. In Matthæo non est scriptum : *Incipiebat ;* hic vero quia de baptismate conscensurus erat, *incipiebat* legitur, Scriptura referente : « Et ipse erat Jesus incipiens[3]. » Quando enim baptizatus est, et mysterium secundæ generationis assumpsit, ut tu quoque priorem nativitatem destruas, et in secunda regeneratione nascaris, tunc dicitur incœpisse. Et quomodo populus Judæorum, quando erat in Ægypto, non habebat initium mensium ; quando vero egressus est ex Ægypto nunc dicitur ad eum : « Mensis iste initium mensium primus erit » vobis de mensibus anni[4] : » sic qui necdum est baptizatus, nec cœpisse narratur. Nec enim frustra additum putemus ad id quod dicitur : « Ipse erat Jesus[5], » quod sequitur : *incipiens.* Sed et quod ait : « Quasi annorum triginta, » considerandum. Joseph triginta annorum erat quando, dimissus e vinculis et interpretatus somnium Pharaonis, Ægypti effectus est princeps, ubertatisque tempore triticum congrega-

[1] Matth. I, 2, 3. — [2] Luc. III, 23. — [3] Ibid. — [4] Exod. XII, 2. — [5] Luc. III, 23.

vit, ut famis tempore haberet quod distribueret. Ego puto quod triginta anni Joseph, in triginta annorum præcesserint Salvatoris. Iste enim Joseph non tale triticum congregavit quale in Ægypto ille Joseph, sed triticum verum atque cœleste, ut tempore ubertatis tritico congregato, haberet quod distribueret cum fames esset missa in Ægyptum, non fames panis neque sitis aquæ, sed fames audiendi sermonem Dei. Congregat de Prophetis, de Lege, de Apostolis, verba abundantiæ, unde quando jam non scribuntur libri, nec novum aliquod conficitur instrumentum, nec mittuntur ab Apostolis ea quæ ab Jesu in horrea Apostolorum fuerant comportata, hoc est, in animas eorum, omniumque sanctorum, distribuat et nutriat Ægyptum fame periclitantem, maximeque fratres de quibus scribitur : « Narrabo nomen » tuum fratribus meis, in medio ecclesiæ cantabo te [1]. » Habent et alii homines verba patientiæ, verbaque judicii, et reliquarum verba virtutum ; hoc est, triticum quod Joseph Ægyptiis distribuit. Sed aliud est frumentum quod fratribus, id est, discipulis suis distribuit de Gessen terra, de ea quæ ad orientem respicit ; triticum Evangelicum, triticum Apostolicum. De hoc tritico debemus panes facere, ita tamen ut non commisceatur veteri fermento, habeamusque panem novum de Scripturarum tritico, farinamque commolitam in Christo Jesu, cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

§ XI.

De tribus tentationibus Christi.

Quando [2] legis in Evangelio : « Jesus autem plenus Spi» ritu sancto reversus est [3], » et in Actibus apostolorum,

[1] Psalm. xxi, 23.
[2] Hom. xxix. p. 966 et seq.
[3] Luc. iv, 1 et seqq.

ubi dicitur quod repleti fuerint Spiritu sancto, vide ne æquales putes esse Apostolos Salvatori; sed et Jesum, Apostolos, et alium quemlibet sanctorum, plenos Spiritu sancto cognosce secundum mensuram vasculi sui : et quomodo, verbi gratia, si volueris dicere : Hæc vasa plena sunt vino vel oleo, non statim judicas quod æquali mensura plena sint, siquidem aliud sextarium capere potest, aliud urnam, aliud amphoram; eodem modo et Jesus et Paulus pleni erant Spiritu sancto : sed multo vas Pauli minus erat vase Jesu, et tamen erat secundum mensuram suam utrumque completum. Accepto itaque baptismo, Salvator plenus Spiritu sancto qui super eum in specie columbæ de cœlis venerat, ducebatur a spiritu. Quia enim « quotquot spiritu » Dei ducuntur, hi filii sunt Dei [1], » iste autem extra omnes proprie Filius Dei erat, ideo et ipsum oportebat Spiritu sancto duci. Siquidem scriptum est : « Ducebatur au» tem in desertum a spiritu [2]. » Quadraginta diebus tentatur Jesus, et quæ fuerint tentamenta nescimus : quæ ideo forsitan prætermissa sunt, quia majora erant quam ut litteris crederentur. Et si sic oportet dicere, sicut mundus capere non poterat omnes libros, si scripta fuissent quæ fecit et docuit [3], sic quadraginta dierum tentationes quibus tentatus est Dominus a diabolo, mundus ferre non poterat, si Scriptura docuisset. Sufficit nobis hoc tantum scire, quod quadraginta diebus in deserto fuerit et tentabatur a diabolo, et non comederit quidquam in diebus illis. Mortificabat enim sensum carnis jugi continuoque jejunio : et cum completi fuissent dies, esuriit. Dixit autem ei diabolus : « Si » Filius Dei es, dic lapidi huic ut panis fiat [4]. » « Dic, *in» quit,* lapidi huic. » Cui lapidi? utique monstrabat diabolus quem vult panem fieri. Quænam est ista tentatio, ut rogato patre a filio panem, nec lapidem quod ne ipse quidem

[1] Rom. VIII, 14. — [2] Luc. IV, 1. — [3] Joan. XXI, 25. — [4] Luc. IV, 3.

adversarius voluit versipellis fallax, det lapidem pro pane? hoc est enim quod diabolus voluit, ut lapis panis fieret; et non potius, ut non in panem lapidem, sed hominem in lapidem verteret, quem diabolus pro pane monstraverat. Ego puto quod usque hodie lapidem diabolus ostendat, et hortetur singulos ad loquendum : « Dic ut lapis iste pa» nis fiat. » Omni tentatione qua tentandi erant homines, primus secundum assumptionem carnis tentatus est Dominus. Tentatur autem ob id, ut nos quoque illo vincente vincamus. Obscurum fit forte quod dico, nisi manifestius exemplo fiat. Si videris hæreticos dogmatum suorum mendacium pro pane comedere, scito lapidem eorum esse sermonem, quem monstrat diabolus. Neque vero existimes unum eum habere lapidem : habet plures lapides, de quibus a Matthæo introducitur loquens : « Dic ut lapides isti » panes fiant[1]. » Dixit et Marcion, et lapis diaboli ei factus est panis. Dixit Valentinus, et alius lapis ei est versus in panem. Habuit et Basilides ejusmodi, et cæteri hæretici. Unde sollicite providendum, ne forte diaboli lapidem comedentes, putemus pane vesci Dei. Alioquin quæ erat tentatio de lapide panem fieri, et a Salvatore comedi? Fingamus enim quod, diabolo proponente, Dominus lapidem in panem vertit, et id quod virtute sua ipse fecerat comederit et satiarit esuriem; quænam esset ista tentatio, quæ victoria diaboli, si hæc simpliciter scriberentur? Quæ, ut diximus, ratione perspecta, et tentationem ostendunt fuisse si fierent, et victoriam quod contempta sunt fieri. Simulque monstratur istum panem qui de lapide fiat, non esse verbum Dei quod pascit hominem, de quo scriptum est : « Non in pane solo vivit homo; sed in omni verbo quod » egredietur per os Dei, vivet homo[2]. » Respondeo tibi, o versipellis et nequam, qui me tentare non metuis : Alius

[1] Matth. IV, 3. — [2] Luc. IV, 4. Deut. VI, 8, 3.

est panis, sermo Dei qui vivificat hominem. Simulque videamus quod hæc loquatur non Filius Dei, sed homo quem Filius Dei dignatus est assumere : quasi de homine enim respondet, et dicit : « Scriptum est : Non in pane solo vi» vit homo [1] : » ex quo manifestum non Deum, sed hominem fuisse tentatum. Scripturæ sensum diligenter eventilans, reor invenire me causam quare Joannes tentationem Domini non descripserit, sed tantum Matthæus, Lucas et Marcus. Joannes enim, qui a Deo exordium fecerat dicens : « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, » et Deus erat Verbum [2], » nec poterat divinæ generationis ordinem texere, sed tantummodo quod ex Deo et cum Deo esset expresserat, adjecit : « Et Verbum caro factum est [3]. » Porro quia Deus tentari non potest, de quo ei erat sermo, ideo tentari illum a diabolo non introducit. Quia vero liber generationis Jesu Christi de eo in Matthæi Evangelio narratur, et in Luca generatio ejus describitur, et in Marco homo est qui tentatur, propterea ejus fertur simile responsum : « Non in pane solo vivit homo. » Si igitur Filius Dei Deus pro te homo factus est, et tentatur, qui natura homo es, non debes indignari si forte tentaris. Quod si tentatus illum imitatus fueris qui pro te tentatus est, et omne viceris tentamentum, habebis spem cum eo qui tunc homo fuit, nunc autem homo esse cessavit (2). Nam si qui quondam homo erat, postquam tentatus est et recessit ab eo diabolus usque ad tempus mortis, a mortuis resurgens ultra non morietur, omnis autem homo morti subjacet : iste ergo qui nequaquam moritur, jam non est homo, sed Deus est. Si autem Deus est qui quondam homo fuit, et oportet te illi similem fieri quando similes ejus fuerimus, et viderimus eum sicuti est, te quoque necesse erit Deum fieri in Christo Jesu......

[1] Matth. IV, 4. — [2] Joan. I, 1. — [3] Ibid. 14.

Tam[1] Filio Dei quam Antichristo regnandi studium est. Sed et Antichristus regnare desiderat, ut occidat quos sibi subjecerit : Christus ad hoc regnat ut salvet. Et unusquisque nostrum si felix est, regnatur a Christo, sermone, sapientia, justitia, veritate. Si autem amatores voluptatis sumus magis quam amatores Dei, regnamur a peccato, de quo Apostolus loquitur : « Non ergo regnet peccatum in vestro » mortali corpore[2]. » Duo igitur reges certatim regnare festinant : peccati rex peccatoribus diabolus, justitiæ rex justis Christus. Sciensque diabolus ad hoc venisse Christum ut regnum illius tolleret, et hi qui sub eo erant inciperent esse sub Christo, ostendit ei omnia regna mundi, et hominum hujus sæculi, quomodo alii regnentur a fornicatione, alii ab avaritia, illi populari rapiantur cura, hi formæ capiantur illecebris. Neque vero arbitrandum est quod regna ei mundi ostendens, Persarum, verbi gratia, regnum Indorumque monstraverit; sed ostendat ei omnia regna mundi, id est, regnum suum quomodo regnaret in mundo, ut cohortans eum facere quod volebat, inciperet etiam Christum habere subjectum. Vis, inquit, in hominibus his regnare? Ostendit innumerabiles hominum multitudines, quæ suo tenebantur imperio. Et revera si miseriam et infelicitatem nostram simpliciter volumus confiteri, pene totius mundi rex diabolus est : unde et princeps istius sæculi a Salvatore vocatur. Quod ergo dicit : Vides hos homines qui sub meo regno sunt, ostendit ei in puncto temporis, hoc est, in præsenti temporum cursu, qui ad comparationem æternitatis puncti instar obtinet. Neque enim necessarium habuit Salvator ut ei dignitates sæculi istius et negotia monstrarentur : statim ut aciem luminum suorum ad contemplandum vertit, et peccata regnantia, et eos qui regnarentur a vitiis

[1] Hom. xxx p. 967 et seq.
[2] Rom. vi, 12.

conspexit, et ipsum principem sæculi diabolum supervenientem, atque gaudentem in propriam perniciem, quia tantos sub suo habebat imperio. Dicit ergo ad Dominum diabolus: Ideo venisti ut adversus me dimices, et tollas de imperio meo quos nunc subjectos habeo. Nolo contendas, nolo nitaris, ne habeas ullam in certando molestiam. Unum est quod precor : procidens adora me, et accipe regnum omne quod teneo. Verum Dominus noster atque Salvator vult quidem regnare, et omnes gentes subjectas esse ut serviant justitiæ, veritati, cæterisque virtutibus : sed vult regnare quasi justitia, ut absque labore regnet, ut nihil faciat indecorum, et non vult absque labore subjectus diabolo coronari, nec sic regnare cæteris ut ipse regnetur a diabolo. Unde loquitur ad eum Jesus : « Scriptum est : Dominum Deum tuum ad» orabis, et ipsi soli servies[1]. » Hos, inquit, omnes propterea » volo mihi esse subjectos, ut Dominum Deum adorent, et ipsi soli serviant. Hæc est cupido regni mei. Cur autem a me vis accipere peccata quæ dissoluturus veni, quæ etiam a cæteris auferre desidero? Scito atque cognosce me in hoc manere quod dixi, ut adoretur Dominus Deus solus, et hos omnes sub meam faciam potestatem, meoque regno subjiciam : cui gaudeamus nos quoque esse subjectos, et deprecemur Dominum, ut regnans peccatum in corpore nostro mortificet, et regnet nobis solus Christus Jesus..........

Scrutamini[2] Scripturas, ut et in his quæ putantur esse simplicia reperiatis non minima sacramenta. Scrutemur principium Evangelicæ lectionis, quotquot hodie audivimus, et id quod latebat procedit in medium. Adduxit autem diabolus Jesum in Jerusalem. Hoc incredibile est, ut diabolus duceret Filium Dei, et ille sequeretur. Sequebatur plane quasi athleta ad tentationem sponte proficiscens. Non for-

[1] Luc. IV, 8.
[2] Hom. XXXI. p. 968 et seqq.

midabat tentantem, neque insidias calidissimi pertimescebat inimici, et quodammodo loquebatur : Duc quo vis, tenta ut placet : ad tentandum sponte me tribuo ; sustineo quæ suggesseris ; præbeo me in quibuscumque tentaveris : invenies in omnibus fortiorem : « Adduxit *ergo* eum in Je» rusalem, et posuit super pinnam templi, et dixit : Si Fi» lius Dei es, mitte te deorsum[1]. » Adduxit eum in culmen ad summitatem templi, et hortatur ut se inde præcipitet. Quod cum ille fraudulenter proponeret, et sub ostentatione gloriæ niteretur, dicebat Salvator : « Scriptum est : Non » tentabis Dominum Deum tuum[2]. » Simulque considera quomodo tentet diabolus. Non aliunde tentare audet, nisi de divinis libris, et de Psalmis sumens testimonium, ait : « Si Filius Dei es, mitte te deorsum. Scriptum est enim : » Quia Angelis suis mandavit de te, et in manibus tollent te, » ne forte offendas ad lapidem pedem tuum[3]. » Unde tibi, diabole, hoc scire quod ista scripta sunt? Numquid legisti prophetas, vel divina eloquia cognovisti? Licet tu taceas, ego pro te respondebo. Legisti, non ut ipse ex lectione sanctorum melior fieres, sed ut simplicitate eos qui amici sunt litteræ, interficias. Scis quia si de aliis ei voluminibus loqui volueris, non decipies, neque habere poterunt auctoritatem assertiones tuæ. Sic legit Scripturas Marcion ut diabolus, sic Basilides, sic Valentinus, ut cum diabolo dicerent Salvatori : « Scriptum est, quia angelis suis mandavit de te, et » in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem » tuum. » Si quando testimonium de Scriptura audieris, vide ne statim loquenti acquiescas, sed considera illum cujus sit, ac cujus sententiæ, cujus sit voluntatis : ne forte simulet sanctum se esse quomodo non est, et venenis infectus hæreseos, sub ovis pelle lupus latitet, ne forte loquatur in eo diabolus de Scripturis. Quomodo autem diabolus

[1] Luc. IV, 9. — [2] Ibid. 12. — [3] Ibid. 9, 10, 11.

per occasionem temporum de Scripturis loquitur, sic e contrario Paulus pro utilitate eorum qui audiunt, non solum de Scripturis, sed etiam de sæcularibus libris assumit testimonium, et ait : « Cretenses semper mendaces, malæ bes» tiæ, ventres, pigri[1]. » Et rursum de alio : « Ipsius enim et » genus sumus[2]. » Necnon et de Comico : « Corrumpunt » mores bonos colloquia mala[3]. » Sed neque diabolus si de Scripturis locutus fuerit, poterit me hac occasione decipere ; neque Paulus, si de gentilibus litteris aliquod exemplum sumpserit, quoquo modo me eloquio deterrebit. Ideo enim assumpsit Paulus verba etiam de his quæ foris sunt, ut sanctificet ea. Videamus ergo quid de Scripturis diabolus loquatur ad Dominum. « Scriptum est enim : Angelis suis man» davit de te, et in manibus tollent te, ne forte offendas ad » lapidem pedem tuum[4]. » Vide quomodo et in ipsis testimoniis versipellis est. Vult enim imminuere gloriam Salvatoris, quasi Angelorum indigeat auxilio, offensurus pedem, nisi eorum manibus sublevetur. Assumit testimonium, et interpretatur illud de Christo, quod non de Christo, sed de sanctis generaliter scriptum est. Libere quippe et tota confidentia contradico diabolo super Christi persona hoc non posse intelligi. Neque enim indiget Angelorum auxilio qui major Angelis, et melius ipsis hæreditatem consecutus est et nomen. Nulli Angelorum unquam dixit Deus : « Filius » meus es tu, ego hodie genui te[5]. » Ad nullum eorum quasi ad Filium locutus : « Qui facit Angelos suos spiritus, et » ministros suos ignem urentem[6], » sed ad Filium proprie suum, de quo innumerabilia loquitur in Prophetis. Non indiget, inquam, Angelorum auxilio Filius Dei. Quin potius disce, diabole, quod nisi Jesus adjuverit Angelos, offendent pedem suum. Et si quis Angelorum visus est offendere, de

[1] Tit. I, 12. — [2] Act. XVII, 28. — [3] I Corinth. XV, 33. — [4] Luc. IV, 10. Matth. IV, 6. — [5] Psalm. II, 7. — [6] Psalm. CIII, 4. Hebr. I, 7.

quibus dudum lectum est : « Quia angelos judicabimus[1], » ideo offendit quia non extendit manum suam ad Jesum, ut apprehensus ab eo non offenderet. Quoniam enim in propria virtute confidens, non invocas præsidium Jesu, offendis, et credere in Jesum Christum Filium Dei noluisti. Ut autem scias quod male interpretatus est, et non de Christo sed de sanctis intelligi, quæ sequuntur ausculta. « A ruina » et dæmonio meridiano[2] » non Jesum Christum liberat Deus, sed sanctos. Lege nonagesimum Psalmum, cujus principium : « Qui habitat in adjutorio Altissimi, in pro- » tectione Dei cœli commorabitur[3], » et invenies hæc magis justo viro quam Dei Filio convenire : « Cadent a latere » tuo mille, et decem millia a dextris tuis, ad te autem non » appropinquabit : verumtamen oculis tuis videbis, et re- » tributionem aspicies peccatorum[4], » et reliqua, super personam justi interpretans. Sed et sic quoque perverse afferens diabolus testimonia, ut assereret super Salvatore intelligi, silet et transit versiculos qui contra se scripti sunt. Cum enim dixisset : « Angelis suis mandavit de te, et in » manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem » tuum[5], » tacuit illud quod sequitur : « Super aspidem et » basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draco- » nem[6]. » Quare, diabole, siles, nisi quod tu es basiliscus, tu es omnium serpentium regulus, nocentiora habens venena quam cæteri? Qui statim ut videris aliquem, interficis, et aliam fortitudinem contrariam sociam tui assumis, quæ aspis appellatur, et viro justo subjecta est ; et idcirco omnia taces. Tu es draco, tu es leo, de quibus scribitur : « Super » aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem » et draconem. » Sed licet tu taceas, nos qui Scripturas rectius legimus, scimus habere nos potestatem conculcandi te,

[1] I Cor. VI, 3. — [2] Psal. XC, 6. — [3] Ibid. 1. — [4] Ibid. 7, 8. — [5] Ibid, 11 et 12. — [6] Ibid. 13.

et datam nobis hanc ditionem, non solum in veteri Testamento, sicut nunc cantatur in Psalmo, sed etiam in novo, Salvatore dicente : « Ecce do vobis potestatem calcandi su- » per serpentes, et scorpiones, et omnem virtutem inimici ; » et nihil vobis nocebunt[1]. » Sumamus arma, tanta potestate firmati, et universa faciamus ut per conversationem nostram leonem conculcemus et draconem. Porro ut scias quomodo conculcetur leo, et conteratur draco, Pauli Epistolam lege in qua asserit conculcari peccatores Filio Dei. Sicut ergo qui peccator est conculcatur Filio Dei, sic e contrario qui justus est conculcat leonem et draconem, et omnem virtutem inimici conculcat in nomine Jesu Christi, cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

§ XII.

De prædicatione Christi in synagoga.

Primum [2] quidem Jesus plenus Spiritu sancto reversus est a Jordane, et agebatur a spiritu in deserto diebus quadraginta. Cum tentaretur a diabolo, quia adhuc vi certaturus erat adversus eum, et semel, et bis, non cum additamento aliquo spiritus ponitur. Quando vero tres tentationes quas Scriptura commemorat pugnando superavit, attende quid de spiritu signanter cauteque ponatur. Ait : « Et reversus est Jesus in virtute spiritus. » Virtus addita est, quia conculcaverat draconem, et tentatorem cominus vicerat. « Reversus est *ergo* Jesus in virtute spiritus in Ga- » lilæam *terram*, et fama exiit per omnem regionem de » eo : et ipse docebat in synagogis eorum, et glorificabatur » ab omnibus[3]. » Cave ne beatos illos tantum judices, et te

[1] Luc. x, 19.
[2] Hom. xxxii. p. 970.
[3] Luc. iv, 14, 15.

arbitreris primum esse doctrina. Si vera sunt quæ scripta sunt, non solum tunc in congregationibus Judæorum, sed et hodie in hac congregatione Dominus loquitur; et non solum in hac, sed etiam in alio cœtu et in toto orbe docet Jesus, quærens organa per quæ doceat. Orate, ut me quoque compositum ad canendum aptumque reperiat. Sicut enim quærit omnipotens Deus prophetas eo tempore quo prophetia mortales indigent, et invenit, verbi gratia, Isaiam, Jeremiam, Ezechielem, Danielem; sic quærit Deus organa per quæ doceat sermonem suum, vel erudiat populos in synagogis eorum, et glorificetur ab omnibus. Nunc magis glorificatur ab omnibus Jesus quam illo tempore quo tantum in una provincia cognoscebatur. « Deinde venit Nazareth » ubi nutritus fuerat, et ingressus juxta morem in synago- » gam die sabbatorum, surrexit legere : et datus est ei liber » prophetæ Isaiæ : et revolvens librum, et locum ubi erat » scriptum : Spiritus Domini super me, propter quod unxit » me [1]. » Non fortuitu revolvit librum, et apud se vaticinans reperit lectiones, sed et hoc providentiæ Dei fuit. Sicut enim scriptum est, quia in laqueum non cadit passer sine voluntate Patris [2], et quia capilli capitis Apostolorum omnes numerati sunt; sic forsitan et hoc quod Isaiæ potissimum liber inventus est, et lectio non alia, sed hæc quæ Christi mysterium loquebatur : « Spiritus Domini super me, » propter quod unxit me [3]. » Christus est enim qui ista commemorat, non utlibet et casu venisse arbitrandum est, sed providentia et dispensatione Dei. Quæ sunt igitur quæ in Propheta loquebatur, et postea de se ipse in synagoga personet, contemplemur. « Evangelizare (*ait*) pauperibus mi- » sit me [4]. » Pauperes, nationes significant. Isti enim erant pauperes, nihil omnino possidentes, non Deum, non Legem, non Prophetas, non justitiam, reliquasque virtutes.

[1] Luc. IV, 16 et seqq. — [2] Matth. X. — [3] Luc. IV, 18. — [4] Ibid.

Ob quam causam misit eum Deus, ut pauperibus nuntiaret. « Prædicare captivis remissionem [1]. » Captivi nos fuimus, quos tantis annis vinxerat Satanas, habens captivos sibi subjectos. Venit Jesus « prædicare captivis remissionem, » et cæcis ut viderent. » Sermone quippe et prædicatione doctrinæ ejus, cæci vident. Prædicatio ergo remissionis intelligatur non solum super captivis, sed etiam super cæcis. « Emittere confractos in libertatem [2]. » Quid ita fractum atque collisum fuit, ut homo qui a Jesu dimissus est et sanatus? « Prædicare annum Domini acceptum. » Juxta simplicem intelligentiam aiunt uno anno Salvatorem in Judæa Evangelium prædicasse, et hoc esse quod dicitur : « Prædi» care annum Domini acceptum, et diem retributionis [3] : » nisi forte quiddam sacramenti in prædicatione anni Domini divinus sermo significat. Futuri sunt enim alii dies, non tales quales nunc in mundo cernimus, et menses alii, et Calendarum ordo diversus. Sicut igitur ista alia, sic annus Domini futurus est placens. Ista autem omnia prædicta sunt ut post visionem ex cæcitate, post libertatem ex vinculis, post sanitatem a diversis vulneribus, veniamus ad annum Domini acceptum. Cum enim hæc legisset Jesus, « involvens librum reddidit ministro, et sedit, et omnium » oculi erant in synagoga attendentes in eum [4]. » Et nunc si vultis, in hac synagoga cœtuque possunt oculi vestri attendere in Salvatorem. Cum enim principalem cordis tui direxeris aciem ad sapientiam et veritatem, Deique Unigenitum contemplandum, oculi tui intuentur Jesum. Beata congregatio, de qua Scriptura testatur quod omnium oculi erant attendentes in eum ! Quam vellem istum cœtum simile habere testimonium, ut omnium oculi, et catechumenorum, et fidelium, et mulierum, et virorum, et infantium, non corporis oculi sed animæ aspicerent Jesum! Cum

[1] Luc. IV, 19. — [2] Ibid. — [3] Ibid. — [4] Ibid. 20.

enim respexeritis ad eum, de lumine ejus et intuitu clariores vestri vultus erunt, et dicere poteritis : « Signatum » est super nos lumen vultus tui, Domine [1], » cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

§ XIII.

De parabola Samaritani.

Cum multa [2] in Lege præcepta sint, hæc tantum Salvator in Evangelio posuit quæ quodam compendio ad æterna obedientes ducerent. Ad id enim respicit quod Legis doctor interrogaverat eum dicens : « Magister, quid faciens vitam » æternam possidebo [3] ? » quæ lectio secundum Lucam hodie vobis recitata est. Respondit : « In Lege quid scriptum est ? » Quomodo legis ? Diliges Dominum Deum tuum ex toto » corde tuo, et ex tota virtute tua, et ex tota mente tua, et » proximum tuum tanquam teipsum. *Ac deinde :* Bene, » *ait,* respondisti : hoc fac, et vives [4]. » Haud dubium quin sempiternam vitam hoc faciendo accepturus sis, de qua et Legis doctor interrogaverat. Simulque perspicue docemur in Legis præcepto ut diligamus Deum. In Deuteronomio scriptum est : « Audi, *inquit,* Israël ; Dominus Deus *tuus,* » Deus unus est; *et* : Diliges Dominum Deum tuum ex tota » mente tua [5], *et reliqua,* et proximum tuum quasi teipsum. » Et Salvator super his testatus est dicens : « In his duobus » mandatis tota Lex pendet et Prophetæ [6]. » Volente autem doctore Legis justificare semetipsum, et ostendere quod nemo sibi esset proximus, atque dicente : « Quis est proximus » meus [7] ? » intulit Dominus parabolam cujus exordium est : « Homo quidam descendebat de Jerusalem in Jericho [8], »

[1] Psal. IV, 7.

[2] Hom. XXXIV. p. 971 et seqq.

[3] Luc. X, 25. — [4] Ibid. 26, 27, 28. — [5] Deut. VI, 4, 5. — [6] Matth. XXII, 40. — [7] Luc. X, 29. — [8] Ibid. 30.

et reliqua : et docet nullius fuisse proximum descendentem, nisi illius qui voluerit custodire præcepta, et præparare se ut sit proximus omni homini qui auxilio indiget. Hoc enim est quod post parabolam in fine ponitur : « Quis de his tri- » bus videtur tibi proximus esse ejus qui in latrones inci- » dit[1] ? » Nec enim sacerdos, nec levites proximi ejus fuerunt; sed, ut ipse quoque Legis doctor respondit, « ille qui » fecit misericordiam[2], » proximus ejus fuit. Unde et a Salvatore dicitur : « Vade, et tu fac similiter[3]. » Aiebat quidam de presbyteris volens parabolam interpretari, hominem qui descendit esse Adam; Jerusalem, paradisum; Jericho, mundum; latrones, contrarias fortitudines; sacerdotem, Legem; levitem, Prophetas; Samaritem, Christum; vulnera vero, inobedientiam; animal, corpus Domini; pandochium, id est, stabulum quod universos volentes introire suscipiat, Ecclesiam interpretari : porro duos denarios, Patrem et Filium intelligi; stabularium, Ecclesiæ præsidem cui dispensatio credita est. De eo vero quod Samarites reversurum se esse promittit, secundum Salvatoris figurabat adventum. Hæc cum rationabiliter pulchreque dicantur, non est tamen existimandum quod ad omnem hominem pertineant : neque enim omnis homo descendit de Jerusalem in Jericho, nec universi propterea in præsenti sæculo commorantur, licet ille qui missus est, propter perditas oves venerit domus Israël. Homo igitur qui de Jerusalem descendit in Jericho, quia voluit ipse descendere, propterea in latrones incidit. Latrones autem nulli sunt alii, nisi de quibus Salvator ait : « Omnes qui ante me venerunt, fures fuerunt » et latrones[4]. » Verumtamen non incidit in fures, sed in multo furibus nequiores latrones, qui descendentem eum de Jerusalem, cum incidisset in illos, spoliaverunt, et imposuerunt ei plagas. Quæ sunt plagæ, quæ vulnera quibus

[1] Luc. x, 36. — [2] Ibid. 37. — [3] Ibid. — [4] Joan. x, 8.

vulneratus est homo? Vitia atque peccata. Deinde quia latrones qui nudaverant eum et vulnaverant, non assident nudo, sed plagis rursus impositis relinquunt eum, idcirco scriptum est : « Spoliantes eum et vulnera apponentes, abierunt, eo *non mortuo, sed* seminece[1]. » Factum est autem ut in eadem via primus sacerdos, deinde levites descenderent, qui forsitan aliis hominibus bona quædam fecerant, non tamen huic qui descenderat ab Jerusalem in Jericho. Hunc enim vidit sacerdos, puto Lex vidit; levites, ut reor, sermo propheticus : et cum vidissent, reliquerunt et transierunt. Servabat quippe seminecem Providentia ei qui fortior erat Lege et Prophetis, Samaritano videlicet, qui interpretatur custos. Iste est qui non dormitat, neque dormit custodiens Israël. Propter seminecem profectus est iste Samaritanus non de Jerusalem in Jericho, sicut sacerdos et levita descendens : aut si descendit, idcirco descendit ut salvaret custodiretque moriturum. Ad quem locuti sunt Judæi : « Samaritanus es tu, et dæmonium habes[2]. » Qui cum negasset se habere dæmonium, Samaritem negare se noluit : sciebat enim se custodem. Itaque cum venisset ad seminecem, et vidisset eum in suo sanguine volutari, misertus accessit ad eum ut fieret ejus proximus. Ligavit vulnera, infudit oleum vino mixtum : neque dixit quod in Propheta legitur : « Non est malagma imponere, neque oleum, neque alligaturas[3]. » Iste est Samaritanus, cujus cura et auxilio omnes qui male habent indigent. Hujus vel maxime Samaritani indigebat auxilio qui de Jerusalem descendens inciderat in latrones, et vulneratus ab eis, semianimis fuerat derelictus. Ut autem scias quod juxta providentiam Dei Samarites iste descenderit ut curaret eum qui inciderat in latrones, manifesto doceberis ex eo quod secum habebat alligaturas, secum oleum, secum vinum. Quæ quidem ego

[1] Luc. x, 30. — [2] Joan. viii, 48. — [3] Isai. i, 6.

puto, non propter istum unum seminecem, sed propter alios quoque qui ob varias causas fuerant vulnerati, et indigebant alligaturis, et oleo, et vino, secum portasse Samariten. Habebat oleum de quo scriptum est : « Ut exhilaret fa» ciem in oleo[1] : » haud dubium quin ejus qui curatus fuerat oleo etiam tumores vulnerum sedarentur. Sed et vino mundat vulnera, asperitatis aliquid admiscens : eumque qui fuerat vulneratus imposuit jumento, id est, proprio corpori, juxta id quod est hominem dignatus assumere. Iste Samaritanus peccata nostra portat, et pro nobis dolet, portat seminecem, inducit in pandochium, id est, in Ecclesiam, quæ omnes suscipit et nulli auxilium suum denegat, ad quam cunctos provocat Jesus dicens : « Venite ad me omnes qui » laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos[2]. » Et postquam induxit eum, non statim recedit, sed uno die in stabulo cum seminece perseverat, et curat vulnera non solum in die, verum etiam in nocte, reliquam sollicitudinem suam et industriam tribuens. Cumque vellet mane proficisci, de probato argento suo, de probata pecunia sua tollit duos denarios, et onerat stabularium, haud dubium quin Angelum Ecclesiæ, cui præcipit ut diligenter curet eum, et ad sanitatem usque perducat quem pro angustia temporis etiam ipse curaverat. Duo denarii notitia mihi videtur esse Patris et Filii, et scientia sacramenti, quomodo Pater in Filio et Filius in Patre sit, qui vult mercedes donentur angelo, ut diligentius curet sibi hominem commendatum, et promittitur ei quidquid de suo in medelam seminecis expenderit, illico esse reddendum. Vere Legis et Prophetiæ custos animarum iste vicinior, qui fecit misericordiam ei qui inciderat in latrones, et proximus ejus apparuit non tam sermone quam opere. Quia ergo possibile est, juxta illud quod sequitur, imitari nos Christum, et misereri eorum qui inciderant in

[1] Psalm. CIII, 15. — [2] Matth. XI, 28.

latrones, accedere ad eos, ligare vulnera, infundere oleum et vinum, imponere super proprium jumentum, et ferre onera ipsorum; propterea ad talia nos cohortans Filius Dei, non tam doctori Legis quam nobis quoque omnibus loquitur : « Vade, et tu fac similiter[1]. » Quæ si similiter fecerimus, vitam consequemur æternam in Christo Jesu, cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

§ XIV.

De ingressu Christi in Jerusalem.

Lectum[2] est in Evangelio secundum Lucam, quomodo cum venisset Salvator Bethphage et Bethaniam juxta montem Oliveti, miserit duos e discipulis suis ut solverent pullum asinæ, qui vinctus erat, et super quem nullus hominum aliquando sederat[3]. Quod quidem mihi videtur magis ad altiorem intelligentiam quam ad simplicem historiam pertinere. Asinus vinctus erat. Ubinam? Contra Bethphage et Bethaniam; e quibus Bethania interpretatur domus obedientiæ, Bethphage vero domus maxillarum, sacerdotalis quidam locus. Maxillæ enim sacerdotibus dabantur, sicut in Lege præcipitur. Illuc ergo ubi obedientia, ubi locus sacerdotibus mancipatus, mittit Salvator discipulos suos, ut solvant pullum asinæ super quem nullus hominum aliquando sederat. Porro quid aliud super asinum sedere potest absque homine? Volo paulisper exemplum sumere, ut quod dicturus sum possit intelligi. Scriptum est in Isaia : « Visio quadrupedum in tribulatione et angustia, » et reliqua, usque ad eum locum ubi ait : « Non proderunt eis divitiæ aspidum. » Unusquisque nostrum consideret quantas opes as-

[1] Luc. x, 37.
[2] Hom. xxxvii. p. 976 et seq.
[3] Luc. xix.

pidum ante portaverit, quantas divitias bestiarum, et quomodo nunquam rationabilis homo sederit super asinum nostrum, non sermo Moysi, non Isaiæ, non Jeremiæ, nec reliquorum omnium prophetarum : et videbit tunc sedisse super nos sermonem Dei atque rationem, quando venit Dominus Jesus, et præcepit discipulis suis ut euntes solverent pullum asinæ, qui prius vinctus fuerat, ut liber incederet. Solutus itaque pullus asinæ adducitur ad Jesum, ad cujus solutionem mittens discipulos dixerat : « Si quis vos interrogaverit quare solvitis pullum, dicite ei, quia Dominus necessarium illum habet[1]. » Multi erant domini hujus pulli antequam Salvator eum haberet necessarium : postquam vero ille cœpit esse Dominus, plures domini esse cessaverunt. Nemo enim potest Deo servire et mammonæ. Quando malitiæ servierimus, multis sumus passionibus vitiisque subjecti. Solvitur ergo pullus, quia Dominus necessarium eum habet. Vos estis pullus asinæ; quid vestri Filius Dei necessarium habet? quid a vobis expetit? Salute vestra opus habet, cupit vos solvi vinculis peccatorum. Deinde mittunt discipuli vestes suas super asinum, et sedere faciunt Salvatorem. Assumunt sermonem Dei, et imponunt eum super animas auditorum. Vestibus exuuntur, substernunt eas in via. Super nos sunt vestimenta Apostolorum : opera eorum bona, ornamenta nostra sunt : volunt Apostoli indumenta sua calcari a nobis. Et revera solutus a discipulis asinus, et portans Jesum, incedit super vestimenta Apostolorum, quando doctrinam eorum imitatur et vitam. Quis nostrum ita beatus est, ut sedeat super illum Jesus? Qui quamdiu in monte fuit, cum suis Apostolis morabatur : quando vero cœpit vicinus esse descensui, tum occurrit ei turba populorum. Si non venisset ad descensum, non ei poterat occurrere multitudo. Descendit, seditque super pul

[1] Luc. XIX, 31.

lum asinæ, et omnis populus voce consona laudabat Deum. Quod Pharisæi videntes, dicebant Domino : « Increpa eos. » Quibus ille respondit : « Si isti tacuerint, lapides clama- » bunt[1]. » Quando nos loquimur, lapides silent : quando nos tacemus, lapides clamant. « Potest *enim* Dominus de lapi- » dibus istis suscitare filios Abrahæ[2]. » Quo tempore nos tacebimus ? Quando refrixerit charitas multorum ; quando illud quod a Salvatore prædicatum est, fuerit impletum : « Putas veniens Filius hominis inveniet fidem super ter- » ram[3] ? » .....

Cum[4] appropinquasset Jerusalem Dominus noster, videns eam flevit, et dixit : « Si cognosceres et tu in die ista quæ » ad pacem sunt tibi, nunc autem abscondita sunt ab ocu- » lis tuis, quoniam venient dies super te, et circumdabunt » te inimici tui vallo[5]. » Sacramenta sunt quæ dicuntur, et speramus pandente Deo aperire posse quod latitat. Primum ergo de fletu ejus videndum. Omnes beatitudines quas locutus est in Evangelio Jesus, suo firmat exemplo, et quod docuit pro testimonio probat. « Beati, *inquit*, mites[6]. » Huic simile est de semetipso : « Discite a me quoniam mitis sum[7]. » Beati pacifici[8]. » Et quis alius ita pacificus ut Dominus meus Jesus qui est pax nostra, qui solvit inimicitiam, et in sua eam carne destruxit ? « Beati qui persecutionem patiun- » tur propter justitiam[9]. » Nemo sic persecutionem passus est propter justitiam ut Dominus Jesus, qui pro peccatis nostris crucifixus est. Omnes igitur beatitudines in semetipso Dominus ostendit. Ad quam similitudinem etiam illud quod dixerat : « Beati flentes[10], » ipse flevit, ut hujus quoque beatitudinis jaceret fundamenta. Flevit autem super Jerusalem, dicens : « Si cognovisses et tu in die ista quæ ad

[1] Luc. XIX, 39, 40. — [2] Id. III, 8. — [3] Id. XVIII, 8.
[4] Hom. XXXVIII. p. 977.
[5] Luc. XIX, 42 et seqq. — [6] Matth. V, 4. — [7] Id. XI, 29. — [8] Idem, V, 9. — [9] Ibid. 10 — [10] Ibid. 5.

» pacem sunt tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis » tuis[1], » et reliqua usque ad eum locum ubi ait : « Eo quod » non cognoveris tempus visitationis tuæ[2]. » Dicat aliquis auditorum : Manifesta sunt quæ dicuntur, et opere completa de Jerusalem ; circumdedit enim eam Romanus exercitus, et ad internecionem usque vastavit, tempusque veniet quando lapis super lapidem non relinquetur super eam. Non nego et illam quidem Jerusalem propter habitatorum scelera fuisse destructam, sed quæro si et ad hanc nostram Jerusalem fletus iste pertineat. Nos enim sumus Jerusalem quæ defletur, qui nobis videmur intuitum habere majorem. Quod si post mysteria veritatis, post sermonem Evangelii, post doctrinam Ecclesiæ, post visionem sacramentorum ejus, aliquis e nobis peccaverit, plangitur atque fletur. Nemo enim gentilis fletur, sed ille qui fuit de Jerusalem; quod post peccata circumdant eam inimici, contrariæ videlicet fortitudines, spiritus nequam, et immittant in circuitu ejus vallum, et obsideant eam, et lapidem super lapidem non relinquant : maxime si post multam continentiam, post aliquot annos castitatis victus quis fuerit, blandimentisque carnis illectus patientiam pudicitiamque amiserit. Si fueris fornicatus, lapidem super lapidem non relinquent super te. Ait enim in alio loco : « Non recordabor priorum justitiarum » ejus : in peccato suo in quo deprehensus fuerit, in ipso » judicabo eum[3]. » Hæc est ergo quæ defletur Jerusalem. Post quæ dicitur : « Ingressus est templum[4]. » Quod cum fuisset ingressus, ejecit eos qui vendebant columbas. Non ejecit ementes : qui enim emunt, et quod emerint possident. Illos ejecit de templo Patris Jesus qui vendunt et abjiciunt quod habuerant, in similitudinem illius luxuriosi filii qui substantiam suam accepit a patre, et universa perdidit nimie potando. Si quis ergo vendit, ejicitur, præcipue

[1] Luc. XIX, 42. — [2] Ibid. 44. — [3] Ezech. XVIII, 22. — [4] Luc. XIX, 45.

si vendebat columbas. Quare alias aves non posuit nisi columbas? Hoc animal simplex est et decorum. Vereor ne et in nobis vitium istiusmodi deprehendatur. Si enim ea quæ mihi a sancto Spiritu revelata sunt et credita ut in vulgus efferrem pretio vendidero, et absque mercede non docuero, quid aliud facio nisi columbas, id est, Spiritum sanctum vendo? Quem cum vendidero, ejicior de templo Dei. Quapropter rogemus Dominum ut omnes emamus potiusquam vendamus. Si enim non vendiderimus, cognoscimus et intelligimus salutem nostram : alioquin inimici circumdabunt urbem nostram. Quod si semel nos exercitus hostilis cinxerit, lacrymas Dei non merebimur. Surgamus ergo diluculo, et obsecremus Dominum, ut saltem micas quæ de mensa ejus cadunt comedere possimus. Miratur Scriptura reginam Saba venisse ab extremo terræ audire sapientiam Salomonis : quæ cum vidisset prandium, et supellectilem, et ministeria domus ejus, obstupuit, et tota in miraculo fuit[1]. Nos si tantas Domini nostri opes, tantam sermonis supellectilem et abundantiam doctrinarum non libenter amplectimur, si non comedimus panem vitæ, si non carnibus Christi vescimur et cruore potamur, si contemnimus dapes Salvatoris nostri, scire debemus quod habeat Deus et benignitatem et severitatem. E quibus benignitatem ejus magis orare debemus, in Christo Jesu Domino nostro, cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

[1] 3 Reg. x.

ORIGENIS

COMMENTARIORUM

IN

EVANGELIUM JOANNIS

TOMI I[1] ET VI.

(INTERPRETE AMBROSIO FERRARIO.)

§ I.

De Joanne et Evangelio Præfatio.

Arbitror[2] ego, etiamsi quatuor sint Evangelia, veluti elementa fidei Ecclesiæ, ex quibus elementis totus constat hic mundus Deo per Christum reconciliatus, sicut inquit Paulus, « Deus erat in Christo, mundum sibi reconcilians[3] : » cujus mundi peccatum sustulit Jesus ; de mundo enim Ecclesiæ sermo ille est scriptus : « Ecce Agnus Dei, qui aufert » peccatum mundi[4], » Evangeliorum primitias Evangelium esse Joannis nobis propositum, cujus sensum pro virili nostra jussi sumus abs te investigare. Idque arbitror, considerans genealogiam texentem, et incipientem ab eo qui genealogia caret. Nam Matthæus quidem cum scriberet Hebræis, qui venturum ex Abrahamo et Davide expectabant : « Liber, *inquit*, generationis Jesu Christi filii David, » filii Abraham[5]. » Marcus vero sciens quod scribit, initium

[1] Tom. IV ed. Benedd. p. 1 et seqq. — [2] N. 6. p. 5.
[3] 2 Cor. v, 19. — [4] Joan. I, 30. — [5] Matth. I, 1.

enarrat Evangelii, fortassis quod inveniamus finem ipsius apud Joannem, qui in principio Verbum Deum fuisse inquit. Lucas etiam cum dixisset : « Primum quidem sermo- » nem feci de omnibus quæ cœpit Jesu facere et docere, » majores perfectioresque de Jesu sermones reservat ei qui supra pectus Jesu recubuit. Nullus enim illorum adeo pure manifestavit illius divinitatem ut Joannes, quippe qui inducat illum dicentem : « Ego sum lux mundi : Ego sum via, » veritas et vita : Ego sum resurrectio : Ego sum ostium : » Ego sum pastor bonus ; » et in Apocalypsi : « Ego sum α » et ω, principium et finis, primus et novissimus [1]. » Audeamus igitur dicere primitias Scripturarum omnium Evangelium esse; Evangeliorum vero primitias, Evangelium a Joanne traditum; cujus sensum percipere nemo potest, nisi qui supra pectus Jesu recubuerit, vel acceperit a Jesu Mariam, quæ etiam ipsius mater fiat : adeo talem tantumque esse necesse est, qui Joannes alius sit futurus, ut quemadmodum Joannes, itidem etiam et iste a Jesu Jesus existere ostendatur. Nam si nullus est Mariæ filius, judicio eorum qui de ipsa sane senserunt, præterquam Jesus ; dicitque Jesus matri : « Ecce filius tuus [2], » et non, Ecce etiam hic est filius tuus : perinde est ac si dixisset : Ecce hic est Jesus quem genuisti. Etenim quisquis perfectus est, non amplius vivit ipse, sed in ipso vivit Christus. Cumque in ipso vivat Christus [3], dicitur de eo Mariæ : Ecce filius tuus Christus. Quid ergo attinet dicere, quanta nobis opus sit mente ut in testaceis abjectæ litteræ thesauris reconditum verbum digne valeamus interpretari ; præsertim cum littera passim a quibusvis legatur, verbumque per vocem sensibile audiatur ab omnibus qui auditum præbent corporalem ? Qui enim accurate apprehensurus sit, vere is dicat oportet :

[1] Joan. VIII, 12 ; XIV, 10 ; XI, 25 ; X, 7, 9, 11. Apoc. I, 8 ; XXII, 13. — [2] Joan. XIX, 26. — [3] Coloss. II, 20.

« Nos autem Christi sensum habemus, ut sciamus quæ a » Deo donata sunt nobis[1]. » ....

Sed[2] tempus jam est accuratius exquirere quid vox Evangelii significet, et quare hi libri inscriptionem hanc habeant. Est igitur Evangelium, sermo qui rerum nuntium continet, quæ quod utiles sint jure merito lætitiam pariunt auditori, simul atque ab ipso admissa fuerint quæ nuntiantur. Nec vero minus talis oratio est Evangelium, quamvis ex habitu audientis perpendatur. Vel, Evangelium oratio est continens boni præsentiam cuicumque credenti ; vel, oratio affirmans adesse bonum quod expectabatur. Omnes autem quas prædiximus definitiones iis conveniunt quæ inscribuntur Evangelia : cum enim unumquodque Evangelium sit coacervatio nuntiorum utilium ei qui fidem adjungit, neque præter germanam scientiam intelligit, et emolumentum afferat, jure merito lætitiam parit, docens salutarem adventum ad homines, et propter homines, Primogeniti omnis creaturæ, nempe Jesu Christi. Quinetiam quod Evangelium unumquodque sit oratio, docens boni Patris in Filio adventum ad volentes eum excipere, credenti cuilibet perspicuum est. Quod autem expectatum etiam bonum per hos libros promittitur, non est obscurum : totius namque populi fere ore loquens Baptista Joannes in legatione ad Jesum missa ait : « Num tu es ille venturus, an alium expectamus[3] ? » Expectatum enim a populo bonum, Jesus erat; de quo Prophetis annuntiantibus, etiam e vulgo quilibet homines qui sub Lege et Prophetis erant, in eo spem habebant; Samaritide illa hoc testante, atque dicente : « Novi quod Messias » venit, qui dicitur Christus. Cum ergo venerit ille, nobis » nuntiabit omnia[4]. » ....

[1] 1 Cor. II, 12, 16.
[2] N. 7. p. 7.
[3] Matth. XI, 3. — [4] Joan. IV, 25.

Quod [1] si quis repugnare velit primæ definitioni, quia cadant et alia sub eam quæ non inscribantur Evangelii titulo, dicatque Legem et Propheticos sermones continere nuntium rerum quæ, quod utiles sint, merito lætitiam pariunt auditori, simul ac ab ipso approbatæ fuerint; respondebimus Legem et Propheticos sermones ante Christi adventum, quia nondum advenisset ille qui in his contenta reseraret mysteria, non habuisse ejusmodi nuntium quod Evangelii definitione continetur : Servatorem vero, ad nos cum accessisset, et ut Evangelium corpore esset præditum effecisset, perfecisse cum Evangelio ut omnia essent instar Evangelii.............

[Hinc] [2] Esaias dicit : « Quam pulchri sunt pedes evan- » gelizantium bona [3]. » ....Itaque bona evangelizant illi quorum pedes sunt pulchri [bona, inquam], scilicet Jesum.

Nec miretur quispiam si nomine bonorum numero multitudinis, exposuimus annuntiari Jesum ab evangelizantibus : expositis enim rebus nomina habentibus, quibus Dei Filius nuncupatur, sciemus quomodo multa bona sit Jesus, quem annuntiant ii quorum speciosi sunt pedes. Vita bonum est unum; at Jesus est vita. Bonum alterum lux est mundi, lux vera, lux hominum; at hæc omnia dicitur esse Filius Dei. Ad hæc, præterquam quod vita et lux est, aliud etiam est bonum, juxta considerationes nostras, veritas scilicet. Rursus est aliud bonum, quod est quartum bonum, nempe via quæ ad hæc bona nos conducat. Hæc autem omnia Servator seipsum esse docet, dicens : « Ego sum via, veritas, et » vita [4]. » Quomodo autem non bonum est resurgere hominem excusso pulvere et mortalitate, hocque a Domino assequi secundum quod ipse Jesus est resurrectio, qui etiam

[1] N. 8. p. 8. — [2] N. 10, 11. p. 11-13.
[3] Is. LII, 7. Rom. x, 15. — [4] Joan. XIV, 6.

inquit : « Ego sum resurrectio[1] ? » Quin et ostium etiam per quod ad summam beatitudinem quis ingreditur, est bonum. At Christus inquit : « Ego sum ostium[2]. » Quid vero opus est verba facere de Sapientia, quam « condidit Deus in ini- » tio viarum suarum, in opera sua[3], » qua adgaudebat Pater ipsius, oblectatus in multifaria ipsius pulchritudine intelligibili, quæ solis intellectualibus oculis cernitur, quæque considerantem divinam pulchritudinem ad amorem cœlestem invitat? Bonum enim est Sapientia Dei. At hoc quoque, præter ea quæ supra recensuimus, ii annuntiant quorum pedes sunt pulchri. Potentia Dei præterea octavum nobis bonum annumeratur, qui est Christus. Verumenimvero haud silentio prætereundum est illud Verbum, quod post Patrem universorum est Deus. Namque et hoc bonum nullo alio bono est inferius. Itaque beati qui admiserint hæc bona, quique perceperint ea ab iis qui pedes habent pulchros, atque qui evangelizant. Verumtamen quamvis Corinthius quispiam extiterit, apud quem affirmet Paulus se nihil scire nisi Jesum Christum, et hunc quidem crucifixum, edoctusque hunc nostri causa hominem factum attigerit initia bonorum, is ab homine Jesu fit homo Dei, et ex morte ejus moriens peccato : « Etenim quod ille mortuus fuit peccato, mortuus » est semel[4] : » ex vita vero ipsius, quoniam Jesus est illud quod vivit, vivit Deo unusquisque, et conformis factus resurrectioni ejus hoc assequitur, ut vivat Deo. Quis autem ambigat, an ipsa justitia, ipsa sanctificatio, atque ipsa redemptio, sit bonum? quæ etiam ipsa Jesum evangelizantes evangelizant, dicentes eum factum fuisse nobis justitiam a Deo, et sanctificationem, et redemptionem[5]. Ex his ergo licebit intelligere ea quæ de eo scripta sunt, et vix enumerari possunt, probando Jesum bonorum esse multitudinem ; at-

[1] Joan. XI, 25. — [2] Idem, X, 9. — [3] Prov. VIII, 22. — [4] Rom. VI, 10. — [5] 1 Cor. I, 30.

que ex his quæ ægre enumerari possunt et scripta sunt, conjecturam capere de iis quæ in ipso quidem insunt, in quem beneplacitum fuit omnem plenitudinem divinitatis corporaliter habitare, haud tamen a litteris continentur : quid dico a litteris? quando et de toto mundo dicat Joannes : « Nec ipse, opinor, mundus caperet eos qui scriberentur » libros[1]. » Dicere ergo Apostolos evangelizare Servatorem, perinde est ac si diceremus eos evangelizare bona omnia...

....Hoc[2] in loco finiemus quæ narranda esse diximus ante interpretationem eorum quæ præleguntur his scriptis. Jam vero Deum oremus ut nobis sit adjumento per Christum in sancto Spiritu ad explicandum mysticum sensum in verbis, perinde ac thesaurum reconditum.

§ II[3].

De variis Joannis Baptistæ testimoniis.

.... Fortasse[4] primum Joannis de Christo testimonium esse dicent [aliqui] : « Qui post me venit, ante me factus est, quia prior me erat[5] ; » et illud : « Ex plenitudine » ejus nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia[6], » et quæ sequuntur, dictum fuisse ex persona Discipuli. Unde necesse est intelligentiam hanc refellere, ceu coactam, et non consequentem. Admodum enim violentum est existimare repente adeo et importune Baptistæ orationem interruptam fuisse ab oratione Discipuli. Et sane vel cuilibet qui tantillum judicare sciat contextum orationis eorum quæ dicuntur, lectionis series aperta est : « Hic erat quem dixi : » Qui post me venit, ante me factus est, quia prior me erat[7]. » Docet autem Baptista quomodo ante se factus sit Jesus, dictus ipso Baptista prior, quia sit « primogenitus omnis crea-

[1] Joan. xxi, 25.
[2] N. 15. p. 17. — [3] Tomus vi. p. 100 et seqq. — [4] N. 3-7. p. 106-113.
[5] Joan. i, 15. — [6] Ibid. 16. — [7] Ibid. 15.

» turæ[1], » per illa verba : « Quoniam ex plenitudine ejus nos » omnes accepimus[2]. » Ob hanc enim causam inquit : « Ante » me factus est, quoniam prior me erat[3], » et ob hanc causam intelligo eum priorem me existere, et apud Patrem honorabiliorem esse, quoniam ex ejus plenitudine, tum ego, tum Prophetæ qui me antecesserunt, sumpserimus; nempe gratiam diviniorem, et majorem, et propheticam, pro ea gratia quæ secundum electionem nostram recepta est : ob hanc autem causam « ante me *etiam* factus est, quoniam » prior me erat, » quia ex plenitudine ejus cum hausissemus, intelleximus etiam Legem per Mosen, non a Mose, datam fuisse ; gratiam vero et veritatem per Jesum Christum non solum datam, sed etiam factam fuisse[4] : nempe Deo et Patre ipsius, tum Legem per Mosen dante, tum veritatem et gratiam per Jesum Christum faciente; gratiam autem et veritatem per Jesum Christum faciente, quæ homines prævenit. Candidius enim et simplicius interpretantes ea verba: « Gra» tia et veritas per Jesum Christum facta est[5], » non discruciabimur perinde quasi contraria his sit illud : « Ego » sum via, veritas, et vita[6] : » nam si Jesus est, qui dicit : « Ego sum veritas, » qui fieri potest ut veritas per Jesum fiat, cum aliquis per seipsum non fiat? Sed intelligendum est quod αὐτοαλήθεια, ea quæ est per se veritas, ipsa illa quæ est substantialis, et, ut ita dicam, primum exemplar illius veritatis quæ in animabus inest rationis capacibus, a qua veritate, veluti imagines illius impressæ fuere spectantibus veritatem, non per Jesum Christum facta est, neque omnino per aliquem, sed a Deo. Quemadmodum enim neque Sermo ille, qui in principio erat apud Deum, non est per aliquem[7] : neque Sapientia illa, quam creavit initio viarum suarum Deus[8], non est per aliquem : sic neque Veritas illa

[1] Coloss. I, 15. — [2] Joan. I, 16. — [3] Ibid. 15. — [4] Ibid. 17. — [5] Ibid.— [6] Id. XIV, 6. — [7] Id. I, 2. — [8] Prov. VIII, 22.

est per aliquem. Verum quæ apud homines est veritas, per Jesum Christum facta est : verbi gratia, veritas quæ in Paulo inest cæterisque Apostolis, per Jesum Christum facta est. Nec mirum est si, veritas cum sit una, multas quasi veritates ab illa dicamus diffluere. Vidit enim David ille propheta multas veritates, dicens : « Veritates exquiret Domi-» nus [1]. » Non enim unam exquirit veritatem veritatis ipsius Pater, sed multas, per quas servantur qui eas habent. Simile vero quiddam huic orationi de veritate et veritatibus dictum invenimus, de justitia et justitiis. Ipsa enim justitia, quæ ex se est et substantialis, Christus est, « qui factus est » nobis sapientia a Deo, justitiaque, et sanctificatio, et re-» demptio [2] » [perfecta]. Ab illa autem justitia ea justitia formatur quæ in unoquoque inest, ita ut in his qui servantur multæ fiant justitiæ : hanc ob causam etiam scriptum est : « Justus Dominus, et justitias dilexit [3] : » sic enim in veris exemplaribus et cæteris traditionibus juxta Septuaginta, et ipso Hebraïco invenimus. Inspice vero num isto modo alia quoque, quæ Christus esse dicitur singulariter, pro proportione multiplicata, plurium numero efferri possint : verbi gratia, Christus est vita nostra, quemadmodum Servator ipse inquit : « Ego sum via, veritas, et vita [4] ; » et Apostolus : « Quandocumque Christus manifestatus fuerit » vita nostra, tunc et vos cum illo manifestabimini in glo-» ria [5]. » Rursus in Psalmis scriptum : « Melior misericordia » tua super vitas [6]. » Nam quia Christus in unoquoque inest vita, ideo multiplicantur vitæ ; fortassis isto modo et illud inquirendum : « Num experimentum quæritis ejus qui in » me loquitur Christus [7] ? » Ferme enim in unoquoque sancto Christus invenitur, et fiunt per unum Christum multi Christi, illius imitatores, et transformati ad illius similitu-

[1] Psal. xxx, 23. — [2] 1 Cor. i, 30. — [3] Psalm. x, 8. — [4] Joan. xiv, 6. — [5] Coloss. iii, 4. — [6] Psalm. lxii, 4. — [7] 2 Cor. xiii, 3.

dinem, qui est imago Dei : unde per Prophetam inquit Deus : « Ne tetigeritis Christos meos [1]. » Quod igitur in enarrando visi sumus præteriisse, nempe : « Gratia et veritas per » Jesum Christum facta est [2], » obiter nunc explicuimus ; insuper ostendentes Joannis Baptistæ hanc esse vocem, adhuc etiam per hæc verba testimonium reddentis Filio Dei.

Jam ergo videamus secundum Joannis testimonium. E Hierosolymis Judæi, ceu affines Baptistæ, qui ex genere sacerdotali erat, sacerdotes mittunt et levitas interrogaturos quis tandem esset Joannes [3]. At ille dicens : « Non sum » ego Christus [4], » veritatis confessionem edidit ; nec, ut aliquis suspicari posset, per hæc verba : « Non sum ego Christus, » negavit : neque enim negatio est, ad Christi gloriam dicere se non esse Christum. Cæterum cum audissent qui missi fuerant e Hierosolymorum urbe sacerdotes et levitæ, ipsum non esse Christum expectatum, de secundo qui sperabatur (nempe Elia), cujus nomen magni apud ipsos fiebat, percunctantur num ipse ille esset. Quo dicente se non esse Eliam, rursus dicendo, « Non sum [5], » fatetur verum. Quoniam vero Prophetæ multi cum essent in Israël, unus quispiam præcipue expectabatur prophetatus a Mose, juxta verbum illud dicens : « Prophetam vobis suscitabit Do» minus Deus noster ex fratribus vestris, sicut me : ipsum » audite : et omnis anima quæ non audierit Prophetam il» lum, ex populo suo exterminabitur [6], » tertio interrogant, non si propheta esset, sed an Propheta ille. Et hoc non ponentibus illis nomen de Christo, sed alterum esse ipsum præter Christum existimantibus ; ipse cognoscens illum, cujus præcursor est (nempe quod Christus est, quod Propheta est ille prophetatus), respondet, *Non* [7] : responsurus fortasse, *Næ* (quæ vox est assentientis), si absque articulo

[1] 1 Paralip. XVI, 22, et Psalm. CIV, 15. — [2] Joan. I, 17. — [3] Ibid. 19. — [4] Ibid. 20. — [5] Ibid. 21. — [6] Deut. XVIII, 18, 19. — [7] Joan. I, 21.

interrogassent; cum non ignoraret se prophetam existere. In omnibus his etiam responsionibus secundum Joannis testimonium non absolutum fuit, donec petentibus responsionem renuntiandam his qui eos miserant[1], seipsum e voce prophetica Esaiæ manifestavit, quæ sic sese habet : « Vox » clamantis in deserto : Parate viam Domini[2]. »

Quæsitu autem dignum est, utrum absolutum sit secundum testimonium, et tertium incipiat ad eos qui miserant ex Pharisæis, et volentes intelligere cur tandem baptizaret[3], cum neque Christus, neque Elias, neque Propheta existeret, in illis verbis : « Ego baptizo in aqua : sed in » medio vestrum stat, quem vos nescitis. Ipse est qui, » post me veniens, ante me factus est; cujus non sum ego » dignus ut solvam corrigiam ejus calceamenti[4]; » an pars secundi testimonii sit responsio ad Pharisæos. Verum ego, quantum conjectare ex lectione valeo, dicturus sum tertium testimonium esse responsionem ad eos qui missi fuerant ex Pharisæis. Observandum insuper quod primum testimonium divinitatem Servatoris demonstrat : alterum suspicionem ambigentium num forte Joannes esset Christus, purgat : tertium invisibiliter hominibus præsentem prædicat illico venturum. Verum ante testimonia sequentia, ex quibus qui demonstratur testimonium accipit, videamus singulas dictiones secundi et tertii testimonii : hoc primum observantes, duas legationes fieri ad Baptistam, alteram « e Hiero- » solymis *a Judæis mittentibus* sacerdotes et levitas, ut » interrogarent eum : Tu quis es[5]? » alteram a Pharisæis mittentibus, atque præter factam responsionem sacerdotibus et levitis, dubia moventibus[6]. Observa ergo, quomodo propter personam sacratam, et leviticam, cum mansuetudine atque discendi aviditate dicuntur ea verba : « Tu

[1] Joan. I, 22. — [2] Isai. XL, 3. Joan. I, 23. — [3] Ibid. 25. — [4] Ibid. 26, 27. — [5] Ibid. 19. — [6] Ibid. 24.

» qui es? » et illud : « Quid ergo? Elias es tu? » et illud : « Num Propheta ille es tu? » *et ad hæc :* « Quis es, ut responsum demus his qui miserunt nos? quid dicis de te » ipso[1]? » Neque enim quidquam præfractum temerariumve inest in horum interrogatione, sed omnia convenientia veris Dei cultoribus. Cum contra qui missi fuerant a Pharisæis, levitis alioqui et sacerdotibus, minime anxie disquirentibus ea quæ dicta fuerant, vocibus veluti contumeliosis et inhumanioribus cum Baptista agunt, per illud : « Quid » ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque » ille Propheta[2]? » Et fere non intelligere volentes, veluti prædicti levitæ et sacerdotes, hi mittunt, sed prohibere volentes a baptizando; cum fortassis existimarent ad nullum alium pertinere baptizare, quam ad Christum, vel ad Eliam, vel ad Prophetam. Jam qui accurate Scripturam legere voluerit, diligentiam is adhibeat oportet, observare necessarium cum sit quæ dicuntur, a quibus, et quando dicuntur : ut per totos sanctos libros inveniamus personis apte tributum sermonem.

« Tunc miserunt Judæi ab Hierosolymis sacerdotes et » levitas, ut interrogarent eum : Tu quis es? Et confessus » est, et non negavit; et confessus est : Non sum ego ille » Christus[3]. » Quos mittere legatos ad Joannem Judæi debebant, et unde, nisi eos qui præcellere existimabantur, et a Hierosolymorum loco super omnem terram bonam celebrato, ubi templum erat Dei? Joannem itaque tanto cum honore interrogant. De Christo vero nihil tale Judæos fecisse scriptum est. Sed quod Judæi erga Joannem faciunt, isthuc Joannes erga Christum fecit, per suos discipulos interrogans : « Tu es qui venturus es, an alium expectamus[4]? » Et Joannes quidem ad eos qui venerant confessus cum fuisset, et non negasset, subinde illud : « Ego vox clamantis

[1] Joan. I, 21, 22. — [2] Ibid. 25. — [3] Ibid. 19, 20. — [4] Matth. XI, 3.

» in deserto[1], » enuntiat : Christus vero, tanquam qui majus testimonium quam Joannes haberet, responsionem facit sermonibus et operibus dicens : « Ite, et renuntiate Joanni » quæ auditis et videtis : cæci visum recipiunt, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, pauperes læ» tum accipiunt Evangelii nuntium[2]; » de quibus commodius, Deo dante, in suis disputabimus locis. Fortasse autem non sine causa quis instaret, cur tandem sacerdotibus et levitis interrogantibus Joannem, non si ipse esset Christus, sed, « Tu quis es? » respondet Baptista non id quod par erat ad illud, « Tu quis es? Ego vox clamantis in deserto[3], » sed quod apte dictum fuisset si interrogassent, Tu es Christus? Conveniebat enim ad illud : Es tu ille Christus? illud : « Ego » non sum Christus[4]; » ad illud vero : « Tu quis es? Ego vox » clamantis in deserto[5]. » Dicendum vero ad hoc, quod ex interrogatione videbat Joannes (ut probabile erat) timiditatem levitarum et sacerdotum præ se ferentium quidem suspicionem opinionis num forte is qui baptizat esset Christus, sed apertius illud nominare, ne viderentur petulantes, caventium. Unde jure, ut in primis omnem ipsorum suspicionem tolleret, quam de seipso falsam habebant, deinde sic ostenderet veritatem, ante omnia enuntiat illud : « Non » sum ego Christus[6]. » Declarat autem tale quiddam suspicatos eos fuisse secunda, atque etiam tertia interrogatio. Eliam enim cum venturum sperarent, atque plurimi facerent, eum esse suspicantes honore ipsi Christo proximum, atque secundum, enuntiante Joanne se non esse Christum, interrogant : « Quid ergo? Elias es tu? Et dixit : Non sum[7] : » tertio num ipse esset ille Propheta scire volunt; quo respondente, *Non,* cum non amplius possent dicere privatim nomen alicujus qui ad se accessurus speraretur, inquiunt : « Quis

[1] Joan. I, 23. — [2] Matth. XI, 4, 5. — [3] Joan. I, 19, 23. — [4] Ibid. 20. — [5] Ibid. 19, 23. — [6] Ibid. 20. — [7] Ibid. 21.

» es? ut responsum demus his qui miserunt nos; quid dicis » de teipso[1]? » hoc innuentes : Hæc quidem non es quæ Israëli ſutura expectantur; qualis autem sis, qui baptizas, nescimus : quare isthuc nos doceto, ut possimus renuntiare his qui hanc ob causam nos ad te miserunt. Rursus vero etiam hoc his quæ proposita sunt proximum addemus, videlicet quod tempus adventus Christi commoverat populum : quod quidem tempus jam aliquo modo instabat circa annos qui erant ab ortu Jesu, et paulo superius usque ad demonstrationem prædicationis. Quocirca Scribis et Legis peritis, ut probabile erat, jam expectantibus eum qui sperabatur, quia tempus illius e divinis Scripturis collegerant, tumultuatus est Theudas non parva multitudine congregata[2], tanquam, opinor, Christus esset, «et post illum Judas » Galilæus in diebus professionis. » Consentaneum ergo est, cum Christi adventus ferventius expectaretur, divulgaretur-que, Judæos ab Hierosolymis sacerdotes et levitas misisse ad Joannem, per illud : « Tu quis es[3]? » discere volentes num fateretur seipsum esse Christum.

« Et interrogaverunt eum : Quid ergo? Elias es tu? Et » dicit : Non sum[4]. » Verum enimvero quis audiens Jesum dicentem de Joanne : « Si vultis accipere, ipse est Elias, qui » venturus est[5], » non quæsiturus sit quonam pacto ad interrogantes : « Elias es tu[6]? » dicat Joannes : « Non sum; » atque etiam quomodo opus sit intelligere Joannem esse Eliam venturum, juxta id quod a Malachia est dictum, sic habens : « Et ecce ego mitto vobis Eliam Thesbiten, ante-» quam veniat dies Domini magna et manifesta, qui resti-» tuet cor patris erga filium, et cor hominis erga proximum » suum, ne veniam et percutiam terram funditus[7]? » Quin Angeli oratio ad Zachariam stantis a dextris altaris incensi,

[1] Joan. I, 22. — [2] Act. V, 36, 37. — [3] Joan. I, 19. — [4] Ibidem, 21. — [5] Matth. XI, 14. — [6] Joan. I, 21. — [7] Malach. IV, 5, 6.

quem ipse etiam Zacharias conspexit, simile quiddam his quæ dixit Malachias, per hæc verba ostendit : « Et uxor tua » Elisabeth pariet tibi filium, et vocabis nomen ejus Joan- » nem [1] : » et post pauca : « Ipse præcedet coram ipso cum » spiritu, et virtute Eliæ, ut convertat corda patrum ad fi- » lios, et contumaces ad prudentiam justorum, ut præparet » Domino populum instructum. » Ad primum igitur aliquis dicet Joannem ignorasse seipsum esse Eliam : et fortassis hac ratione usuri sunt qui favent opinioni eorum qui ponunt (μετενσωμάτωσιν, hoc est) transcorporationem : perinde quasi anima subinde induat corpora, prorsus immemor anteactæ vitæ. Sed et hi ipsi dicturi sunt aliquos ex Judæis huic dogmati assentientes de Servatore dixisse eum fortassis unum quempiam esse ex veteribus Prophetis, qui resurrexisset non ex monumentis, sed ab ortu [2]. Qui fieri enim poterat ut palam cum innotuisset Mariam ipsius esse matrem, putareturque Joseph faber illi pater esse, existimarent eum unum quemdam ex Prophetis existere a mortuis resuscitatum [3] ? Quinetiam illo testimonio Geneseos hi utentes : « De- » lebo universam resurrectionem [4], » statuent in certamine virum ab hoc dogmate stantem, gnarum solvendi e Scripturis divinis fallaces probabilitates adductas. Cæterum alius Ecclesiasticus orationem eam, quæ astruat transcorporationem, veluti falsam respuens, nec admittens Joannis animam aliquando Eliam fuisse, prædicta oratione Angeli usurus est, qui non nominaverit Eliæ animam in ortu Joannis, sed spiritum, et virtutem, per hæc verba : « Et ipse præce- » det coram ipso cum spiritu, et virtute Eliæ, ut corda pa- » trum ad filios convertat [5], » infinitis Scripturarum locis ostendere valens, aliud esse spiritum et id quod nominatur virtus spiritus, aliud esse animam : de quibus tempestivum

[1] Luc. I, 13, 17. — [2] Matth. XVI, 14. — [3] Idem, XIII, 55. — [4] Genes. VII, 4. — [5] Luc. I, 17.

non est nunc multa in medium afferre, ne in immensum orationem protrahamus. Satis magnam vim habebit nunc ad persuadendum quidem virtutem differre a spiritu, illud : « Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi[1] ; » ad ostendendum vero eos spiritus qui sunt in prophetis (ut qui illis a Deo donati sint) veluti illorum mancipia esse, istud : « Spiritus prophetarum prophetis subjiciuntur[2], » et illud : « Requievit spiritus Eliæ super Elisæum[3]. » Isto enim modo nihil absurdi erit, inquiet, ut Joannes convertens in spiritu, et virtute Eliæ corda patrum ad filios[4], dicatur propter hunc spiritum, « Elias, qui venturus est[5] ; » ad quorum confirmationem etiam hac ratione utetur : Si universorum Deus familiaris factus sanctis, Deus ipsorum fit, sic nominatus Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob[6], quanto magis Spiritus sanctus familiaris factus prophetis, spiritus ipsorum haberi poterit, ut hunc in modum spiritus dicatur, spiritus Eliæ, et spiritus Esaiæ ?....

. « Es tu[7] Propheta ille ? et respondit : Non[8]. » Si « Lex et Prophetæ usque ad Joannem[9], » quid aliud diceremus Joannem esse, quam prophetam ? quemadmodum pater ejus Zacharias plenus Spiritu sancto prophetans inquit : « Et tu, puer, propheta Altissimi vocaberis : præibis enim ante faciem Domini, ad præparandum vias ejus[10] ; » nisi forte quis sumat vocem *vocaberis* non esse dictam pro eo quod est, eris, idque potissimum quod Servator dixerit eis qui existimabant eum esse Prophetam : « Sed quid existis ad videndum ? Prophetam ? Etiam dico vobis, et plus quam prophetam[11]. » Observandum autem quod ea verba, *Etiam dico vobis,* ponant Joannem esse prophetam, nec auferant eum prophetam esse. Quod si, præterquam quod

[1] Luc. I, 35. — [2] 1 Corinth. XIV, 32. — [3] 4 Reg. II, 15. — [4] Luc. I, 17. — [5] Matth. XI, 14. — [6] Exod. III, 6, 15, 16, et IV, 5.

[7] N. 8-11. p. 116-120.

[8] Joan. I, 21. — [9] Luc. XVI, 16. — [10] Id. I. 76. — [11] Matth. XI, 9.

est propheta, etiam major quam propheta a Servatore dicitur, quomodo ergo, si propheta est, sacerdotibus ac levitis interrogantibus : « Propheta es tu [1] ? » respondit : *Non?* Dicendum autem ad hoc, non idem esse : « Propheta es tu » ille ? » [cum articulo], et : « Es tu propheta ? [sine articulo.] Similia observavimus ante, quid differat, ille Deus [cum articulo], et Deus [sine articulo], et ille Sermo, et Sermo. Quoniam ergo in Deuteronomio scriptum est : « Prophetam » vobis suscitabit Dominus Deus vester de fratribus ves» tris mei similem, ipsum audietis. Futurum est autem, ut » omnis anima quæ non audierit Prophetam illum, exter» minetur e populo suo [2], » expectabatur quispiam eximie Propheta, qui simile quid Mosi habens mediatorem ageret inter Deum et homines, et acceptum a Deo testamentum novum discipulis traderet : atque in singulis Prophetis agnoverat populus Israël neminem eorum hunc extitisse qui a Mose prophetatus fuerat. Ut ergo de Joanne ambigebant, num forte ipse esset Christus, sic etiam, num esset ille Propheta. Nec mirum si ambigentes de Joanne, an forte ipse esset Christus, diligenter non investigarunt an ipse esset Christus et ille Propheta. Sequitur enim ut qui hac de re sic interrogant, ignorent etiam quod ipse, qui sit Christus, sit etiam ille Propheta. Latuit autem multos ea differentia quæ est inter Prophetam illum, cum articulo, et prophetam, absque articulo; veluti etiam Heracleonem, qui hisce dictionibus inquit : « *Sic igitur Joannes fassus est se Chri*» *stum non esse, neque Prophetam, neque Eliam :* » opus cum alioqui fuisset hunc locum sic interpretantem perscrutari, vera necne Joannes narret dicens se neque Prophetam neque Eliam esse. Verum cum loca hæc non considerasset ille in commentariis quæ reliquit, talia sine ulla examinatione præteriit, quædam admodum paucula, eaque indili-

[1] Joan, I, 21. — [2] Deut. XVIII, 15, 18, 19. Act. III, 22, 23.

genter examinata in sequentibus dicens, de quibus mox dicturi sumus.

« Dixerunt ergo ei : Quis es? ut responsum demus his » qui miserunt nos : quid dicis de te ipso[1]? » Illud quod dicunt hi qui missi fuerant, hoc valet : Adveneramus discendi gratia quod rebamur te esse, et agnovimus te non esse talem; restat post hæc, ut abs te audiamus quis sis, ut renuntiemus his qui miserunt nos responsum tuum de te.

« Ego vox clamantis in deserto : Dirigite viam Domini, » sicut dixit Esaias propheta[2]. » Ut ille qui proprie Filius est Dei, non alius a Sermone cum sit, sermone utitur (ipse enim in principio Sermo ille erat[3], et ille λόγος, Deus apud Deum); sic Joannes, minister illius Sermonis (si proprie Scripturam intelligamus), non alius cum sit a voce, voce utitur ostendente Sermonem. Qui etiam cum intellexisset prophetiam de se apud Esaiam dictam fuisse, vocem se esse inquit; nec vocem clamantem in deserto, sed vocem « clamantis in deserto, » nempe illius qui « stabat et clamabat : » Si quis sitit, veniat ad me, et bibat[4]; » dicendo et illud : « Dirigite viam Domini, rectas facite semitas ejus. Omnis » vallis implebitur, et omnis mons et collis reddetur humilis, » et erunt omnia obliqua in viam rectam[5]. » Ut enim scriptum est in Exodo Mosi a Deo dici : « Ecce dedi te Deum Pharaoni, » et Aaron frater tuus erit tuus propheta[6]; » sic intelligendum est in his rationem quamdam et analogiam esse Joannis ad Sermonem Deum, qui est in principio[7], etiamsi undequaque similitudo non quadret. Vox enim demonstrans et ob oculos ponens Sermonem illum, Joannes erat..... Illud etiam egregie, quod non ait se vocem dicentis in deserto, sed « clamantis in deserto[8] : » etenim qui clamat : « Dirigite » viam Domini, » etiam dicit; sed contingit ut quispiam non

[1] Joan. I, 22. — [2] Ibid. 23.— [3] Ib. I. — [4] Id. VII, 37.— [5] Luc. III, 4, 5. — [6] Exod. VII, 1. — [7] Joan. I, 1.— [8] Ibid. 23.

clamans, hoc ipsum etiam dicat. Clamat vero, et vociferatur, ut et qui sunt procul a dicente audiant, et qui ad audiendum sunt tardi, rerum quæ dicuntur magnitudinem intelligant: voce pronuntiata cum magnitudine opem ferens tum his qui a Deo recesserint, tum his qui auditus acuitatem perdiderint. Hanc ob causam enim « stabat *etiam* Jesus, et clamabat dicens : Si quis sitit, veniat ad me, et bibat [1]. » Hanc ob causam « Joannes *etiam* testificatur de eo, et clamat dicens [2]. » Hanc ob causam jubet Esaiam Deus clamare in voce « dicentis : Clama [3] ; » cui respondet Esaias: « Quid clamabo? » At vox precantium, quæ intelligentia percipitur, quamvis magna, neque prolixa omnino fuerit, neque adauxerint illi clamorem ac vociferationem, audit tamen hunc in modum precantes Deus, Mosi dicens : « Quid ad me clamas [4] ? » qui sensibiliter non clamaverat; neque enim scriptum est in Exodo, Mosen sensibiliter clamasse, cum per precationem ea voce valde clamasset, quam solus Deus audit. Hanc ob causam David etiam inquit : « Voce mea ad Dominum clamavi, et exaudivit me [5]. » Opus est autem voce clamantis in deserto, ubi anima etiam Deo atque veritate destituta (quodnam enim aliud desertum asperius, quam anima quæ Deo atque omni virtute sit destituta?) eo quod adhuc oblique ambulet egens doctrina, invitetur ad dirigendam Domini viam; quam quidem viam ille dirigit quidem qui nequaquam serpentis iter tortuosum imitatur, pervertit vero qui huic est contrarius. Quamobrem cum similibus hujusmodi vir objurgatur per illud : « Quare pervertitis vias Domini rectas [6] ? »

Cæterum bifariam via Domini dirigitur, primum propter contemplationem, quæ manifestatur in veritate, absque ulla permixtione mendacii ; deinde propter actionem, si quis,

[1] Joan. VII, 37. — [2] Idem, I, 15. — [3] Isai. XL, 6. — [4] Exod. XIV, 15. — [5] Psal. LXXVI, 2. — [6] Act. XIII, 10.

cum probe perviderit quid agendum, actionem convenientem rationi rectæ suggerenti agenda, in opus produxerit. Ut accuratius vero intelligamus illud : « Dirigite viam Do» mini[1], » opportunum erit citare quod in Proverbiorum libro est dictum : « Ne declinaveris, neque ad dexteram ne» que ad sinistram[2]. » Qui enim in utramlibet inclinat, is amisit illud dirigere, factus non amplius cura et consideratione dignus, quando transgressus fuerit itineris rectitudinem. « Quoniam *enim* justus Dominus, et justitias dilexit, » et rectitudines vidit vultus ejus[3], » illud quod videt illuminat. Hanc ob causam, qui est in consideratione et tutela, utilitatem ex hac cura et protectione capiens, inquit : « Sig» natum est super nos lumen vultus tui, Domine[4]. » Itaque stemus in viis, juxta Jeremiæ dicta[5], et videntes interrogemus semitas Domini sempiternas : et videamus quænam sit via bona, et ambulemus in ea : perinque atque Apostoli, qui steterunt, et interrogarunt semitas Domini sempiternas, nempe Patriarchas et Prophetas, quorum litteras cum interrogassent, postea ipsos intelligendo, viderunt viam bonam, nempe Jesum dicentem : « Ego sum via[6], » et ambulaverunt in ea. Bona enim via est quæ ad Patrem ducit bonum hominem de thesauro suo proferentem bona, et bonum servum, et fidelem[7]. Cæterum hæc quidem via angusta est vulgaribus, et alioqui carnis amantibus, qui iter per eam facere non possunt; sed eadem etiam pressa, et trita est ab his qui vim faciunt ut per eam eant : quoniam non est dicta premens, sed pressa. Nam qui non solverit calceamenta pedum suorum, neque sincere admiserit quod locus in quo stat, vel etiam per quem ambulat, terra sancta est, is premit viventem viam et sentientem proprietates fa-

[1] Joan. I, 23. — [2] Prov. IV, 27. — [3] Psal. X, 8. — [4] Psal. IV, 7. — [5] Jer. VI, 16. — [6] Joan. XIV, 6. — [7] Matth. XII, 35. — [8] Id. XXV, 21, 23. — [9] Id. VII, 13, 14. — [10] Exod. III, 5.

cientis iter. Ducet præterea hæc via ad eum qui, vita cum sit, dixit : « Ego sum vita [1]. » Servator namque, in quo universa est virtus, variis modis potest intelligi et significari. Hinc illi qui ad finem nondum pervenerit, sed adhuc progreditur ac proficit, est via; illi vero qui omnem mortalitatem deposuerit, vita. Per hanc viam qui ambulat, docetur nihil in illam tollere, quia ipsa panes habet et quæ ad vitam pertinent; ne virga quidem egens, quod nihil in illa possint hostes; sed neque calceis, quia sancta sit [2].

« Et [3] qui missi fuerant erant ex Pharisæis. Et interroga- » verunt eum, ac dixerunt ei : Quid ergo baptizas, si tu non » es Christus ille, neque Elias, neque Propheta ille [4] ? » Qui quidem ab Hierosolymis sacerdotes et levitas interrogaturos Joannem miserant, cum didicissent quis esset vel non esset ipse Joannes, decentissime quiescunt [5] : veluti silentio faventes, et demonstrantes se admittere quæ audissent, quod baptizare conveniat voci clamantis in deserto ad dirigendam viam Domini. Contra vero Pharisæi (ut qui juxta nomen suum divisi quidam et seditiosi essent) se eadem non sentire demonstrant cum Judæis existentibus in urbe metropoli, et cum ministris cultus divini, ac sacerdotibus et levitis : mittendo qui veluti increpantes ac prohibentes, quantum in ipsis esset, baptizare, interrogarent : « Quid ergo » baptizas, si tu non es ille Christus, neque Elias, neque Pro- » pheta ille ? » Et fortasse si unum in corpus connectamus quæ in Evangeliis sunt scripta, dicturi sumus nunc quidem eos hæc dixisse, deinde vero nescio quo modo eos, cum se baptismo dedissent, a Joanne audisse illud : « Progenies vi- » perarum, quis vos docuit fugere a ventura ira? Facite » igitur fructum dignum pœnitentiæ [6]. » Hæc enim apud Mat-

[1] Joan. xiv, 6. — [2] Matth. x, 10.
[3] N. 13. p. 125 et seqq.
[4] Joan. i, 24, 25. — [5] Ibid. 19 — [6] Matth. iii, 7, 8.

thæum dicta sunt a Baptista, cum vidisset multos Pharisæorum et Sadducæorum venientes ad baptisma; cum videlicet pœnitentiæ fructus non haberent, atque pharisaice apud seipsos gloriarentur de Abraham tanquam patre : quocirca sævius objurgantur a Joanne zelum Eliæ habente juxta communicationem Spiritus sancti. Objurgativa enim oratio est illa, quæ inquit : « Ne cogitetis dicere apud vos ipsos : » Patrem habemus Abraham [1]; » didascalica autem illa, quod infideles (ob cor lapideum lapides dicti) immutari possint virtute Dei, ex lapidibus in liberos Abrahæ, quoniam erant in oculis Prophetæ, non fugientes illius divinum obtutum. Quam ob causam illud ab ipso dicitur : « Dico » vobis posse Deum e lapidibus istis suscitare liberos Abra- » hæ[2]. » Et quoniam cum non fecissent fructum pœnitentia dignum, veniunt ad baptisma, convenientissime ipsis illud dicitur : « Jam vero et securis ad radicem arborum posita » est. Omnis igitur arbor non faciens fructum bonum, ex- » ciditur, et in ignem conjicitur[3]; » veluti ipsis aperte dicens : Quoniam venistis ad baptismum, cum non feceritis fructum pœnitentiæ, arbor estis non faciens fructum bonum, excidenda ab acutissima et validissima securi, nempe a Sermone vivente, et efficaci, qui penetrantior est quovis gladio utrinque incidente[4]. Cæterum Pharisæorum de se prædicationem produxit Lucas in medium, per illud : « Duo homi- » nes ascenderunt in templum, ut precarentur : unus Pha- » risæus, et alter Publicanus. Pharisæus stans hæc apud » se orabat : Deus, gratias ago tibi quod non sum quales » cæteri homines, raptores, injusti, adulteri, qualis etiam » hic Publicanus[5]. » Quando propter hæc verba Publicanus « domum suam descendit justificatus magis quam ille[6], » additur etiam, omnem exaltantem se humiliari. Ut hypo-

[1] Matth. III, 9. — [2] Ibid. — [3] Ib. 10. — [4] Hebr. IV, 12. — [5] Luc. XVIII, 10, 11. — [6] Ibid. 14.

critæ igitur (juxta Servatoris ad ipsos objurgatoria verba) veniunt ad baptisma, non latentes baptizantem quod adhuc haberent viperarum et aspidum venenum sub labiis suis : « Venenum *enim, inquit,* aspidum sub labiis eorum[1]. » Cumque vere venenum haberent, ut venenum serpentis, id etiam expresserunt per hanc amaram interrogationem : « Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, » neque Propheta ille? » Quibus ego dicere possem, tanquam Christo, atque Elia propheta baptizantibus, cum vox clamantis in eremo hanc facultatem non acceperit : Inhumaniter, o boni, interrogatis missum nuntium ante faciem Christi ad præparandum viam ejus coram ipso[3], universa ipsius qui ad hunc locum attinet, ignorantes mysteria; nam is cum sit Christus (vel si nolitis) et ille Propheta, ipse non baptizavit, sed discipuli ejus. Proinde undenam vobis persuasum est Eliam venturum ad baptizandum, qui neque ligna altari superposita tempore Achab, eaque egentia balneo, ut comburerentur (cum apparuisset per ignem Dominus) baptizaverit? Jubet enim sacerdotibus ut isthuc facerent, nec id tantum semel, nam dicit : « Denuo id facite; » cumque denuo id fecissent, Tertio, inquit, id facite; et » tertio id fecerunt[4]. » Cum ergo ipse tum non baptizarit, sed aliis cesserit hanc provinciam, quomodo cum accesserit, juxta Malachiæ vaticinium, baptizaturus est[5]? Igitur Christus in aqua non baptizat, sed discipuli ejus : sibi ipsi reservans baptismum in Spiritu sancto, et igni[6].......

Quoniam[7] vero necessarium nobis esse videtur in medium afferre Evangeliorum verba similia huic contextui quem in manibus habemus (et hoc singulatim ad finem usque est faciendum, quo quæ discrepantiam habere videntur con-

[1] Psalm. XIII, 3. — [2] Joan. I, 25. — [3] Marc. I, 2. — [4] 3 Reg. XVIII, 34, 38. — [5] Malach. IV, 5. — [6] Matth. III, 11. Luc. III, 16.
[5] N. 14-17. p. 125-133.

sona ostendantur, atque item ut explanentur quæ veluti singulare quidpiam privatim habent), age id etiam hoc loco faciamus. Illud enim : « Vox clamantis in deserto : Dirigite » viam Domini [1], » apud discipulum Joannem ex persona Baptistæ dicitur; apud Marcum vero [2] tanquam principium Evangelii Jesu Christi ex Esaiæ voce hunc in modum est scriptum : « Initium Evangelii Jesu Christi, prout scriptum » est in Esaia propheta : Ecce ego mitto Angelum meum » ante faciem tuam, qui præparaturus est viam tuam ante te[3]. » Vox clamantis in deserto : Parate viam Domini, rectas fa» cite semitas ejus [4]. » Cæterum non ponitur in Propheta : « Dirigite viam Domini [5], » quod citavit Joannes. Proinde vide ne forte Joannes decurtans illud : « Parate viam Domi» ni, rectas facite semitas Dei nostri [6], » scripserit : « Dirigite » viam Domini : » quæ verba Marcus, duas prophetias duobus in locis dictas a duobus Prophetis, in unum colligens, posuit : « Prout scriptum est in Esaia propheta : Ecce ego » mitto nuntium meum ante faciem tuam, qui præparabit » viam tuam ante te. Vox clamantis in deserto : Parate viam » Domini, rectas facite semitas ejus [7]. » Illud enim : « Vox » clamantis in deserto [8], » mox scriptum est post historiam narrantem Ezechiam ex morbo convaluisse; illud autem : « Ecce ego mitto nuntium meum ante faciem tuam [9], » a Malachia. Quod autem scripsit Joannes abbrevians textum a se citatum, id Marcus etiam ipse in alia dictione repræsentavit; quandoquidem, dicente Propheta : « Parate viam » Domini, rectas facite semitas Dei nostri [10], » scripserit ipse: « Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus [11]. » Idem fecit etiam in illis verbis : « Ecce ego mitto Angelum meum » ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te [12] : »

[1] Joan. I, 23. — [2] Marc. I, 1, 2, 3. — [3] Malach. III, 1. — [4] Isai. XL, 3. — [5] Joan. I, 23. — [6] Isai. XL, 3. — [7] Marc. I, 2, 3. — [8] Isai. XL, 3. — [9] Malach. III, 1. — [10] Isai. XL, 3. — [11] Marc. I, 3. — [12] Malach. III, 1.

addens *ante te,* quod positum non fuerat a Propheta. Insuper diligentiam adhibentes in illud : « Et qui missi fuerant » erant ex Pharisæis, et interrogaverunt eum [1], » nos præposuimus Pharisæorum interrogationem (quod Matthæus eam tacuerit) his quæ scripta sunt facta fuisse apud Matthæum dicentem quod, intuitus Joannes multos Pharisæorum et Sadducæorum venientes ad baptisma, dixerit illis : « Progenies viperarum [2], » et quæ sequuntur, consequens cum sit primum eos interrogasse, tum vero advenisse. Hoc etiam obiter observandum est, quod exeuntibus tum Hierosolyma [3], tum tota Judæa, tum vero tota regione fluvio Jordani circumjecta, sua ipsorum peccata confitentibus, Matthæo nullum dicente eos verbum a Baptista audisse objurgatorium et asperum, sed solos Pharisæos et Sadducæos, eosque multos, cum venirent, conspectos audisse illud : « Progenies viperarum, » et quæ sequuntur; Marcum consequenter, quia non nominarit Pharisæos neque Sadducæos, nullum objurgatiorum verbum narrare dictum fuisse a Joanne his qui ad se venerunt, cum accessissent ad eum tota Judæa, ac Hierosolymitæ omnes, et baptizarentur ab eo in Jordane, confitentes peccata sua [4]. Quin et hoc necessario addamus oportet, nempe utrosque, Matthæum videlicet et Marcum [5], dicere, totam Hierosolymam, totamque Judæam, ac omnem circumjectam Jordanis regionem, vel totam Judæam regionem et Hierosolymitas omnes confiteri peccata sua; sed cum Matthæus induxerit venientes ad baptisma Pharisæos et Sadducæos [6], non tamen confitentes peccata sua probabile esse atque rationi consentaneum ut hanc ob causam audierint : « Progenies viperarum [7]. » Cæterum ne nos existimes importune quæ quatuor Evangelistæ dixerunt contulisse, inquirentes quæ pertinent ad eos qui missi

[1] Joan. I, 24, 25. — [2] Matth. III, 7. — [3] Ibidem, 5. — [4] Marc. I, 5. — [5] Matth. III, 5, 6. Marc. I, 5. — [6] Matth. III, 7. — [7] Ibid.

fuerant ex Pharisæis et interrogaverunt Joannem[1]; nam si bene adaptavimus Pharisæorum interrogationem scriptam apud discipulum Joannem, baptismo ipsorum posito apud Matthæum, consequens erat inquirere quæ ad hæc loca etiam intelligenda pertinebant, et quas invenissemus observationes addere. Meminit autem Lucas, perinde atque Marcus, ex persona propria, eorum verborum : « Vox clamantis » in deserto, » hunc in modum : « Factum est verbum Do- » mini ad Joannem Zachariæ filium in deserto. Et venit in » omnem regionem finitimam Jordani, prædicans baptis- » mum pœnitentiæ in remissionem peccatorum, sicut scrip- » tum est in libro sermonum Esaiæ prophetæ dicentis : Vox » clamantis in deserto : Parate viam Domini, rectas facite » semitas ejus[2]. » Addidit etiam Lucas quod reliquum erat prophetiæ : « Omnis vallis implebitur, et omnis mons et col- » lis reddetur humilis, vertenturque distorta in vias rectas, » et asperæ viæ in planas, videbitque omnis caro salutare » Dei[3] : » perinde atque Marcus, cum scripsisset : « Rectas » facite semitas ejus, » decurtans, ut prædiximus, illud : « Rectas facite semitas Dei nostri[4]; » in illis vero verbis : « Et erunt omnia obliqua in rectum[5], » vocem *omnia* prætermisit, plurium etiam numero, *rectas* dicens, quod, *rectum,* singulari numero dictum fuerat. Ad hæc etiam pro eo quod est, « aspera in planitiem, » fecit, « et asperæ viæ in » planas[6] : » cumque prætermisisset illud : « Videbitur gloria » Domini[7], » addidit deinceps : « Et videbit omnis caro salu- » tare Dei. » Præter hoc vero conferunt etiam hujusmodi observationes ad demonstrandum decurtata fuisse ab Evangelistis Prophetica. Ad hæc vero observandum est illud : « Progenies viperarum[8], » et quæ sequuntur, Matthæum narrare dictum fuisse Pharisæis et Sadducæis adventanti-

[1] Joan. I, 24, 25. — [2] Luc. III, 2, 3, 4. — [3] Ibid. 5, 6. — [4] Isai. XL, 3. — [5] Ibid. 4. — [6] Ibid. 5. — [7] Ibid. — [8] Matth. III, 7.

bus ad baptismum, diversis existentibus ab his qui confitebantur peccata sua, et nihil tale audiebant : Lucam vero, egredientibus turbis ut baptizarentur ab ipso, hæc dicta fuisse [1]; non facientem duos ordines eorum qui baptizabantur, quod apud Matthæum invenimus. Sed jure Matthæus Baptistam inducit dicentem turbis : « Progenies vipera» rum [2], » et quæ sequuntur, quando turbæ in bonam partem non sumuntur, ut observantibus perspicuum erit. Pharisæis præterea et Sadducæis numero singulari dictum est : « Facite fructum dignum pœnitentia [3]; » turbis vero numero plurium, « fructus dignos pœnitentia [4]. » Fortassis enim fructus pœnitentiæ eximius a Pharisæis exigitur, qui non alius est quam Jesus, et fides erga ipsum; a turbis autem neque principium bonorum habentibus omnes exiguntur pœnitentiæ fructus. Quamobrem plurium numero, « fruc» tus facite, » dixit ipsis Baptista. Illud etiam præter hæc Pharisæis dicitur : « Ne cogitetis apud vosmetipsos dicere : Pa» trem habemus Abraham [5]. » [Multi enim nunc principium habent, putantes se ad divinum verbum introduci, ut accedant ad veritatem. Itaque dicere secum in animo incipiunt, « Patrem habemus Abraham. »] Pharisæi vero non incipiunt, sed multo ante hoc cogitant. Utrique tamen prædictos lapides ostensos audiunt, quasi ex his suscitari possent liberi Abrahæ ipsi [6], suscitaturos ab insensibilitate et mortificatione. Observa autem Pharisæis (juxta id quod dictum fuit apud Prophetam : « Comedistis fructum mendacem [7] ») habentibus fructum mendacem dici : « Omnis igitur arbor » non faciens fructum bonum excinditur [et in ignem mit» titur [8]; » turbis autem quæ nullo modo fructum ferunt : « Omnis ergo arbor non faciens fructum excidetur [9].) » Id enim quod fructum non habet, ne bonum quidem fructum

[1] Luc. III, 7. — [2] Matth. III, 7. — [3] Ibid. 8. — [4] Luc. III, 8. — [5] Matth. III, 9. — [6] Ibid. — [7] Ose. x, 13. — [8] Matth. III, 10. — [9] Luc. III, 9.

habet; quamobrem dignum est ut excindatur : quod autem fructum habet, id non omnino fructum bonum habet; quare jure et ipsum a securi dejicitur. Cæterum si accuratius exquisierimus, fieri non posse videbimus ut id quod nuper excoli sit cœptum, etiam si fructificet, primos afferat fructus bonos. Contentusque est agricola primam arboris culturam convenientes fructus proferre, tum vero procedente tempore, post hos qualescumque fructus, sumpturus etiam fructus bonos, adhibitis purgationibus agriculturæ convenientibus. Quin Lex etiam huic nostræ intelligentiæ attestatur dicens, oportere eum qui plantaverit impurgatum triennio sinere quod plantaverit, non comesis rei plantatæ fructibus : « Tres *enim, inquit,* annos vobis fructus » impurgatus non comedetur; quarto autem anno erit om» nis fructus sanctus, laudabilis Domino[1]. » Jure ergo ad turbas absque additione boni dicitur : « Omnis igitur arbor » quæ non facit fructum excinditur et in ignem conjici» tur[2]; » et quæ diutius fructum fert principio similem, cum sit arbor quæ non facit fructum bonum, exciditur et in ignem mittitur, quandoquidem post triennii culturam, in anno quarto non facit fructum sanctum, laudabilem Domino. Hæc autem omnia quamvis per digressionem videantur a nobis dicta, comparantibus etiam quæ cætera Evangelia dicant, non importune tamen ascita, neque aliena a præsenti consideratione judicio sunt meo. Pharisæi enim mittunt ad Joannem post sacerdotes et levitas ab Hierosolymis missos, ad interrogandum ipsum quisnam esset, interrogantes : « Quid ergo baptizas, si tu non es ille Chris» tus, neque Elias, neque ille Propheta[3] ? » cumque interrogassent hoc in loco, deinceps profecti ut baptizarentur, ut scribit Matthæus, audiunt convenientia fastui et simulationi suæ[4]. Porro quoniam his eadem fere quæ turbis dicta

[1] Levit. XIX, 23, 24. — [2] Luc. III, 9. — [3] Joan. I, 25. — [4] Matth. III, 7.

fuerant, postulabant hæc collationem atque explanationem, quæ dum fiunt plura compulit nos consequentia rerum considerare. His insuper quæ diximus necessario illud addemus, Joannem scribere duos ordines esse mittentium : alterum quidem Judæorum mittentium ab Hierosolymis sacerdotes et levitas [1] ; alterum vero Pharisæorum addubitantium quare baptizet [2]. Tradidimus, etiam Pharisæos post interrogationem profectos fuisse ut baptizarentur. Proinde vide ne forte Judæi, qui ante Pharisæos miserant ab Hierosolymis, admissa Joannis oratione, quia priores Pharisæis miserint, priores etiam veniant. Hierosolyma enim, et tota Judæa, et consequenter omnis regio Jordani finitima baptizabantur ab ipso in Jordane fluvio, confitentes peccata sua [3] : vel, ut Lucas inquit : « Egrediebatur ad ipsum » tota Judæa regio, et Hierosolymitæ omnes, et baptizaban- » tur ab ipso in Jordane fluvio, confitentes peccata sua [4]. » Cæterum neque Matthæus Pharisæos et Sadducæos, quibus dicitur : « Progenies viperarum [5], » neque Lucas turbas eamdem increpationem audisse inducunt confitentes peccata sua. Illud vero dubitatione dignum est, quomodo cum tota Hierosolymitarum urbs, et tota Judæa, et tota regio Jordani finitima baptizarentur in Jordane a Joanne, Servator dicat : « Venit Joannes Baptista, neque manducans neque » bibens, et dicitis : Dæmonium habet [6] : » et interrogantibus : « In qua potestate hæc facis ? » dicit : « Interrogabo et » ego vos unum verbum; quod si dixeritis mihi, dicam etiam » ego vobis in qua potestate hæc facio : Baptismus Joannis » unde erat ? e cœlo, an ex hominibus [7] ? » quando et disceptantes inquiunt : « Si dixerimus, e cœlo, dicet : Quare non » credidistis illi ? » Sed solvitur hunc in modum dubitatio : Pharisæi, ut antea observavimus, qui audierant, « Progenies

[1] Joan. I, 19. — [2] Ibid. 24, 25. — [3] Matth. III, 5, 6. — [4] Marc. I, 5. — [5] Matth. III, 7. — [6] Id. XI, 18. — [7] Id. XXI, 23, 24, 25, 26.

» viperarum[1], » nec illi crediderant, accedunt ad baptismum, timentes, uti probabile est, turbam, atque propter illos simulate volentes lavari, ne tot hominibus adversari viderentur. Sentientes igitur ipsum ab hominibus, non e cœlo habere baptismum, timent quod suspicantur dicere, ne forte lapidentur a turba. Quare quæ Servator Pharisæis locutus est, contraria non sunt his quæ scripta fuerunt in Evangeliis de multitudine eorum qui apud Joannem baptizati fuerunt; cum alioqui temeritatis Pharisæorum fuerit dicere Joannem habere dæmonium, et Jesum in Beelzebul dæmoniorum principe virtutes edidisse [2].

« Respondit illis Joannes, dicens : Ego quidem baptizo » vos in aqua; in medio autem vestri stat, quem vos nescitis. Ipse est qui post me venturus est, cujus non sum dig» nus ut solvam ejus corrigiam calceamenti[3]. » Equidem Heracleon existimat Joannem respondere his qui a Pharisæis missi fuerant, quod ipse volebat, non ad id quod illi interrogaverant, non advertens se incusare Prophetam inscitiæ, si aliud interrogatus de re alia respondet : cavendum enim nobis est hoc, dum colloquimur, tanquam vitium. Contra, nos dicimus maxime appositam esse responsionem. Namque ad illud : « Quid ergo baptizas, si tu non es ille » Christus[4]? » quid aliud dici oportuit, quam ostendere baptisma suum esse corporale? « Ego *enim, inquit,* baptizo in » aqua[5] : » cumque hoc respondisset ad illud : « Quid ergo » baptizas? » ad alterum : « Si tu non es ille Christus, » laudes enarrat de præcipua ac præcedenti substantia Christi, nempe quod Christus tantum virium habet, ut invisibilis etiam sit divinitate sua, omni homini præsens, et per universum orbem extensus; quod declaratur per illud : « In » medio vestri stat ille [quem vos nescitis][6]. » Et quoniam

[1] Matth. III, 7. — [2] Luc. XI, 15. — [3] Joan. I, 26, 27. — [4] Ibidem, 25. — [5] Ibid. 26. — [6] Ibid.

nihil tale expectantes Christi adventum Pharisæi de ipso videbant, tantum suspicantes eum esse hominem sanctum, concinne redarguit Pharisæorum ignorantiam, qui ipsius excellentiam ignorabant, adjiciens, « quem vos nescitis, » illis verbis : « In medio vestri stat. » Et ne quis suspicetur eum qui sit invisibilis, quique penetret ad omnem hominem et ad totum mundum, diversum esse ab eo qui humanam sumpsit carnem, et « super terram est vis, et cum » hominibus est conversatus[1], » conjungit illis verbis : « In » medio vestri stat, quem vos nescitis, » illud : « Qui post me » venturus est[2], » hoc est, qui post me manifestandus est. Cujus cum excedente et exuperante excellentia intellexisset Joannes suam ipsius naturam superari, ob quam ambigebant nonnulli an ipse esset Christus, ostendere volens quanto inferior esset Christi magnitudine, ne quis de se cogitaret aliquid supra id quod videt aut audit a semetipso[3], dicit etiam illud : « Cujus non sum ego dignus ut solvam » ejus corrigiam calceamenti[4], » illud innuens se minime idoneum esse qui de ipsius Christi incorporatione rationem (quæ veluti ligata est et occultata non intelligentibus) solvat expliceque, dignum aliquid dicendo de tanto adventu in tantam brevitatem contracto.

Verum enimvero haud importunum fuerit inquirentibus nobis illud : « Ego in aqua baptizo[5], » addere, si quid simile de hoc dixerint Evangelistæ, et cum re de qua agitur conferre. Itaque Matthæus inquit, cum conspexisset multos ex Pharisæis et ex Sadducæis venientes ad baptismum (post verba increpatoria, de quibus inquisivimus) : « Ego quidem » vos in aqua baptizo ad resipiscentiam; at ille qui post » me venturus est potentior me est cujus non sum idoneus » ut calceamenta portem : ipse vos baptizabit in Spiritu

[1] Baruch, III, 38. — [2] Joan. I, 27. — [3] 2 Cor. XII, 16. — [4] Joan. I, 27. — [5] Ibid. 26.

» sancto, et igni[1] : » cum sermone Joannis conveniens narrante confessionem baptismi in aqua ad eos qui missi fuerant ex Pharisæis. At Marcus : « Prædicabat (*inquit*) *Joannes* dicens : Venit qui fortior est me, post me, cujus non » sum idoneus ut procumbens solvam corrigiam calcea» mentorum ejus. Ego quidem baptizo vos aqua, ille vero » baptizabit vos in Spiritu sancto[2] : » ad complures et omnes audientes docens hæc prædicata fuisse. Rursum Lucas inquit quod, expectante populo, et cogitantibus omnibus in cordibus suis de Joanne, an ipse esset Christus, responderit Joannes dicens universis : « Ego quidem aqua baptizo » vos; sed veniet qui potentior est me, cujus non sum ido» neus solvere corrigiam calceamentorum ejus. Ipse vos » baptizabit in Spiritu sancto, et igni[3]. »

Tenentes igitur quatuor Evangelistarum similia verba, age videamus pro virili seorsum uniuscujusque verbi sensum, et differentias, initio sumpto a Matthæo, qui primus cæterorum traditur Evangelium tradidisse Hebræis, qui ex circumcisione crediderant : « Ego vos, *inquit,* in aqua bap» tizo ad resipiscentiam[4], » veluti purgans et deterrens a rebus malis, et ad resipiscentiam invitans : Ut præparem enim populum instructum ego veni[5] ; et ad præparandum locum resipiscentiæ per baptismum post me venturo, qui hac etiam ratione longe potentius præstantiusque quam mea sit potentia, vobis adjumento futurus est. Siquidem illius baptismus non est corporalis, cum resipiscentem repleat Spiritus sanctus igne diviniori quidquid vel materiale vel terrenum fuerit demoliente et consumente. Et hoc non tantum in eo qui ipsum admiserit, sed etiam in eo qui audierit ipsum habentes. Tanto autem est me fortior qui post me venturus est, ut ne ea quidem quæ ad amictum

[1] Matth. III, 11. — [2] Marc. I, 6, 7, 8. — [3] Luc. III, 16. — [4] Matth. III, 11. — [5] Luc. I, 17.

spectant extremarum potentiarum quæ sunt circa ipsum portare, vel quæ ea sustinent ferre sim idoneus; cum non ita nuda prostent, ut ea obvii quique intelligere possint. Igitur non novi utrum prius dicam, meamne multam imbecillitatem, quæ ne vilia quidem Christi (magnarum rerum circa ipsum existentium comparatione) ferre queat, an divinitatem illius eminentem, et toto mundo majorem, quandoquidem ego, qui tantam accepi gratiam ut prophetia dignus habitus fuerim quæ meum adventum ad vitam hominum prædiceret, illis verbis : « Ego vox clamantis in de» serto[1], » et : « Ecce ego mitto nuntium meum ante faciem » tuam[2]; » ego, cujus ortum Gabriel astans coram altari admirabiliter annuntiavit, patre meo in senectute existente[3]; ego, ad cujus nomen Zacharias mox vocem recepit, atque etiam prophetandi munus per ipsam[4]; ego, de quo Dominus testificatus est, neminem inter natos mulierum me majorem existere[5]; neque calceamenta ejus idoneus sum portare. Quod si non calceamenta, quid dicendum de vestimentis ejus? Quis tantus, qui totam illius vestem custodire queat? Quis est qui cogitaturus sit, se comprehensurum rationem eam quam habet tunica a summo inconsutilis, quia sit per totum contexta[6]? Illud vero observandum, quod quatuor Evangelistis dicentibus Joannem fateri se advenisse ad baptizandum in aqua, solus Matthæus huic rei addiderit, « ad resipiscentiam[7]; » nimirum docens utilitatem futuram baptismatis ei qui ex proposito baptizaretur, quæ ad resipiscentem perveniens, ei qui accederet non resipiscens, asperius judicium futura esset..........

Proinde[8] jam Marcum etiam consideremus, qui prædicantem quidem Joannem eadem scripsit dixisse, juxta illud:

[1] Isai. XL, 3. — [2] Malach. III, 1. — [3] Luc. I, 7, 11 et seq. — [4] Ibid. 63, 64, 67 et seq. — [5] Matth. XI, 11. — [6] Joan. XIX, 23. — [7] Matth. III, 11.
[8] N. 18. p. 134.

« Venit potentior me post me[1]; » hæc enim æque valent atque ea verba : « Qui post me venturus est, potentior me » est[2]; » non amplius vero eadem, dum inquit : « Non sum » idoneus procumbens solvere corrigiam calceamentorum » ejus[3]. » Aliud est etenim gestare calceamenta, jam scilicet soluta a pedibus calceati ; aliud etiam, procumbentem solvere corrigiam calceamentorum ejus. Proinde consequens est, nullo ex Evangelistis vel fallente, vel mentiente, ut dicerent qui credunt, utraque Baptistam diversis temporibus dixisse secundum aliam et aliam mentem motum. Non enim de iisdem rebus varie locuti sunt Evangelistæ, ut quidam expositores putant, accurate non inquirentes singula dicta vel facta. Atque magnum quidem est gestare Jesu calceamenta, sed magnum etiam est illud, procumbentem ad ipsius corporalia deorsum facta (considerandi causa imaginem inferiorem) solvere obscura quæque mysterii incarnationis, quæ veluti sunt calceamentorum corrigia : unum enim est obscuritatis vinculum, sicut etiam una scientiæ est clavis, quæ ne ipse quidem major inter natos mulierum ex se solvere vel aperire idoneus est; nempe eo solo ligante aperienteque, qui quibus ipse velit elargitur solvere et aperire corrigiam calceamentorum, atque etiam quæ clausa sunt..........

Nec illud[4] sinatur intactum, Lucam, similiterque Joannem vocem *procumbens*[5] omisisse. Et fortassis quidem contingit ut qui procubuerit, solvat, juxta id quod est dictum; sed facile factu est etiam ut qui observat altitudinem intervalli et spatii existentis a λόγῳ [Filio Dei], inveniat calceamentorum solutionem (quæ, cum quis ea quærit, ligata apparent) : ut ea quis cum solverit calceamenta quæ sepa-

[1] Marc. I, 7. — [2] Matth. III, 11. — [3] Marc. I, 7.
[4] N. 19, 20. p. 135, 136.
[5] Marc. I, 7.

rabilia sunt, videat λόγον [Dei Filium] per se nudum rebus inferioribus.

Perscribit autem Joannes : « Non sum ego dignus[1], » quod idem non est cum illis verbis : « Non sum ego idoneus[2] : » fieri enim potest ut qui dignus non sit, sit idoneus ; contra qui dignus sit, nondum sit idoneus. Si enim etiam ad id quod expedit data sunt dona[3], nec id tantum ex proportione fidei, Dei humanum genus amantis officium erit prævidentis nocumentum ex elatione, vel inflatione insecutura, ne digno quidem aliquando idoneitatem dare. Accommodatum est autem ad naturam bonitatis Dei, vincere in conferendis beneficiis eum in quem beneficia conferuntur, anticipareque eum qui dignus futurus est, atque ornare idoneitate, ut post idoneitatem assequatur esse dignus : ne talis dignus omnino cum fuerit, præveniens Deum munera largientem, ipsiusque gratias anticipans, ad hoc pertingat ut sit idoneus. Ergo apud tres Evangelistas se non esse idoneum inquit Baptista, apud Joannem autem non esse dignum. Nec profecto qui dixit se nondum existere idoneum, excluditur, quin factus fuerit postea idoneus, etiamsi nondum dignus esset ; qui vicissim cum dixit se non esse dignum, cum non esset dignus, non excluditur, quin ad hoc non pertigerit ut esset dignus. Nisi forte quis dicturus est, eo quod mortalis natura non capax sit, neque possit illo pertingere aliquando ut calceamenta ipsa solvere atque gestare possit, ut dignum est ipsis, Joannem vera narrantem habere illud, ut nunquam fuerit idoneus, ac ne dignus quidem solvere corrigiam calceamentorum pro dignitate ipsius Christi ; quia quamvis multa cognitione percepimus, adhuc relinquantur tamen multa nondum intellecta : « Quoniam » cum absolverit homo, tunc incipit ; et cum quieverit, tunc incertus erit[4], » juxta Jesu filii Sirach Sapientiam.

[1] Joan. I, 27. — [2] Marc. I, 7. — [3] Rom. XII, 6. — [4] Eccles. XVIII, 7.

Quin [1], quod ad id attinet : « In medio vestri stat, quem » vos nescitis [2], » hæc disserenda sunt de Filio Dei λόγῳ, per quem omnia facta sunt, subsistente substantialiter secundum subjectum, et idem existente cum sapientia. Hic enim per universam orbis machinam permeat, ut quæ semper fiunt, per ipsum fiant; et de universis, quæcumque protuleris, semper verum erit : « Omnia per ipsum facta sunt, » et sine ipso factum est nihil [3] ; » et illud : « Omnia in sapien- » tia fecisti [4]. » Quod si per omnem creationem atque universam mundi fabricam permeat, in medio scilicet etiam eorum stat qui interrogabant : « Quid ergo baptizas, si tu » non es ille Christus, neque Elias, neque Propheta ille [5] ? » In medio, inquam, stat λόγος ipse [hoc est ratio], et Filius Dei a Patre firmatus ubique. Vel verba ea : « In medio ves- » tri stat [6], » sic intelligantur : quia homines vos estis rationis compotes, idcirco « in medio vestri stat, » eo quod in medio sit totius corporis ea animæ pars præstantissima, principatum quam vocant, Scripturis inviolatæ fidei ostendentibus eam in corde existere. Qui igitur in sui ipsorum medio λόγον [hoc est rationem] habent, cum interim non disserant vel de ipsius natura, vel a quo fonte et principio venerit, neque tandem quomodo confirmaverit ipsos, hi in medio sui ipsorum λόγον [et rationem] se habere nesciunt. At Joannes ipsum novit; hoc enim, « quem vos nescitis [7], » contumeliose dictum ad Pharisæos, ostendit Joannem accurate agnovisse quem illi ignorarent......

At Heracleon [8], « In medio vestri stat [9], » interpretatur : Jam adest, et est in mundo, et inter nos omnes homines jam visibilis est : qua interpretatione tollit quod docuimus,

[1] N. 22. p. 137.
[2] Joan. I, 26. — [3] Ibid. 3. — [4] Psal. CIII, 24. — [5] Joan. I, 25. — [6] Ibid. 26. — [7] Ibid.
[8] N. 23. p. 138.
[9] Joan. I, 26.

nempe quod ipse discurrat, ac permeet per totum mundum. Dicendum enim ad illum : Quando enim non adest? quando autem non est in mundo? præsertim Evangelio dicente : « In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, » [et mundus eum non cognovit[1].] » Et ob hanc causam hi etiam ad quos Sermo est, ille « quem vos nescitis[2], » nesciunt eum, quoniam nondum e mundo egressi fuerant, mundus vero eum non cognovit. Sed quo tempore cessavit inter homines esse? An non erat in Esaia dicente : « Spiri» tus Domini super me, propterea quod unxit me; *et :* Mani» festus factus sum in his qui me non quærebant[3]? » Rursus dicant, an in Davide non erat, non a semetipso dicente : « Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion mon» tem sanctum ejus[4]; » et quæcumque in Psalmis ex persona Christi scripta sunt. Cumque evidenter docere queam Jesum semper inter homines esse, ad convincendum non recte Heracleonem exponendo « In medio vestri stat[5], » exposuisse : Jam adest, et est in mundo, et in homine; quid opus est me singulatim argumenta contingere, cum ea vix enumerari queant? Non absurde tamen apud eum dicitur, quod verba illa : « Qui post me venturus est[6], » declarant Joannem præcursorem Christi existere : vere enim non secus atque servus præcurrit dominum. Longe vero simplicius ea verba interpretatus est : « Non sum ego dignus » ut solvam ejus corrigiam calceamenti[7], » perinde quasi fateatur Baptista his verbis, se neque dignum qui ultima officia in Christum conferat. Attamen post hanc expositionem satis probabiliter subjunxit : Non sum ego idoneus ut mei gratia descendat a magnitudine, et carnem accipiat, ceu calceamentum, de qua rationem reddere ego non valeo, neque enarrare, vel solvere de ipsa dispensationem....

[1] Joan. I, 10. — [2] Ibid. 26. — [3] Isai. LXI, 1, et LXV, 1. — [4] Psal. II, 6. — [5] Joan. I, 26. — [6] Ibid. 27. — [7] Ibid.

« Hæc[1] in Bethabara facta sunt, trans Jordanem, ubi » erat Joannes baptizans[2]. » Quod in omnibus fere exemplaribus ponatur : « Hæc in Bethania facta sunt, » non ignoramus, et videtur hoc etiam antea factum fuisse : unde apud Heracleonem etiam Bethaniam legimus. Sed persuasi sumus non *Bethania*, sed *Bethabara* legere, cum ad loca pervenissemus, ut Jesu, discipulorumque ejus, ac Prophetarum vestigia inspiceremus. Bethania namque, ut ipse inquit Evangelista, patria Lazari, et Mariæ, et Marthæ[3], quindecim stadiis a Hierosolymis distat, qua Jordanes fluvius, lato computo, abest stadiis circiter octoginta supra centum ; sed neque locus est circa Jordanem, qui nomen commune habeat cum Bethania. Dicunt autem ostendi circa tumulos Jordanis Bethabara, ubi Historiæ dicunt Joannem baptizasse ; estque nominis interpretatio consequens baptismati præparantis Domino populum instructum[4]. Est enim, si interpreteris, Domus instructionis ; Bethania vero, Domus obedientiæ. Nam profecto ubi baptizare opus erat ei qui missus fuerat ante faciem Christi ad præparandum viam ipsius coram ipso[5], quam in domo instructionis ? Quænam vero magis propria est patria ipsi Mariæ, quæ elegerat bonam partem a se non auferendam, et Marthæ in diversa distractæ propter suscipiendum Jesum[6], atque ipsarum fratri Lazaro, qui a Servatore amicus dicitur[7], quam Bethania, obedientiæ domus ? itaque contemnenda non est accurata circa nomina diligentia ei qui voluerit probe intelligere sanctas litteras. Peccatum equidem frequenter fuisse in Gentilium exemplaribus, indeque errata in Evangeliis translata facile quis credat. Dispensatio namque circa porcos e rupe præcipitatos, et in mari suffocatos a dæmoniis, scriptum est

[1] N. 24. p. 140.

[2] Joan. I, 28. — [3] Id. XI, 1, 18. — [4] Luc. I, 17. — [5] Ibid. 76. — [6] Id. X, 41, 43. — [7] Joan. XI, 11.

fuisse in loco Gerasenorum[1]. Gerasa autem urbs est Arabiæ, neque mare neque stagnum in propinquo habens. Nec mendacium adeo apertum, quodque facile redargui posset, dixissent Evangelistæ, viri diligenter agnoscentes regionem Judææ. Quoniam vero in paucis exemplaribus invenimus : « In locum Gadarenorum, » ad hoc etiam est dicendum, Gadaram quidem civitatem esse Judææ, circa quam celeberrima balnea sunt, haudquaquam vero in ea esse stagnum vel mare præcipitiis adjacens. At Gergesa, a qua Gergesæi, urbs est antiqua juxta stagnum quod nunc Tiberiadis vocamus, juxta quam rupes est stagno adjacens, e qua ostenditur porcos a dæmonibus in præceps delatos fuisse. Interpretatur autem Gergesa, Habitatio ejicientium, fortasse cognomentum sortita propheticæ illius rei, quam locorum cives erga Servatorem fecerunt, obsecrantes eum ut e finibus suis excederet[2]. Tale subinde erratum in Lege et Prophetis circa nomina licet cernere, ut accurate perspeximus ab Hebræis edocti, cum ipsorum exemplaribus nostra comparantes, quæ testimonium habent ab editionibus Aquilæ, et Symmachi, et Theodotionis, quæ nondum sunt depravatæ.....

Quamobrem[3] videamus quæ ad Evangelicam lectionem spectant. Jordanes quidem interpretatur, Descensus ipsorum............ Quis fluvius nisi Servator noster, disterminans eos qui a Mose hæreditatem acceperint, ab his qui proprias partes acceperunt per Jesum? Hujus igitur impetus, qui sunt per fluvium descendentem, lætificant, ut in Psalmis est scriptum, civitatem Dei[4], non Hierusalem sub sensum cadentem (nec enim Hierusalem habet adjacentem fluvium), sed inculpatam Dei Ecclesiam ædificatam super

[1] Matth. VIII, 28, 32. Marc. V, 1, 13. Luc. VIII, 26, 33, 37. — [2] Matth. VIII, 34. Marc. V, 17. Luc. VIII, 37.
[3] N. 25. p. 142.
[4] Psal. XLV, 5.

fundamentum Apostolorum, et Prophetarum, summo angulari lapide Christo Jesu existente Domino nostro[1]. Jordanes itaque intelligendus est ille Dei Sermo, qui factus est caro, et habitavit in nobis[2]; Jesus, inquam, qui quidquid assumpsit humanum, hæreditarium fecit : quod est etiam summus angularis lapis, quod etiam ipsum in divinitate Filii Dei factum, ex eo quod ab ipso assumptum fuerit, lavatur, et tum capit simplicem et sine dolo columbam Spiritus, sibi colligatam, nec amplius evolare valentem : « Su» per quem *enim, inquit,* videris Spiritum descendentem, » et manentem super eum, hic est, qui baptizat in Spiritu » sancto. » .....

.... Ad hæc[4] ut admittamus interpretationem de potabilissimo, et gratiarum pleno Jordane, utile nobis erit apponere Naaman illum Syrum a lepra mundatum, et quæ dicuntur de fluminibus apud hostes cultus divini. Atque de Naaman quidem scriptum est[5], quod venerit cum equitatu et curru, et steterit ante fores domus Elisæi, quodque miserit Elisæus nuntium ad illum, dicens : « Profectus lavare in » Jordane septies, et restituetur tibi caro tua, et mundabe» ris[6]. » Quando etiam commovetur indignatione Naaman[7] non intelligens quod Jordanis noster is sit qui immundos ob lepram liberat ab immunditia, sanatque, non ille Propheta ; quandoquidem prophetæ officium est mittere ad illud quod sanitatem affert. Non intelligens igitur Jordanis magnum mysterium, Naaman inquit : « En quidem cogita» ram : Omnino exibit ad me, et stans invocabit nomen Do» mini Dei sui, imponetque manum suam ad locum, et cu» rabit lepram[8]. » Etenim manum lepræ imponere et curare solius Domini mei Jesu officium est, qui non tantum dixit

[1] Ephes. II, 20. — [2] Joan. I, 14. — [3] Ibid. 33.
[4] N. 28. p. 146.
[5] 4 Reg. v, 9. — [6] Ibid. 10. — [7] Ibid. 11. — [8] Ibid.

cum fide pronuntianti : « Si vis, potes me mundare : Volo, » mundus esto[1] ; » præterquam quod enim locutus est, tetigit etiam eum, et mundatus fuit a lepra sua. Errans etiam Naaman, nec videns quantum cæteri fluvii Jordane sint inferiores, quantum attinet ad curandum eos qui morbo affecti sunt, laudat Damasci fluvios Arbana, et Pharpha, dicens : « Annon bonus est Arbana et Pharpha, fluvii Damasci, præ omnibus aquis Israëlis ? Nonne profectus lavabor » in eis, et mundabor[2] ? » Ut enim nullus bonus, nisi unus, nempe Deus Pater[3], sic inter fluvios nullus est bonus, nisi Jordanis, etiam a lepra liberare valens eum qui cum fide lavat animam in Jesu. Proinde meum est judicium, scriptum fuisse omnes sedentes super flumina Babylonis propter hunc flere, memoria repetentes Sion[4]. Deducti enim ob vitium in captivitatem, cum alias degustassent aquas post sanctum Jordanem, in memoriam desideriumque veniunt proprii et salutaris fluvii. Propterea de fluviis Babylonis inquiunt : « Illic sedimus (nimirum stare nequentes) et flevi- » mus[5]. » Quando etiam Jeremias minatur volentibus Ægyptiam aquam bibere, et relinquentibus aquam e cœlo descendentem, et descensus agnomen habentem Jordanem, dicens : « Nunc igitur quid est tibi in via Ægypti, ut bibas » aquam Geon, et ut bibas aquam fluviorum[6] ? » vel, ut Hebraïcum habet, « bibere aquam Seor, » de qua nunc propositum non est dicere.

« Postero[7] die videt Joannes Jesum venientem ad se[8]. » Prius Jesu mater, simul atque ipsum concepit, ad Joannis matrem, eamque uterum ferentem pergit, quando qui formatur accuratiorem formationem donat ei qui formabatur, conformem illum efficiens suæ gloriæ, adeo ut ob formam

[1] Matth. VIII, 2, 3. — [2] 4 Reg. V, 12. — [3] Matth. XIX, 17. Marc. X, 18. Luc. XVIII, 19. — [4] Psal. CXXXVI, 1. — [5] Ibid. — [6] Jerem. II, 18.

[7] N. 30, 31, 32. p. 148-150.

[8] Joan. I, 29.

communem, Joannes crederetur esse Christus [1], et item Christus Joannes esse a mortuis excitus [2] putaretur apud eos qui non discernunt inter imaginem, et inter eum qui est secundum imaginem; nunc autem ipse Jesus post ea, quæ antea accurate examinavimus, testimonia Joannis de ipso, videtur a Baptista veniens ad illum. Sed obiter observandum est, quod illic per vocem salutationis Mariæ, quæ pervenit ad aures Elisabeth, exilit Joannes infans in utero matris, tum veluti a sancta Maria sumentis Spiritum sanctum : « Evenit *enim, inquit,* ut audivit salutationem Mariæ » Elisabeth, subsilivit infans in utero ejus, et repleta est » Spiritu sancto Elisabeth, et exclamavit voce magna, et » dixit [3]. » Hic autem « videt Joannes Jesum ad seipsum ve» nientem, et dicit ; Ecce ille Agnus Dei qui tollit pecca» tum mundi [4] : » in rebus etenim præstantibus, per auditum primum quis eruditur, deinde oculatus testis ipsarum rerum fit. Sed profecto adjuvari Joannem ad formationem a Domino, qui adhuc cum formaretur perrexit in matre ad Elisabetham, ei perspicuum erit qui tenuerit quæ disseruimus dum diceremus Joannem esse vocem, Jesum vero sermonem : magna enim vox fit in Elisabeth repleta Spiritu sancto ob Mariæ salutationem, ut lectio ipsa docet hunc in modum habens : « Et exclamavit voce magna [5], » scilicet Elisabeth, « et dixit. » Vox enim salutationis Mariæ [6], quæ pervenit ad aures Elisabeth, replevit Joannem se ipsa; quam ob causam subsilit Joannes, mater que veluti os filii et prophetissa efficitur, voce magna exclamans, ac dicens : « Be» nedicta tu inter mulieres, et benedictus ille fructus ven» tris tui [7]. » Jam vero a nobis aperte perspici potest tum Mariæ iter ad montana cum festinatione, tum ingressus in domum Zachariæ, ac deinde salutatio qua salutat Elisa-

[1] Luc. III, 15. Matth. XIV, 2. Marc. VI, 14, 16. — [2] Luc. IX, 8. — [3] Id I, 41, 42. — [4] Joan. I, 29. — [5] Luc. I, 42. — [6] Ibid. 41. — [7] Ibid. 42.

beth [1]. Hæc enim omnia eveniunt ut Maria faciat participem Joannem (etiamnum in utero matris existentem) ejus potentiæ quam habet ab eo quem conceperat, qui quidem Joannes et ipse participem facturus erat matrem illius gratiæ propheticæ quam acceperat. Et decentissime profecto in montana tales dispensationes perficiuntur, cum nihil magni capi possit ab his hominibus qui valles ob humilitatem vocandi sunt. Ideo hoc in loco post Joannis testimonia, primum quidem quod dicitur a Joanne clamante [2], ac theologum agente; alterum vero ad sacerdotes et levitas ab Hierosolymis a Judæis missos [3]; tertium ad eos qui ex Pharisæis existentes acerbius interrogarunt [4], Jesus jam videtur ab eo qui testimonium perhibuerat venienti ad se, adhuc proficientem, melioremque evadentem : cujus profectus et ad meliora progressus nota est ea dies, quæ postera dicitur; veluti enim in sequenti illuminatione et in postera die, propter ea quæ præcesserant, Jesus venit, non tantum ignotus [5] (tanquam qui in medio steterit etiam nescientium), sed jam etiam veniens conspicuus ei qui hæc antea annuntiarat. Prima ergo die testimonia fiunt. Altera Jesus ad Joannem venit [6]. Tertia autem Joannes (cum staret cum duobus discipulis, intuitusque esset Jesum ambulantem, ac dixisset : « Ecce Agnus ille Dei [7] ») præsentes admonet uti sequantur Filium Dei. Jam in quarta die, cum exire vellet in Galilæam ille qui exiit ad quærendum quod perierat, « invenit Philippum, et dicit ei : Sequere me [8]. » Die vero tertia post quartam, quæ sexta est in earum numero quas a principio recensuimus, nuptiæ fiunt in Cana Galilææ [9], de quibus videbimus cum ad locum hunc pervenerimus. Illud etiam obiter observandum, quod Maria illa præ-

[1] Luc. I, 39 et 40. — [2] Joan. I, I et seq. — [3] Ibid. 19 et seq. — [4] Ibid. 24 et seq. — [5] Ibid. 26. — [6] Ibid. 29. — [7] Ibid. 35 et 36. — [8] Ibidem, 43. Luc. XIX, 10. — [9] Joan. II, 1.

stantior venit ad Elisabeth inferiorem, et Filius Dei ad Baptistam, ex quibus id utilitatis capimus, ut impigri simus ad ferendam opem inferioribus, et ad mediocritatem conservandam.

Quoniam autem apud Joannem discipulum, unde ad Baptistam Joannem veniat Servator, non dicitur, hoc discimus ex his quæ Matthæus scripsit : « Tunc advenit Jesus » a Galilæa ad Jordanem ad Joannem, ut baptizaretur ab » illo[1]. » At Marcus etiam locum Galilææ addidit dicens : « Et evenit in diebus illis ut veniret Jesus a Nazareth Ga» lilææ, et baptizaretur a Joanne in Jordane[2]. » Porro Lucas locum quidem reticuit unde Jesus advenit, prætermittendo quæ alii scripserant; sed quod ab illis non didicimus ipse nos docet, quod nempe post baptismum ascendenti ipsi apertum est cœlum, et descendit Spiritus sanctus corporea specie, sicut columba[3]. Rursus dicente Matthæo, Dominum prohibitum a Joanne dicente Servatori : « Mihi opus est ut » abs te baptizer, et tu venis ad me[4], » nullus quidpiam addidit, ne eadem repeterent. Quinetiam [quod ei a Domino responsum est : « Sine modo : sic enim decet nos implere] » omnem justitiam, » solus scribit Matthæus.

« Et dicit : Ecce Agnus ille Dei, qui tollit peccatum » mundi[5]. » ....

.... Agnum[6] in sacrificiis ἐνδελεχισμοῦ (hoc est, jugis oblationis) invenimus oblatum. Sic autem scriptum est : « Et hæc sunt quæ facies in altari : Agnos anniculos » duos immaculatos per singulos dies super altare jugiter, » oblationem endelechismi. Agnum unum offeres mane, et » alterum vespere, et decimam partem similaginis mixtam » oleo contuso cum quarta parte vini in agno uno. Et ag-

[1] Matth. III, 13. — [2] Marc. I, 9. — [3] Luc. III, 21. — [4] Matth. III, 14, 15. — [5] Joan. I, 29.
[6] N. 33. p. 151.

» num alterum offeres vespere, juxta sacrificium primum,
» et juxta libamen ipsius. Facies odorem fragrantiæ, oblationem Domino, sacrificium endelechismi in generationes vestras ad ostia tabernaculi testimonii coram Domino, in quibus agnoscar tibi illic in tantum, ut loquar ad te; ibique ordinabo filiis Israël, et sanctificabor in gloria mea; et sanctificatione sanctificabo tentorium testimonii[1]. »

Quod[2] si quærat quis quid facturus sit sanctus eo tempore quod est inter mane et vesperam, transferat sermonem ab hisce rebus quæ ad cultum Mosaïcum pertinent, et deinde Evangelica potiora sequatur. Ut enim legis veteris sacerdotes principium victimarum offerunt endelechismi victimam, ac deinde ante vespertinam victimam endelechismi, cæteras ex lege (verbi gratia, pro delicto, vel pro his quæ sponte non committuntur, vel pro salute, vel pro precatione, vel pro zelotypia, vel pro sabbato, vel pro novilunio, et reliquis, quæ longum esset in præsentia recensere); sic etiam nos a sermone de imagine, qui est Christus, oblationem facere incipientes, de multis, hisque utilissimis, disserere poterimus. Rursusque in his quæ Christi sunt finientes, ad vesperam veluti noctemque perveniemus, venientes ad corpora etiam.

Sin vero sermonem exquirimus de Jesu demonstrato a Joanne, juxta id : « Ecce Agnus ille Dei qui tollit peccatum » mundi[3], » insistentes in ipsa dispensatione corporei adventus Filii Dei ad vitam hominum, Agnum non alium existimabimus quam hominem; hic enim « veluti ovis ad cædem » ductus est, et tanquam agnus coram tondente se mutus[4]; » dicens : « Ego tanquam agnus innocens ducor, ut immo» ler[5]. » Quam ob causam, et in Apocalypsi videtur Agnus

[1] Exod. XXIX, 38 et seq.
[2] N. 34-36. p. 152-154.
[3] Joan. I, 29. — [4] Isai. LIII, 7. — [5] Jerem. XI, 19.

stans ceu immolatus[1]. Hic igitur Agnus occisus purificatio factus est, juxta quasdam rationes occultas, totius mundi, pro quo ob amorem quo Pater humanum genus prosequitur, cædem etiam suscepit, suo ipsius sanguine nos peccatis venditos redimens ab eo qui nos seduxerat. Porro qui Agnum hunc ad sacrificium offerebat, Deus in homine erat, magnus Sacerdos, qui hoc declarat per ea verba : « Nullus » animam meam a me tollit, sed ego a memetipso pono eam. » Potestatem habeo ponendi eam, et rursum potestatem » habeo sumendi eam[2]. »

Et sane hujus victimæ cognatæ sunt cæteræ, quarum notæ sunt legales; per cæteras vero victimas huic victimæ cognatas, effusiones intelligo sanguinis generosorum martyrum, qui non frustra conspiciuntur stare a discipulo Joanne juxta cœleste altare. Sed « quis sapiens, et intelliget hæc? » vel prudens, et agnoscet hæc[3]? » Ad hæc altioris contemplationis est vel tantillum exequi rationem de husjuscemodi victimis, quæ purgant eos pro quibus offeruntur...... Relatum autem, atque testatum est apud Gentiles, multos cædi pro communi hominum salute seipsos tradidisse, cum pestilentes morbi suam patriam invasissent. Et hæc ita evenisse admittit, non sine causa historiis credens, Clemens ille fidelis, de quo hunc in modum testificatur Paulus, dicens : « Cum » Clemente, et reliquis coadjutoribus meis, quorum nomina » sunt in libro vitæ[4].» Similem habent dissimilitudinem apud eum qui velit mysteria, quæ multos latent, incusare quæ de martyribus traduntur; Deo magis approbante ut vel asperrima supplicia suscipiamus, dum confitemur illius divinitatem, quam a tot rebus quæ malæ existimantur liberari ad breve tempus, sermone nostro ubique sequentes voluntatem inimicorum veritatis. Quamobrem existimare debemus destructionem fieri potentiarum maleficarum per mor-

[1] Apoc. v, 6. — [2] Joan. x, 18. — [3] Osc. xiv, 10. — [4] Philip. iv, 3.

teni sanctorum martyrum, veluti tolerantia eorum et confessione usque ad mortem, atque erga pietatem promptitudine, hebetantibus et mitigantibus feritatem insidiarum tyrannorum illorum, contra tot cruciatus patientem, ut hebetata et debili reddita potentia ipsorum, alii, etiam plures victis, dimitterentur liberati eo onere quo potentiæ malæ instantes eos gravabant et lædebant.......

Cæterum [1] multum immorati sumus de martyribus verba facientes, atque enarrantes de his qui perierunt ob pestilentes constitutiones, ut videremus excellentiam illius qui ductus est velut ovis ad cædem, quique sicut agnus coram tondente fuit mutus [2]. Namque si aliqua Gentibus non falso historiis mandata sunt, aliqua vero tum de martyribus sunt dicta, qui fuerunt mundi purgamenta; tum de Apostolis, qui omnium rejectamenta ob hanc causam dicuntur [3] : quid et quantum sentiendum est de Agno illo Dei, qui ob hanc causam sacrificatur ut tollat peccatum, non paucorum, sed totius mundi, pro quo et passus est? « Quamvis *enim* pec- » cet aliquis, advocatum habemus apud Patrem Jesum Chri- » stum justum : et ipse propitiatio est pro peccatis nostris; » non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mun- » di [4]; » quoniam « Servator est omnium hominum, et maxime » fidelium [5] : » qui suo ipsius sanguine « chirographum quod » adversus nos erat delevit, et illud sustulit e medio, et af- » fixit cruci [6], » ut ne vestigia quidem peccatorum perpetratorum inveniantur : qui « expolians principatus ac potestates » ostentavit palam triumphans in ligno [7]. » Itaque afflicti in mundo docemur confidere, confidendi causam hanc esse edocti, quia mundus sit victus, quem perspicuum est victori subjectum fuisse. Unde etiam omnes gentes absolutæ ab his

[1] N. 57. p. 154-157.

[2] Jerem. xi, 19. — [3] 1 Cor. iv, 13. — [4] 1 Joan. ii, 1, 2. — [5] 1 Tim. iv, 10. — [6] Coloss. ii, 14, 15. — [7] Ibid. 15.

qui ante prævaluerant, serviunt ipsi, « quoniam liberavit » mendicum a potente » per propriam passionem, « et pau- » perem, cui nullus erat adjutor[1]. » Hic igitur Servator humiliato calumniatore[2] (eo quod seipsum humiliaverit), cum intellibigili sole permanet, coram splendissima Ecclesia (quæ tropice luna dicitur), a generatione in generationem....... Et cum pergit victoriis trophæisque onustus, cum corpore quod ex mortuis resurrexerat (quomodo enim aliter intelligere oportet illud : « Nondum ascendi ad Patrem meum ? » et illud : « Vado ad Patrem meum ?) » nunc aliquæ quidem potentiæ dicunt : « Quis est iste qui accedit ex Edom, ru- » bra vestimenta habens ex Bosor ? adeo speciosus[3] ? » Qui vero præibant illum, illis qui præfecti erant portis cœlestibus inquiunt : « Tollite portas, principes, vestras, et ele- » vamini portæ æternales, et introibit Rex gloriæ[4]. » Propterea vero interrogant, veluti aspectu ipso, ut ita dicam, ipsius dexteram videntes cruentatam, eumque totum repletum operibus strenue gestis : « Quare rubra sunt vestimenta » tua sicut calcatio torcularis pleni uva calcata[5] ? » quando et respondet : « Calcavi eos. » Vere ob hæc indiguit ut lavaret « in vino stolam suam, et vestimentum suum in san- » guine uvæ[6]. » Infirmitates enim nostras cum sumpsisset, ægritudinesque portasset, totiusque mundi peccatum cum sustulisset[7], et in tot beneficia contulisset, fortassis tum baptismum accepit quovis alio qui apud homines excogitari potest, majorem, de quo reor eum dixisse : « Baptismo au- » tem habeo baptizari, et aliquo modo coarctor donec per- » fectum fuerit[8]. » .... Verum non omnium peccatum ab Agno aufertur, nempe eorum qui non dolent, quique non affliguntur, donec ablatum fuerit. Spinæ namque non tantum infixæ, sed etiam altius radicatæ in manibus cujuscum-

[1] Psalm. LXXI, 12. — [2] Ibid. 4 et 5. — [3] Isai. LXIII, 1. — [4] Psalm. XXIII, 7, 9. — [5] Is. LXIII, 2, 3. — [6] Gen. XLIX, 11. — [7] Is. LIII, 4. — [8] Luc. XII, 50.

que per vitium temulenti, quique sobrietatem perdiderit, juxta illud quod in Proverbiis dicitur : « Spinæ nascuntur » in manu temulenti [1], » quantum doloris parient in eo qui tales plantas admiserit in corpus suæ ipsius animæ, jam dicere difficillimum est. Nam abscindatur oportet a sermone Dei viventis, penetrantiore quovis gladio utrinque incidente [2], et efficaci, et supra omnem ignem comburente, quisquis eo profunditatis suæ ipsius animæ admisit vitium, ut factus sit terra spinas germinans. Et profecto opus erit ad hujusmodi animam ignem mitti invenientem spinas, propeque eas stantem, ac penetrantem sua ipsius divinitate, nec combusturum areas, vel spicas camporum. Verum enimvero Agni tollentis peccatum mundi, idque per propriam cædem incipientis, complures sunt viæ; quarum aliæ quidem manifestæ possunt esse vulgo, aliæ vero vulgus latentes his qui divina sapientia digni habiti fuerint, quibus solis sunt notæ. Quid enim opus est recensere quot viis ad credendum veniat quis inter homines, cum liceat unicuique, dum adhuc in hoc est corpore, ex se id considerare? Verumtamen per vias credendi licet peccatum quoque tollere, per flagella, per spiritus malos, per morbos difficillimos, per infirmitates laboriosissimas. Quis ergo novit quæ sunt etiam post hæc? cæterum necessarium fuit ne respueremus eum qui assequi videtur veram intelligentiam sermonis illius qui dicit : « Ecce Agnus ille Dei, qui tollit peccatum mundi [3], » diutius de hisce rebus disserere, ut scientes nos et furore Dei aliquando redargui, et ira Dei corripi, neminem ob amorem erga genus humanum, vel ad hyperbolen usque, sinentis omnino irredargutum, atque non correptum, omnia faciamus, ut talibus redargutionibus, atque correptione ea quæ sita est in rebus asperrimis atque molestissimis, non egeamus.

[1] Prov. xxvi, 9. — [2] Hebr. iv, 12. — [3] Joan. i, 29.

TOMUS DECIMUS[1].

§ I.

De mensariis templo ejectis.

« Et ascendit[2] Jerosolymam Jesus, et reperit in templo » eos qui vendebant boves, et oves, et columbas, et men- » sarios sedentes. Et cum fecisset flagellum e funiculis, eje- » cit e templo oves simul ac boves; et mensariorum æs » effudit, et mensas subvertit; et his qui columbas vende- » bant dixit : Auferte ista hinc, nec facite domum Patris » mei domum mercatus. Tunc recordati sunt discipuli ejus » scriptum esse : Zelus domus tuæ comedit me[3]. » Notandum quidem est Joannem scribere secundum Jesu opus fuisse id quod fecit erga repertos a se vendentes oves, et boves, et columbas in templo; cum cæteri fere in fine vicinum illud faciant dispensationi illi quæ erat tempore passionis : et Matthæus quidem sic : « Et cum intrasset » ipse Jerosolymam, commota est universa civitas dicens : » Quis est hic ? Turbæ autem dicebant : Hic est Jesus ille » propheta a Nazareth Galilææ. Et intravit Jesus in tem- » plum, et ejecit omnes vendentes et ementes in templo; » mensasque mensariorum et cathedras vendentium co- » lumbas subvertit; et dicit eis : Scriptum est : Domus » mea, domus precationis vocabitur; at vos facitis illam » speluncam latronum[4]. » At Marcus : « Et veniunt Jero-

[1] Tom. IV, p. 160 et seqq. — [2] N. 15, 16. p. 180-186.
[3] Joan. II, 13 et seq. — [4] Matth. XXI, 10 et seq.

» solymam : ingressusque Jesus in templum cœpit ejicere » eos qui vendebant et emebant in templo; et mensas » argentariorum sellasque vendentium columbas subver- » tit : nec permittebat ut quisquam deportaret vas per » templum; et docebat, dicens illis : Nonne scriptum est : » Domus mea, domus precationis vocabitur omnibus gen- » tibus? Vos autem fecistis eam speluncam latronum[1]. » Lucas vero : « Et ut appropinquavit, videns civitatem, fle- » vit super illam, dicens : Quia si cognovisses et tu in die » illa quæ ad pacem; nunc autem occultata sunt ab oculis » tuis, quia supervenient tibi dies, et circumdabunt te, et » cingent te undique, et solo æquabunt te, et filios tuos, » et non relinquent in te lapidem super lapidem, eo quod » non cognoveris tempus visitationis tuæ. Et ingressus in » templum, cœpit ejicere vendentes, dicens illis : Scrip- » tum est : Et erit domus mea domus precationis; vos au- » tem fecistis illam speluncam latronum[2]. » Præterea hoc etiam observandum est, quod his quæ dicta sunt apud tres Evangelistas in ascensu Domini ad Jerosolymam, in quo hæc fecit in templo, similia scripserit Joannes post multa fuisse facta, nempe post alterum ipsius adventum ad Jerosolymam, a præsenti diversum. Sunt autem hunc in modum consideranda, atque in primis quæ a Matthæo traduntur : « Et cum appropinquassent Jerosolymis, et ve- » nissent Bethphage ad montem Olivarum, tunc Jesus mi- » sit duos discipulos, dicens eis : Ite in vicum qui e re- » gione vestri est, et statim invenietis asinam alligatam, et » pullum cum ea; solvite, et adducite mihi : et si quis vo- » bis dixerit : Quid facitis? dicetis : Dominus his opus ha- » bet; et confestim dimittet eos. Hoc autem totum factum » est, ut impleretur quod dictum est per Prophetam dicen- » tem : Dicite filiæ Sion : Ecce Rex tuus venit mansuetus,

[1] Marc. XIII, 15 et seq. — [2] Luc. XIX, 41 et seq.

» et sedens super asinam et pullum filium subjugis. Profecti autem discipuli fecerunt sicut præceperat illis Jesus, » et adduxerunt asinam et pullum, et imposuerunt super » eos vestimenta sua, et insedit illis. Plurima autem turba » straverunt vestimenta sua in via. Porro turbæ, quæ præ- » cedebant eum et sequebantur, clamabant dicentes : Ho- » sanna filio David ! benedictus qui venit in nomine Domini : » Hosanna in altissimis[1] ! » Deinde vero sequuntur : « Et » cum intrasset ipse Jerosolymam, commota est universa » civitas ; » quæ in superioribus citavimus. Nunc vero verba Marci consideremus : « Et cum appropinquant Jerosoly- » mis, ad Bethphage et Bethaniam, juxta montem Olivarum, » emittit duos e discipulis suis, et dicit illis : Abite in vicum » qui e regione vestri est, et statim ingredientes in illum in- » venietis pullum alligatum, super quem nullus adhuc ho- » minum sedit : solvite eum, et adducite. Et si quis vobis » dixerit : Cur facitis hoc? dicite quod Dominus eo opus » habet, et continuo illum mittet huc. Et abierunt, et in- » venerunt pullum alligatum juxta januam foris in bivio, » et solvunt illum. Et nonnulli eorum qui illic stabant di- » cebant illis : Quid facitis solventes pullum ? At illi dixe- » runt eis quemadmodum præceperat Jesus; et sinebant » illos : et adduxerunt pullum ad Jesum, et injecerunt » illi vestimenta sua. Alii autem frondes cædebant de ar- » boribus, et sternebant in via. Et qui præcedebant, quique » sequebantur, clamabant dicentes : Hosanna ! benedic- » tus qui venit in nomine Domini ; Benedictum quod venit » regnum patris nostri David : Hosanna in altissimis ! Et » ingressus est Jerosolymam in templum, et cum circum- » spexisset omnia, jamque tempus esset vespertinum, in- » gressus est Bethaniam cum duodecim ; et postero die, » cum exissent Bethania, esuriit[2]. » Deinde post ficus are-

[1] Matth. XXI, 1 et seq. — [2] Marc. XI, 1 et seq.

factæ mysterium, « veniunt Jerosolymam. Et ingressus in » templum, cœpit ejicere vendentes ; » et quæ sequuntur hunc in modum a Luca narrata : « Et evenit, cum appro- » pinquasset ad Bethphage et Bethaniam, juxta montem » qui vocatur Olivarum, misit duos discipulos dicens : Ab- » ite in castellum quod est ex adverso, in quod introeuntes » invenietis pullum alligatum, in quo nemo unquam ho- » minum sedit ; solvite illum, et adducite ; et si quis vos » interrogaverit : Quare solvitis ? sic dicetis : Quia Domi- » nus eo opus habet. Abierunt autem discipuli, et invene- » runt sicut dixerat eis. Solventibus autem illis pullum, » dixerunt domini ejus ipsis : Quare solvitis pullum ? at illi » dixerunt : Quia Dominus eo opus habet. Et duxerunt il- » lum ad Jesum, injectisque vestimentis suis super pullum, » imposuerunt Jesum. Proficiscente autem illo, substerne- » bant vestimenta sua in via. Et cum appropinquaret jam ad » descensum montis Olivarum, cœperunt omnis multitudo » discipulorum gaudentes laudare Deum voce magna super » omnibus quas viderant virtutibus, dicentes : Benedictus » Rex in nomine Domini : pax in cœlo, et gloria in altissi- » mis ! Et quidam Pharisæorum e turba dixerunt illi : Ma- » gister, increpa discipulos tuos. Quibus respondens ait : » Dico vobis, si hi tacuerint, lapides clamaturos. Et ut ap- » propinquavit, intuitus civitatem, flevit super illam [1], » et quæ sequuntur a nobis posita. Atque Joannes post illud : « Et ascendit Jesus Jerosolymam, et reperit in templo ven- » dentes oves et boves [2], » pluribus interjectis, alterum Domini enarrans ad Jerosolymam ascensum post eam cœnam quæ Bethaniæ fuit ante sex dies paschatis [3], in qua Martha ministrabat Lazaro accumbente, hæc inquit : « Postero » die turba multa, quæ venerant ad diem festum, cum au- » dissent quod veniret Jesus Jerosolymam, acceperunt ra-

[1] Luc. XIX, 29 et seq. — [2] Joan. II, 13. — [3] Id. XII, 1, 2.

» mos palmarum, et processerunt obviam ei, et clamabant : » Hosanna ! benedictus in nomine Domini rex Israëlis. Nac- » tus autem Jesus asellum, insedit ei, sicut scriptum est[1] : » Ne metue, filia Sion; ecce Rex tuus venit sedens super » pullum asinæ[2]. » Porro hæc me necessario fecisse reor, etiamsi quamplurima Evangelistarum verba citarim, ut ostenderem dissonantiam quæ est in textu : tribus quidem in uno eodemque Domini ad Jerosolymam advent tibus ea, quæ multi existimant eadem esse cum his quæ Joannes etiam scripserit; Joanne vero hæc quæ exposuimus referente facta fuisse in duobus Domini ascensibus ad Jerosolymam, atque diversis distantibusque actionibus; enarrante etiam Dominum interim ad diversa loca profectum fuisse. Itaque meum est judicium minime ostendi posse apparentem dissonantiam, consonam existere his qui in hisce rebus nihil præter historiam admittunt. Quod si quis nos recte non exposuisse retur, contra hanc nostram intelligentiam prudenter scribat.

Cæterum postulantes ab eo qui dat omni petenti et omni conanti acute quærere, itemque eum pulsantes ut nobis aperiantur scientiæ clavibus occulta Scripturæ, juxta vires nobis suppeditatas exponemus quæ nos movent ad horum concordiam, cumprimis videntes Joannis textum incipientem ab illis verbis : « Et ascendit Jesus Jerosoly- » mam[3]. » Est igitur Jerosolyma, ut ipse Dominus docet in Evangelio secundum Matthæum, « civitas Regis magni[4], » non in convalle vel inferne alicubi posita, sed in alto monte ædificata, ac « Montes in circuitu ejus, cujus participatio » ejus in idipsum[5]; *et :* Illuc ascenderunt tribus Domini, » testimonium Israëli[6]. » Vocatur autem hæc et civitas, et Jerusalem, ad quam nullus eorum qui manent in terris as-

[1] Zachar. IX, 9. — [2] Joan. XII, 12 et seq. — [3] Joan. II, 13. — [4] Matth. V, 35. — [5] Psal. CXXIV, 2. — [7] Psal. CXXI, 3, 4.

cendit, neque ingreditur; sed quælibet anima quæ naturalem habet celsitudinem, vimque acute intelligendi perspiciendique intelligibilia, hujus civitatis est civis. Fieri etiam potest ut in peccato sit etiam Jerosolymita; quod possint etiam optimo ingenio præditi peccare (ni celerius post peccatum redeant) perdentes aptitudinem illam, et futuri in una eorum civitatum, quæ alienæ sunt a Judæa, non solum advenæ, verum etiam in ea nomen suum daturi. Ascendit Jesus Jerosolymam, postquam opem tulisset his qui erant in Cana Galilææ; ac deinde Capharnaüm descendit, facturus Jerosolymis quæ sunt scripta. Reperit ergo in templo, quod et domus Patris Servatoris esse dicitur, hoc est in Ecclesia, vel in annuntiatione ecclesiastici et sani sermonis, quosdam qui domum Patris domum mercatus facerent. Ac semper aliquos reperit Jesus in templo. Quando enim in ea quæ dicitur Ecclesia, quæ est domus Dei viventis, columna et firmamentum varitatis [1], non sunt aliqui mensarii sedentes, quibus opus sit plagis ex flagello e funiculis a Jesu facto? Rursus quando non sunt argentarii, quibus sit opus illorum æs effundi, ac mensas ipsorum subverti? Quando item non sunt qui mercatorum more vendunt boves, quos oportuit servare ad aratrum, ut injectis ad ipsum manibus, nec ad posteriora conversi, regno Dei sint apti? Sed quando non sunt præferentes mammonam iniquitatis ovibus quæ ipsis materiam se ornandi præbent? Sunt etiam complures qui sinceritatem et puritatem privatam omni amaritudine et bili spernant, etiam lucri infelicis causa prodentes diligentiam eorum qui tropice columbæ dicuntur. Cum igitur reperit Servator in templo, quod est domus Patris, vendentes boves, et oves, et columbas, et mensarios sedentes, expellit illos, usus flagello e funiculis a se facto, una cum ovibus bobusque venalibus, ipsorum etiam

[1] 1 Tim. III, 15.

pecunias congregatas effundens, tanquam indignas quæ simul tenerentur, et ipsarum inutilitatem ostendens. Subvertit etiam, quæ in avarorum erant animis, mensas, dicens his qui columbas vendebant : « Auferte ista hinc [1], » ne posthac in templo Dei vendantur. Arbitror vero ego Jesum ipsum edidisse signa, per ea quæ dixit, profundius, ut nos intelligeremus significari per hæc, quod non amplius in posterum perficiendus esset cultus a sacerdotibus in templo illo, juxta cultus sub sensum cadentes, neque Legem servari posse amplius constanter, saltem ut volebant corporales Judæi. Neque enim expellente Jesu boves et oves, jubenteque inde auferri columbas, futurum erat ut in multum temporis immolarentur boves, et oves, et columbæ, juxta Judæorum morem. Fieri enim potest ut numismata, quæ figuræ sunt numismatum corporalium, et non habentium Dei formas et impressiones, effundantur, quoniam Legis constitutio, quæ veneranda esse videbatur, propter occidentem litteram dissolvenda effundendaque erat, et adveniente Jesu, atque utente adversus populum flagellis, transferendum erat sacerdotium ad eos qui ex gentibus credidissent in Deum per Christum a Judæis; a quibus etiam auferendum regnum Dei dandum erat genti facienti fructus ejus [2]. Fieri vero etiam potest ut naturaliter Dei templum sit anima rationi obtemperans, corpore superior propter ingenitam sibi rationem existens, ad quam e Capharnao inferne posita, nimirum in humilioribus, ascendit Jesus : in qua reperiuntur terreni, antequam a Jesu erudiatur castigeturque, et fatui, et bestiales motus, atque ea quæ nos, cum non sint, in bonis ducimus, quæ expelluntur a Jesu, ratione contexta ex dogmatibus demonstrativis et objurgatoriis, ne anima domus Patris sui sit amplius domus mercatus, sed recipiat Dei cultum, qui peragitur juxta cœlestes spiritualesque le-

[1] Joan. II, 16. — [2] Matth. XXI, 43.

ges, tum pro sua, tum pro plurium salute. Motuum sane terrenorum nota est bos, cum sit agricultor; fatuorum autem et bestialium, ovis, quoniam præ omnibus brutis servile est animal; levium vero, et instabilium cogitationum, columba; eorum vero quæ in bonis ducimus, numismata. Quod si quis expositione hac offenditur, quia pura sint animalia quæ in Scripturam fuere assumpta, dicendum est dubiæ fidei futuram Scripturam secundum contingentem historiam, si narraret ingressa fuisse alia animalia etiam ad mercaturam, præter ea quæ immolabantur; quod dici non posset aliorum animalium gregem, præter quam purorum, fuisse in templo Dei. Quapropter Evangelista, judicio meo, usus est re illa quam mercatores fecere, qui advenerant temporibus Judaïcarum festivitatum, induxerantque animalia hæc in templi vestibulum exterius. Porro cui curæ est accuratior inquisitio, considerabit an juxta dignitatem præsentis vitæ erat, ut Jesus, qui fabri filius putabatur[1], rem talem auderet facere; extrudere videlicet mercatorum multitudinem qui ad diem festum ascenderant, distributuri boves ditioribus, et tanto populo oves mactandas per domos familiarum, quæ multorum millium complerent numerum, atque eos qui in rebus talibus gloriantes producturi in medium erant columbas, quas multi empturi erant, ceu in conventu celeberrimo convivaturi. Considerabit etiam an nummulariorum erat non accusare Jesum injuriæ propter suas ipsorum effusas pecunias et mensas subversas. Quis autem flagello e funiculis verberatus expulsusque ab eo qui penes eos habebatur vilis, hunc adortus non inclamasset, totis viribus sese ulciscens, cum præsertim tantam haberet multitudinem eorum qui sibi æque contumeliam fieri credebant, faventem sibi adversum Jesum? Insuper consideremus Dei Filium funiculos sumentem, sibique flagellum texentem

[1] Matth. XIII, 55. Marc. VI, 3.

ad extrudendum e templo, an non repræsentet, præter audaciam et temeritatem, inordinatum etiam quiddam. At vero unum relinquitur defensionis suffugium contra hæc volenti etiam historiam servare, vis quædam Jesu divinior, qui poterat, cum vellet, inflammatum inimicorum animum extinguere, et multa hominum millia superare gratia divina, et cogitationes tumultuantium dissipare : « Dominus *enim* » dissipat consilia gentium, et spernit cogitationes populo- » rum; consilium autem Domini in sempiternum pers- » tat[1]. »....

§ II.

De ingressu Christi Jerosolymam.

Sed[2] jam cognata huic loco (nimirum quod ejecti fuerint e templo qui illud facerent domum mercatus) apud cæteros posita consideranda sunt. Ac sane videamus inprimis quæ sunt apud Matthæum dicentem, ingresso Domino Jerosolymam, commotam fuisse universam civitatem[3], dicentem : « Quis est hic[4] ? » narrantemque ante hæc de asina et pullo, sumptis jussu Domini a duobus discipulis ab ipso missis a Bethphage, et inventis in vico e regione ipsius existente, ubi et a duobus discipulis solvitur asina antea alligata, jussis, si quis quid illis dixisset, respondere : « Domi- » nus his opus habet, et confestim dimittet eos[5]. » Narrat etiam Matthæus per hæc impleri prophetiam factam, dicentem : « Ecce Rex venit mansuetus, et sedens super asinam, » et pullum filium subjugis[6], » quam apud Zachariam invenimus[7]; et inquit profectos discipulos, cum fecissent quæ illis jussisset Jesus, asinam adduxisse et pullum, atque im-

[1] Psal. xxxii, 10, 11.
[2] N. 17-19. p. 186-196.
[3] Matth. xxi, 10. — [4] Ibid. 1 et seq. — [5] Ibid. 3. — [6] Ib. 5. — [7] Zach. ix, 9.

posuisse super eos vestimenta sua[1]; Dominumque illis, nimirum asinæ et pullo, insedisse, tum scilicet cum turba stravit vestimenta in via, et alii ab arboribus resectos ramos in via sternerent, præcedentibus ac sequentibus turbis, quæ clamarent : « Hosanna filio David ! benedictus qui venit » in nomine Domini : Hosanna in altissimis[2] ! » Verumtamen postquam ingressus est horum gratia Jerosolymam, « com- » mota est universa civitas, dicens : Quis est hic[3] ? » Et turbæ, videlicet quæ præcedebant et sequebantur, responderunt interrogantibus quis esset : « Hic est ille Jesus propheta, » ille a Nazareth Galilææ. Et intravit Jesus in templum, et » ejecit omnes vendentes et ementes in templo, mensasque » mensariorum et cathedras vendentium columbas subver- » tit, et dicit eis : Scriptum est : Domus mea domus pre- » cationis vocabitur; at vos facitis illam speluncam latro- » num[4]. » Interrogemus igitur eos qui nihil ultra historiam propositum fuisse rentur Matthæo Evangelium scribenti, quid illud erat perurgens uti mitterentur duo discipuli in vicum qui erat e regione Bethphage, asinam alligatam repertam, et pullum cum ea soluturi, et adducturi ad eum. Quid autem scriptione dignum fecit Jesus asinæ insidens et pullo, et ingressus in civitatem ? Cur autem prophetans Zacharias quæ de Christo postea evenerunt, ait : « Gaude » valde, filia Sion ; annuntia, filia Jerusalem : Ecce Rex tuus » venit tibi justus, et servans ipse, mansuetus, et ascendens » super subjugum et pullum novum[5] ? » Nam si prophetia hæc tantum prædicit id quod Evangelistæ corporaliter repræsentant, consequentiam prophetiæ servent nobis, litteræ insistentes, sic habentem : « Et excindet currus ex Ephraïm, » et equum ex Jerusalem, et excindetur arcus bellicus, et » multitudo, et pax ex Gentibus, et imperabit aquis usque

[1] Matth. xxi, 6 et seq. — [2] Ibid. 9. — [3] Ib. 10. — [4] Ibid. 11 et seq. — [5] Zach. ix, 9.

» ad mare, et fluviis usque ad exitus terræ[1], » et quæ sequuntur. Sciendum est etiam Matthæum non protulisse textum prout jacet apud Prophetam; pro eo namque quod erat : « Exulta vehementer, filia Sion; annuntia, filia Jerusalem[2], » scripsit : « Dicite filiæ Sion[3] : » abbrevians illud quod Propheta dixerat, tacuit « justus, et servans ipse, » et dixit, ut positum est, « mansuetus, et ascendens : » et pro eo quod erat, « super subjugum, et pullum novum, » scripsit, « super » asinam, et pullum filium subjugis. » Quin Judæi quoque, prophetiæ seriem cum his quæ de Jesu scripta sunt conferentes, non vulgariter nos urgent, petentes quomodo Jesus exciderit currus ex Ephraïm, et equum ex Jerusalem, exciderítque arcum bellicosum, ac fecerit quæ sequuntur. Sed hactenus quidem de prophetia. Quod si longitudinem viæ prætendent, nihil dignum invenientes œconomia Filii Dei in sermone de asina et pullo, primum quidem, qui quindecim stadiis utuntur existentibus parva distantia, non admodum consentaneam defensionem viæ afferent; deinde vero causam nobis dicant, quomodo ad viam tam brevem duobus jumentis opus habeat : « Insedit *enim, inquit,* illis[4]. » Præterea illud etiam : « Si quis vobis aliquid dixerit, dicite » quod Dominus his opus habet, statimque dimittet eos[5], » non arbitror dignum esse magnitudinis deitatis Filii, ut dicamus tali naturæ fatendum esse sibi opus esse asina soluta a vinculis, et pullo cum ea veniente. Magnum enim omne sit oportet, dignumque bonitate ejus, quo Filius Dei opus habeat. Ad hæc vero plurima turba vestimenta sua sternens in via (tolerante hæc Jesu, et non increpante, ut perspicuum est ex his quæ alii narrant, nimirum : « Si hi ta- » cuerint, lapides clamabunt[6], ») haud scio an non ostendant stolidam causam ipsius (si nihil aliud ex his declaratur) qui

[1] Zachar. IX, 10. — [2] Ibidem, 9. — [3] Matth. XXI, 5. — [4] Ibidem, 7. — [5] Ibid. 3. — [6] Luc. XIX, 40.

ob hæc lætatur. Jam ramos ab arboribus excisos in via sterni asinis pertranseuntibus, et impedimenta anteponi, injuria potius afficientis quam excogitata laus videri potest. Cæterum his similia, de quibus dubitavimus eorum causa qui e templo ejecti fuere ab ipso, atque etiam majora, hoc in loco dicenda sunt. In Evangelio enim Joannis ementes ejicit[1], dicente Matthæo omnes eum ejecisse, tum vendentes, tum ementes in templo[2]. Longe autem major, ut probabile est, ementium quam vendentium erat numerus. Notemus etiam, annon supra dignitatem Jesu erat, qui putabatur filius esse fabri[3], omnes ejicere vendentes et ementes in templo, nisi forte, ut etiam illic diximus, potentia diviniore subegit omnes, qui acerbiora apud alios Evangelistas quam apud Joannem audiunt. Nam narrante Joanne illis dictum fuisse a Jesu : « Nolite facere domum Patris mei, domum » mercatus[4], » apud alios redarguuntur fecisse domum precationis speluncam latronum[5], nequeunte domo Patris fieri spelunca latronum sed eousque a peccatoribus adducta ut ipsa fiat mercatus domus. Non tantum vero domus precationis (omnino Patris domus cum sit) neglecta latrones etiam suscipiet, domus illorum non existens, sed etiam spelunca efficietur, res minime facta a diligentia architectonica et rationis compote.

Atque hæc quidem videre quomodo se habeant, mente atque intelligentia vera data his qui dicunt : « Nos autem » mentem Christi habemus, ut videamus quæ a Deo donata » sunt nobis[6], » esse credimus supra captum nostrum. Neque enim ea animæ pars præstantissima, principatum quam vocamus, in nobis est pura ; sed ne oculi quidem puri sunt, quales oportet esse oculos pulchræ sponsæ Christi, de qui-

[1] Joan. II, 15. — [2] Matth. XXI, 12. — [3] Id. XIII, 55. Marc. VI, 3. — [4] Joan. II, 16. — [5] Matth. XXI, 13. Marc. XI, 17. Luc. XIX, 46. — [6] I Corinth. II, 16, 12.

bus inquit sponsus : « Oculi tui columbæ[1] ; » fortasse innuens vim acutæ intelligentiæ quam habent spirituales, propterea quod etiam super Dominum, atque super singulos ipsum habentes, Spiritus sanctus sicut columba advenit : attamen sic etiam affecti non tardabimus contrectantes dictos vitæ sermones, periculum facere percipiendi vim ipsorum diffluentem in eum qui cum fide tetigerit. Est igitur Jesus Dei sermo qui ingreditur in animam, quæ vocatur Jerosolyma, vectus asina, quam discipuli a vinculis solverunt; vectus, inquam, asina, hoc est litteris veteris Instrumenti simplicibus, quas explanarunt illas solventes discipuli duo : altero ad animæ medelam reducente ea quæ scripta sunt, ejusque gratia per allegorias illa tractante; altero futura, eaque vera bona, per ea quæ in umbra posita erant, edocente. Sed vehitur etiam novo pullo, hoc est novo Instrumento : in utrisque enim invenire licet veritatis sermonem nos purificantem, expellentemque cogitationes omnes in nobis vendentes et ementes. Solus autem ad Jerosolymam, animam, non venit : sed neque cum paucis quibusdam; multa enim sint in nobis oportet præcedentia sermonem nos perficientem, aliaque quamplurima ipsum sequentia, nimirum omnia ipsum laudantia et glorificantia, propriumque ornamentum ac vestem ipsi supponentia, quo vehicula ipsius terram non tangant, habentia eum qui e cœlo descendit in se requiescentem. Ut autem magis sint supra terram ipsum vehentes, nimirum Scripturarum sermones novi et veteres, excindantur rami de arboribus oportet, ut ascendant super ea quæ rationi convenienter sunt exposita. Cæterum præcedentes ipsum ac sequentes turbæ declarare possunt Angelicas cooperationes : aliquibus quidem præparantibus illi viam in animabus nostris, quibus ipsi honestentur; aliquibus vero adventum ipsius intra nos sequenti-

[1] Cant. I, 15.

bus. Qua de re sæpius cum disseruerimus, nunc ad hoc testibus non egemus. Ac fortasse non ab re assimilavi asinæ voces quæ circumsteterunt Sermonem, ducentes ipsum ad animam : nam et animal esse asina onera gestans, et multum ponderis, onusque grave, declaratur ex Scriptura, præsertim veteris Instrumenti, ut perspicuum est inspicienti quæ apud Judæos fiunt. Sed non sic pullus, ut asina, gestat onera : quamvis enim grave sit omne onus litteræ non valentibus id quod spiritus habet, sursum tendens, ac levissimum capere ; minus tamen oneris habet Instrumentum novum, quam vetus. Proinde quosdam novi qui asinam quidem alligatam, esse interpretarentur ex circumcisione credentes, quos a multis vinculis solvissent hi qui sincere per Filium Dei spiritualiter edocti fuere ; pullum vero, Gentiles, qui antequam Jesu sermonem susciperent, extra omne impositum jugum existentes, nullo coërcebantur freno, sed soluti erant ac voluptatis amantes. Quamvis autem hi non disseruerint de præcedentibus et sequentibus turbis, non improbabile tamen fuerit dicere præcedentes esse Moysen et Prophetas ; sequentes vero, sanctos Apostolos : de quibus omnibus, quam ingrediantur Jerosolymam, et in quam domum habentem multos vendentes et ementes expulsos a Filio Dei, quantum ad hunc sermonem spectat, quærendum est. Et fortasse superna Jerusalem ad quam ascendet Dominus, aurigæ instar ducens eos qui ex circumcisione et ex Gentibus credunt, præcedentibus eum et sequentibus vel Prophetis et Apostolis, vel ministrantibus ipsi Angelis (possunt quippe ita exponi ex iis qui ipsum præcedunt et sequuntur) ; superna, inquam, Jerusalem nunc dici potest quæ ante ipsius ascensum ea continebat, qui dicuntur « spiritualia nequitiæ in cœlestibus[1], » nimirum vel Chananæos, et Chettæos, et Amorrhæos, et

[1] Ephes. vi, 12.

hostes populi, et omnino alienos; cum illic etiam aliquo modo impleri posset prophetia dicens : « Terra vestra de-» serta, civitates vestræ igni succensæ : ipsam regionem » vestram coram vobis alieni devorant[1]. » Hi enim sunt qui cœlestem Patris domum, Jerusalem sanctam, domum precationis inquinantes, speluncam etiam fecerunt latronum, non aliorum quam sui ipsorum, qui argentum habent adulteratum, dantes accedentibus obolos et collyba, vilia et contemptibilia numismata. Hi sunt qui dum cum animabus luctantur, pretiosiora ab illis auferunt, deprædanturque præstantiora, ut dent ea quæ nullius sunt pretii. Attamen profecti discipuli inveniunt asinam alligatam, et non habentem Jesum, propter impositum legi velamen, et solvunt. Quin invenitur et pullus cum ea : quoniam utraque ante Jesum perierant; dico autem tam eos qui ex circumcisione, quam eos qui ex Gentibus postea crediderunt. Verum enimvero quomodo mox rursus hi mittuntur, postquam insidens asinæ Dominus Jerosolymam ascendit, dici non potest sine periculo, res alioqui mystica, et conjuncta mutationi sanctorum in Angelos mittendos in futuro sæculo, perinde atque illi administratorii spiritus, qui mittuntur in ministerium eorum qui hæreditatem sortientur vitæ æternæ propter hæc[2]. Quod si asina et pullus litteræ veteres et novæ sunt, quibus Sermo ille Dei vehitur, haud admodum difficile fuerit ostendere, postquam insederit super illis Sermo, et postquam ingressus fuerit Jerosolymam, quomodo remittantur non manentes inter eos qui ejecerunt a se cogitationes omnes vendentes et ementes. Arbitror vero ego non frustra etiam vicum, eumque sine nomine, esse locum hunc ubi alligata asina erat et pullus. Vicus enim comparatione totius ornatus qui est in cœlo, universa est terra, ubi est alligata asi-

[1] Isai. I, 7. — — [2] Hebr. I, 14.

na et pullus, et vicus contentus vocari absque adjectione alterius nominis. A Bethphage vero Matthæus inquit missos fuisse, qui assumerent asinam et pullum. Sane hæc Bethphage locus est sacerdotalis, quem (si interpreteris) vocare possis Domum maxillarum. Et hæc quibus habuimus quæ dissereremus pro virili de his quæ sunt apud Matthæum, pleniorem atque accurationem sermonem habituri, nacti commodiorem occasionem interpretandi Evangelium a Matthæo traditum. At Marcus et Lucas pullum alligatum, super quem nullus unquam hominum sedisset, repertum dicunt juxta Domini jussionem a duobus discipulis, quem solutum ad Dominum duxerint[2]. Addit autem Marcus repertum pullum alligatum ad januam foris in bivio[3]. Sed quis foris erat, nisi Gentiles, extranei a testamentis, et alieni a promissione Dei[4]; in bivio, non sub tecto domove acquiescentes, propriis peccatis vincti, et soluti a prædicta duplici scientia familiarium Jesu? Vincula vero alligatæ asinæ, et peccata facta circa sanam doctrinam redarguta ab ipso qui erat janua vitæ, respectu illius januæ vitæ, non erant intra januam, sed foris[5]. Nam fortassis intra januam fieri nequit vinculum vitiositatis. Steterunt autem, ut Marcus scribit, quidam apud alligatum pullum[6], nimirum qui ligaverunt ipsum, pulli domini, ut Lucas scribit, dixeruntque ad discipulos : « Cur pullum solvitis[7]? » Domini enim qui subjecerant et ligaverant peccatorem, iniqui et exleges sunt, qui respicere nequeunt in verum Dominum liberantem pullum a vinculis ipsorum. Quoniam ergo inquiunt discipuli : « Dominus illo opus habet[8], » nihil valentibus pravis dominis respondere, ducunt ad Jesum pullum nudum, et substernunt proprium ornamentum, ut injectis vestimen-

[1] Matth. xxi, 1, 2. — [2] Marc. xi, 2, 4, 7. Luc. xix, 30, 32, 35. — [3] Marc. xi, 4. — [4] Ephes. ii, 12. — [5] Joan. x, 9. — [6] Marc. xi, 5. — [7] Luc. xix, 33. — [8] Ibid. 34.

tis discipulorum insidens Jesus quiescat. Cætera ex his quæ dicta sunt apud Matthæum, non admodum obscura erunt : nempe quonam pacto « veniunt Jerosolymam, et ingressus » in templum cœpit ejicere vendentes et ementes in tem- » plo[1] ; » vel, « ut appropinquavit, intuitus civitatem, flevit » super illam ; cumque ingressus esset in templum, cœpit » ejicere vendentes[2]. » In aliquibus etenim habentibus in se templum, ejicit omnes vendentes et ementes in templo; in aliis vero non admodum parentibus sermoni Dei, tantum facit initium ejiciendi vendentes et ementes. Præter hos vero sunt etiam tertii, in quibus cœpit ejicere tantum vendentes, non etiam ementes. Verum apud Joannem omnes ejiciuntur flagello ex funiculis plicato, una cum ovibus et bobus[3]. Inspice vero diligenter an alterationes rerum scriptarum, dissonantiæque dissolvi possint tropo anagogico : nimirum unoquoque Evangelistarum diversas actiones Sermonis describente in diversis animarum moribus, non eadem, sed similia quædam perficientes. Quin differentia etiam illa quæ videtur esse de ascensionibus Domini ad Jerosolymam apud Joannem qui Evangelium quod in manibus habemus aliter quam tres scripsit, ut exposuimus in verbis ipsorum, sic solum servari potest, Joanne similia asserente, et dicente, pro excisis ab arboribus ramis, vel frondibus ex agris, et stratis in via, ramos palmarum multam turbam, quæ venerat ad diem festum[4], accepisse, et processisse obviam ei clamantem : « Benedictus qui venit in » nomine Domini, *et,* Rex ille Israëlis. » Cæterum ab ipso Jesu inquit Joannes repertum asellum, super quem sedit Christus[5]; majus quiddam nobis ob oculos ponens per hunc asellum sic tropice dictum, qui beneficium majus accepit « non ab hominibus, neque per homines, sed per Jesum

[1] Marc. XI, 15. — [2] Luc. XIX, 41, 45. — [3] Joan. II, 15. — [4] Idem, XII, 12, 13. — [5] Ibid. 14.

» Christum[1]. » Quin ne Joannes quidem ipse protulit prophetiam iisdem verbis, sed pro ea dixit : « Noli timere, filia » Sion : ecce Rex tuus venit sedens super pullum asinæ[2] ; » pro eo quod est : « Ascendens super subjugalem, et pullum » novum[3]. » Illud vero : « Noli timere, filia Sion, » haudquaquam dictum est. Verumtamen cum exposuerint omnes propheticum sermonem, videamus annon necessario gaudendum sit filiæ Sion, atque hac præstantiori filiæ Jerusalem non solum valde gaudere, verum etiam prædicare necesse sit regem suum advenientem, justum, et servantem, et mansuetum, eo quod super subjugalem et pullum novum ascenderit[4]. Quisquis igitur ipsum receperit, non in posterum formidabit diversæ sectæ homines eloquentiæ viribus armatos, qui currus Ephraïm dicuntur[5], et a Deo excindi, quique multos lædunt, Jerusalem habitare, et intendere volentes sanæ doctrinæ : non formidabit etiam equum fallacem ad salutem[6], hoc est desiderium insanum, et rebus sub sensum caedentibus familiare. Ad hæc gaudere dignum est, eo quod ab eo excindatur arcus bellicus, qui vehitur super subjugalem et pullum novum[7], non valentibus amplius inimici ignitis sagittis adversus eum qui receperit Jesum in suum templum. Erit autem in Jerusalem multitudo ex Gentibus cum pace, Servatoris adventu, imperantis aquis[8], ut conterat capita draconum in aqua, et ut calcentur undæ maris a nobis pervenientibus usque ad exitus fluviorum omnium qui sunt super terram[9]. Cæterum quod Marcus de pullo scribens a Domino dictum fuisse inquit : « Super quem nemo » unquam hominum sedit[10], » innuere mihi videtur, quod hi qui postea crediderunt nunquam rationi antea se ipsos subdidissent, quam Jesus inter ipsos adveniret. Nam fortassis

[1] Galat. I, 1. — [2] Joan. XII, 15. — [3] Zach. IX, 9. — [4] Ibid. — [5] Ibid. 10. — [6] Psal. XXXII, 17. — [7] Zach. IX, 9, 10. — [8] Ibid. 10. — [9] Psalm. LXXIII, 13. — [10] Marc. XI, 2.

hominum nemo unquam insederat pullo, cum alioqui ex feris, vel ex his potestatibus quæ a ratione alienæ erant, aliquæ insedissent; quandoquidem divitiæ adversariarum potentiarum etiam apud Esaiam prophetam super asinos et camelos ferri dicantur his verbis : « In tribulatione et an» gustia leo et catulus leonis, inde etiam genimina volan» tium aspidum, ferentium super asinos et camelos divitias » suas[1]. » Proinde rursum interrogandi sunt, qui nudæ litteræ sunt intenti, annon judicio suo frustra scriptum fuisse videatur : « Super quem nemo unquam hominum sedit[2]. » Quis enim, præter hominem, super pullos asinorum sedet? Et nos quidem sic.

Videamus vero quæ Heracleon dicat, inquiens Domini ascensum ad Jerosolymam significare ascensum a materialibus ad animalem locum, imaginem existentem Jerosolymæ; illud etiam : « Invenit in templo[3], » non dictum fuisse existimans de locis supernis, ne intelligeremus vocationem solam, sine Spiritus ope, adjuvari a Domino. Existimat enim templum esse Sancta sanctorum, in quæ solus summus pontifex ingrediebatur, quo etiam proficisci spirituales arbitror illum dicere; vestibulum vero (ubi etiam levitæ erant) arbitratur notam esse earum animarum quæ inveniuntur in salute extra Pleroma. Adhæc inventos in templo vendentes boves, et oves, et columbas, et sedentes mensarios, dici exposuit pro his qui nihil gratiæ tribuunt, sed mercaturam putant et lucrum ingressum extraneorum in templum; victimas, proprii lucri et avaritiæ causa, ad cultum Dei suppeditantes. Quinetiam Jesum e funiculis fecisse flagellum, non ab alio illud accepisse, suo more pronuntiat : flagellum imaginem esse dicens potentiæ, et actionis Spiritus sancti efflantis, et expellentis malos; et inquit flagellum, linum, sindonem, et cætera talia, imaginem esse potentiæ, et ope-

[1] Isai. xxx, 6. — [2] Marc. xi, 2. — [3] Joan. ii, 14.

rationis Spiritus sancti. Postea sibi assumit quod scriptum non est, nimirum quod flagellum ad lignum ligatum erat, quod lignum interpretatus est figuram esse crucis; et inquit hoc ligno consumptos et deletos aleatores, mercatores omnemque malitiam. Nec scio quomodo nugans dicat flagellum ex hisce duabus rebus paratum fuisse, quærens quomodo a Jesu factum fuerit illud : neque enim ex pelle, inquit, mortua illud fecit, ut ecclesiam præpararet non amplius speluncam latronum et mercatorum, sed domum Patris sui. Dicendum est etiam id, quod maxime est necessarium, de divinitate ex hoc contextu ipsi Heracleoni. Nam si templum quod Jerosolymis erat, domum proprii Patris dicit esse Jesus, factumque fuerat templum illud ad gloriam ejus qui cœlum terramque creavit, quomodo non statim edocemur, non putare Filium Dei alicujus alterius filium esse, quam ejus qui cœlum terramque condidit? Ad hanc ergo domum Patris Jesu, tanquam existentem domum precationis, etiam Christi Apostoli (ut in illorum Actis invenimus) ab Angelo jubentur profecti stare et loqui populo omnia verba vitæ hujus[1]. Quinetiam per portam speciosam illic precaturi, veluti ad domum precationis proficiscuntur[2] : haudquaquam hæc facturi, nisi ipsum eumdem cum eo novissent Deum, qui adorabatur ab his qui templum illud Deo consecrarant. Quocirca obedientes Deo magis quam hominibus[3], Petrus et Apostoli dicunt : « Deus patrum nostrorum » suscitavit Jesum, quem vos interemistis, suspendentes in » ligno[4] : » non enim ab alio Deo sciunt excitum Jesum e mortuis, nisi a Deo patrum illorum, quem Christus glorificans, Abraham et Isaac et Jacob Deum dicit esse, non mortuorum, sed viventium[5]. Atque etiam quomodo Discipuli, si domus non fuisset ejusdem Dei cum Deo Christi, recor-

[1] Act. v, 20. — [2] Id. III, 1, 2. — [3] Id. v, 29. — [4] Ibid. 30. — [5] Matth. XXII, 32. Marc. XII, 26, 27. Luc. XX, 37, 38.

dati fuissent verborum illorum : « Zelus domus tuæ comedit me[1], » quæ dicuntur in Psalmo sexagesimo octavo? Sic enim ponitur in Propheta, *comedit,* tempore præsenti, et non *comedit,* tempore præterito. Diligit autem eximie Christus domum Dei in unoquoque nostrum, nolens ipsam fieri domum mercatus, neque volens ut domus precationis spelunca fiat latronum, quippe qui Dei zelantis sit Filius, si candido animo tales Scripturarum voces audimus, a rebus humanis per metaphoram desumptas, ad demonstrandum quod Deus nolit alieni quidquam a voluntate sua admisceri animæ omnium quidem hominum, sed præcipue eorum qui admittere volunt divinissimam fidem. Attamen sciendum est, Psalmum octavum et sexagesimum, habentem : « Zelus domus tuæ comedit me, » et post pauca : « Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me » aceto[2]» (quæ utraque in Evangeliis sunt scripta[3]) ex persona Christi dici, nullam personæ loquentis ostendentem mutationem. Valde autem inobservanter Heracleon illud : « Zelus domus tuæ comedit me, » dici putat ex persona earum Potentiarum quæ ejectæ fuerunt et consumptæ a Servatore, non valens in Psalmo seriem prophetiæ servare. Nam nobis intelligentibus hæc ex ejectarum et consumptarum Potentiarum persona dici, consequens est judicio suo, ut ab illis etiam dicantur verba illa : « Dederunt in » escam meam fel, » quæ in eodem scripta sunt Psalmo : sed, ut probabile est, illum turbavit vox *comedit me* (perinde quasi a Christo dici non posset) non videntem morem Scripturarum, hominum affectus Deo et Christo tribuentium.

[1] Psal. LXVIII, 10. — [2] Ibid. 22. — [3] Joan. II, 17, et XIX, 28, 30.

§ III.

De eo quod scriptum est : *Destruite templum hoc, et in tribus diebus erigam illud.*

« Responderunt[1] ergo Judæi, et dixerunt ei : Quod signum » ostendis nobis, quod ista facias? Respondit Jesus, et dixit » eis : Destruite templum hoc, et in tribus diebus erigam » illud[2]. » Corporis amantes, ac rerum sensibilium, nunc jam mihi videntur innui Judæi : qui ægre ferentes expulsos fuisse a Jesu eos qui domum Patris faciebant domum mercatus, rebus ab ipsis gestis signum postulant, ex quo signo Filius Dei, quem illi non recipiunt, videatur hæc decenter facere. Sed conjungens Servator sermonem de corpore suo, perinde quasi loqueretur de templo illo, interrogantibus : « Quod signum ostendis, quod hæc facias, » respondet : « Destruite templum hoc, et in tribus diebus erigam » illud. » Nam quamvis sexcenta alia signa poterat ostendere, certe ad illud, « quod hæc facias, » nullum aliud ostendere poterat : proinde ea quæ ad templum pertinebant convenienter respondit, pro aliis signis quæ templum minime spectabant. Attamen utraque, tum templum, tum corpus Jesu, juxta unam intelligentiam, figura mihi esse videntur Ecclesiæ; eo quod hæc ædificata sit ex viventibus lapidibus, facta « domus spiritualis in sacerdotium sanc» tum[3], » superædificata « supra fundamentum Apostolorum, » et Prophetarum, summo angulari lapide Christo Jesu[4], » re vera templum existente. Sin vero propter illud : « Vos au» tem estis corpus Christi, et membra ex parte[5], » videatur junctura et convenientia lapidum templi destrui dissipari-

[1] N. 20-26. p. 196-208.

[2] Joan. II, 18, 19. — [3] I Petr. II, 5. — [4] Ephes. II, 20, 21. — [5] I Corinth. XII, 27.

que (ut in primo et vigesimo scriptum est Psalmo[1]) omnia Christi ossa ab insidiis, quæ sunt in persecutionibus et tribulationibus, et ab his qui bellum inferunt unitati templi ob persecutiones, erigetur templum, et suscitabitur corpus tertia die post diem malitiæ in ipso instantem, atque post diem consummationis hac posteriorem[2]. Tertia enim in cœlo novo et terra nova instabit dies, quando ossa hæc[3], nempe omnis domus Israël, in magna dominica excitabuntur, morte devicta, adeo ut facta resurrectio Christi a crucis passione, contineat mysterium resurrectionis totius corporis Christi. Ut autem corpus illud Jesu sensibus obnoxium, cruci affixum est, sepultumque, et postea excitum; sic totum sanctorum Christi corpus cum Christo cruci affixum est, et nunc non amplius vivit. Unusquisque enim illorum, perinde atque Paulus, in nulla re alia gloriatur, præterquam in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem ipse mundo crucifixus est, et mundus illi[4]. Quamobrem non tantum una cum Christo cruci fuit affixus unusquisque, ac mundo, sed etiam una cum Christo sepelitur : « Consepulti enim sumus cum Christo[5], » inquit Paulus, addens etiam (veluti ad quempiam resurrectionis arrabonem pervenisset) : « Et cum ipso consurreximus[6] : » postea in quadam novitate vitæ ambulat, tanquam qui beata illa et perfecta resurrectione nondum resurrexerit. Vel igitur nunc quidem crucifixus fuit, postea vero sepelitur; vel nunc sepelitur sublatus etiam e cruce, aliquando (quatenus sepultus nunc fuit) resuscitaturus. Cæterum magnum est resurrectionis nostræ mysterium, prorsusque contemplatu difficile; quod cum in aliis multis Scripturarum locis, tum vero etiam apud Ezechielem his verbis annuntiatur : « Et facta est super me manus Domini, et » eduxit me in spiritu Domini, et posuit me in medio cam-

[1] Psal. XXI, 15. — [2] 2 Pet. III, 3, 10, 13. — [3] Ezech. XXXVII, 11. — [4] Gal. VI, 14. — [5] Rom. VI, 4. — [6] Ibid.

» pi : et hic erat plenus ossibus hominum; et circumduxit » me per ea in gyrum, et ecce multa valde super faciem » campi, siccaque vehementer : et dixit ad me : [Fili homi- » nis, si vivent ossa hæc? Et dixi : Domine, Domine, tu scis » hæc. Et dixit mihi :] Vaticinare de ossibus istis, et di- » ces eis : Ossa arida, audite verbum Domini[1] : » et post pauca : « Et locutus est ad me Dominus, dicens : Fili ho- » minis, ossa hæc domus est universa Israël : et ipsi dicunt : » Aruerunt ossa nostra, periit spes nostra, abscissi sumus[2]. » Quibus enim ossibus dicitur : « Audite verbum Domini, » tanquam quæ sentiant verbum Domini, tanquamque quæ sint in Domo Israël, nisi Christi corpori, de quo dicebat Dominus : « Dissipata sunt omnia ossa mea[3], » cum alioqui ossa ipsius corporalia dissipata non fuerint, sed ne unum quidem ex ipsis contritum? Proinde cum efficitur resurrectio hæc veri et perfectioris corporis Christi, tunc membra Christi (nimirum ossa ea quæ in præsentia, futuri comparatione, sunt arida) conjungentur, os scilicet ad os suum, et junctura ad juncturam[4]; nemine, qui privatus sit junctura, occursuro in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis corporis Christi[5] : et tunc membra multa unum erunt corpus, cum omnia corporis membra, quæ multa sunt, fient unius corporis[6]. At discrimen pedis manusque, atque oculi, ac denique auditus et olfactus, quibus complentur singulatim quidem caput, singulatim vero pedes, et cætera membra, tum imbecilliora, tum abjectiora, ac ea quæ putantur indecora et decora, solius Dei est facere, qui simul temperabit corpus, etiam magis quam nunc copiosiorem honorem addens ei cui deerit[7], ne dissidium sit in corpore, sed invicem alia pro aliis sollicitudinem eamdem gerant membra : et si quid patitur unum membrum, simul patientur omnia

[1] Ezech. XXXVII, 1 et seq. — [2] Ibid. 11. — [3] Psalm. XXI, 15. — [4] Ezech. XXXVII, 7. — [5] Eph. IV, 13. — [6] 1 Cor. XII, 12 et seq. — [7] Ibid. 24 et seq.

membra; sive glorificatur unum membrum, simul gaudebunt omnia membra.

Hæc sunt a me dicta, nec præter institutum, de templo, deque ex ipso expulsis, de quo Servator dicit : « Zelus » domus tuæ comedit me[1] ; » atque etiam de Judæis petentibus signum sibi ostendi, ac denique de Domini ad ipsos responsione, conjungentis sermonem templi sermoni proprii corporis, et dicentis : « Destruite templum hoc, et in » tribus diebus erigam illud[2]. » Ab hoc enim templo, quod est corpus Christi, expellantur hæc oportet quæ rationis capacia non sunt, et quæ mercaturam exercent, ut non in posterum sit domus mercaturam exercentium. Destrui etiam hoc templum ab his qui insidiantur sermoni Dei necesse est, cumque dirutum fuerit, tertia, quam prædiximus, die excitari : quando etiam Discipuli ejus recordabuntur quod dixerit Filius Dei, antequam destrueretur templum, perfecta tunc cum cognitione fide etiam ipsorum; et credent sermoni quem dixerit Jesus. Quin unusquisque qui erit hujusmodi (Jesu illum purificante) cum deposuerit quæ aliena sunt a ratione, ac vendentia, propter inhabitantis in se Filii Dei zelum, destruetur, ut a Jesu erigatur : non tertia die, quod ad propositam lectionem attinet; nec enim scriptum est : « Destruite templum hoc, et *tertia die* illud erigam; » *sed,* in tribus diebus[3]. » Erigitur enim templi erectio, postquam destructum fuerit, prima et secunda die; perficitur autem in totis tribus diebus. Quamobrem, et facta est resurrectio, et erit resurrectio, siquidem « cum Christo con» sepulti sumus, et cum ipso consurreximus[4]. » Et quoniam non satis est ad integram resurrectionem illud verbum, *consurreximus,* additur : « In Christo omnes vivificabun» tur, unusquisque autem in suo ordine : primitiæ Christus, » deinde qui sunt Christi, in adventu ejus; postremo fi-

[1] Psal. LXVIII, 10. — [2] Joan. II, 19. — [3] Ibid. — [4] Rom. VI, 4.

» nis[1]. » Resurrectionis enim illud est, prima die in paradiso esse Dei; resurrectionis item, quando apparens inquit : « Ne » me tangas, nondum enim ascendi ad Patrem[2] : » at perfecta est resurrectio, cum vadit ad Patrem. Quoniam vero quidam confunduntur, cum venerint ad locum de Patre et Filio, adducentes illud : « Invenimur autem et falsi testes Dei, » quod testati fuerimus adversus Deum, quod excitaverit » Christum, quem non excitavit[3] ; » et his similia declarantia alium esse eum qui excitavit, ab eo qui excitatus fuit; et illud : « Destruite templum hoc, et in tribus diebus eri- » gam illud[4] ; » existimantes ex his ostendi numero non differre Filium a Patre, sed utrumque non solum substantia, sed etiam subjecto unum, secundum quasdam intelligentias, non secundum hypostasim diversos dici Patrem et Filium : illis respondere debemus, in primis quidem ea verba quæ præcipue astruant alium esse Filium a Patre, et quod necessario Filius sit Patris filius, et Pater Filii sit pater; tum vero non absurdum esse, eum qui fateatur se nihil posse facere nisi quod viderit Patrem facientem[5], quique dicat : « Quidquid autem Pater facit, similiter etiam Filius » facit[6], » corpus quod mortuum erat excitasse, Patre hoc illi donante : qui Pater præcipue dicendus est Christum excitasse e mortuis. Sane Heracleon inquit, *In tribus,* pro eo quod est, In tertia, non perscrutatus (quamvis notarit voculas *in tribus*) quomodo in tribus diebus peragatur resurrectio. Adhuc autem et tertiam diem appellat spiritualem, in qua declarari putant Ecclesiæ resurrectionem. His vero consequens est, ut prima dies terrestris, secunda animalis dicatur, non facta Ecclesiæ resurrectione in ipsis. Videntur equidem quæ scripta sunt in Evangelio secundum Matthæum et Marcum de falsis testibus, in fine Evan-

[1] 1 Cor. xv, 22 et seq.— [2] Joan. xx, 17. — [3] 1 Cor. xv, 15. — [4] Joan. ii, 19. — [5] Id. v, 19. — [6] Ibid.

gelii accusantibus Dominum nostrum Jesum Christum, relationem habere ad illud : « Destruite templum hoc, et ego » in tribus diebus erigam illud [1]. » Ille enim de templo corporis sui dicebat, quæ illi suspicantes de eo templo dici quod ex lapidibus ædificatum fuerat, quæ hic dicta sunt, dixerunt accusantes : « Hic dixit : Possum destruere tem- » plum Dei, et per tres dies illud ædificare [2]; » vel ut Marcus : « Nos audivimus hunc dicentem : Ego diruam templum » hoc manu factum, et per tres dies aliud non manu factum » reædificabo [3], » quando et summus sacerdos surgens dixit illi : « Nihil respondes? cur isti adversum te testificantur? At » Jesus tacebat [4] : » vel ut Marcus inquit : « Et surgens sum- » mus sacerdos in medium, interrogabat Jesum dicens : » Non respondes quidquam? cur isti adversum te dicunt » testimonia? At ille tacebat, neque quidquam responde- » bat [5]. » Arbitror vero necessario etiam hæc citata fuisse relationem habentia ad eum textum qui est præ manibus.

« Dixerunt ergo Judæi : Quadraginta et sex annis ædifi- » catum est templum hoc, et tu in tribus diebus eriges il- » lud [6]? » Quomodo quadraginta et sex annis extructum fuisse Judæi dicant templum hoc, si historiam sequamur, dicere non possumus. Nam in tertio Regum scriptum est, quod præparaverint « lapides et ligna tribus annis. In quarto autem » anno, mense secundo, regnante rege Salomone super Is- » raël, mandavit rex, et tollunt lapides grandes, lapides pre- » tiosos pro fundamento domus, atque lapides impolitos : et » sculpserunt eos filii Salomonis, et filii Chiram, jeceruntque eos pro fundatione in quarto anno, et fundaverunt » domum Domini in mense Nisan (is est secundus mensis). » Undecimo autem anno, in mense Baal, qui est mensis oc- » tavus, perfecta est domus per omnes partes suas, et juxta

[1] Joan. II, 19. — [2] Matth. XXVI, 61. — [3] Marc. XIV, 58. — [4] Matth. XXVI, 62. — [5] Marc. XIV, 60, 61. — [6] Joan. II, 20.

» cunctam dispositionem suam [1]. » Ut ergo etiam præparationem ejus cum tempore structuræ annumeremus, undecim annorum numerus non completur ad structuram templi. Quamobrem quomodo Judæi dicunt, quadraginta et sex annis ædificatum fuisse templum hoc? Nisi forte quis, qui urgeretur, contenderet ostendere tempus quadraginta et sex annorum compleri ab eo tempore quo David inquit ad Nathan prophetam, consulens de ædificatione templi: « En ego habito in domo cedrina, et arca Dei manet in me- » dio tentorii [2]. » Nam etiam si prohibitus fuit, ceu vir sanguinum, ipsum ædificare, at saltem videtur se exercuisse circa colligendam materiam templi [3]. Inquit ergo in primo Paralipomenon libro rex David cunctæ congregationi: « Sa- » lomon filius meus, in quem complacuit sibi Dominus, ju- » venis est et delicatus : opusque magnum est, quoniam » non homini, sed Domino Deo ædificat. Præparavi illi pro » viribus meis ad domum Dei mei construendam, aurum, » argentum, æs, et ferrum, lignum, lapides Soëm, et pleni- » tudinis, lapidesque sumptuosos, et varios, et omnem la- » pidem pretiosum, et Parium multum. Adhuc etiam, ut » complacerem in domo Dei mei, est mihi, quod acquisivi, » aurum et argentum : et ecce dedi in domum Dei mei in » altitudinem : ex tot præparavi in domum sanctorum tria » millia talentorum auri ex Suphir, et septem millia talen- » torum argenti probati, ut incrustetur ex ipsis domus Dei » per manus artificum [4]. » Regnavit enim David annis septem in Hebron, et tria supra triginta in Jerusalem [5]. Quare si poterit quis ostendere principium præparationis templi fuisse, colligente eo materiam convenientem a tempore quinti anni regni sui, poterit, si urgeatur, dicere de quadraginta sex annis. Alius vero quispiam dicet templum quod

[1] 3 Reg. v, 17, 18, et vi, 1, 38. — [2] 2 Reg. vii, 2. — [3] 1 Paralip. xxii, 8, et xxviii, 3. — [4] Id. xxix, 1 et seq. — [5] 3 Reg. ii, 11,

ostenditur non esse illud a Salomone extructum, nam eversum fuit captivitatis temporibus[1]; sed quod Esdra ædificaverit[2]: de quo non possumus aperte ostendere orationem vera narrantem de quadraginta et sex annis. Apparet etiam apud Macchabaïca multam inconstantiam et confusionem fuisse circa templum et circa populum[3]; et haud scio an tunc reædificatum fuerit tot annis. Sane Heracleon, ne inspecta quidem historia, Salomonem inquit quadraginta et sex annis ædificasse templum, quod erat imago Servatoris: ac sex numerum ad materiam, id est ad effectionem refert; quadraginta autem numerum, qui est, inquit, quaternio copulari nescius, ad insufflationem, semenque insufflationis. Tu vero vide num possis accipere per quadragenarium numerum quatuor elementa mundi, quæ ponuntur in angulis templi; per senarium vero, hominem sexta die factum.

« At ille dicebat de templo corporis sui. Cum ergo surrexit e mortuis, recordati sunt discipuli ejus quod hoc » dixisset, et crediderunt Scripturæ, et sermoni quem di» xerat Jesus[4], » nempe corpus Filii vocari templum ejus. Quæsitu autem dignum est, simpliciterne hoc accipiendum sit, an contendendum sit singula quæ de templo scribuntur referre ad sermonem de corpore Jesu, videlicet quod ipse ex Virgine sumpsit; vel ad Ecclesiam, quæ ipsa etiam corpus Christi dicitur, et ob quam nos etiam membra ipsius Christi apud Apostolum nominamur[5]. Atque molestiis quidem seipsum liberans aliquis, et desperando singula referre se posse quæ de templo dicuntur, ad corpus, utrolibet modo se habeat, ad intelligentiam simpliciorem confugiet, dicens idcirco corpus utroque modo intellectum, templum nuncupatum fuisse, quod quemadmodum templum illud gloriam Dei habebat in seipso habitantem, ita imago et gloria Dei

[1] 2 Paral. XXXVI, 19. — [2] 3 Esdr. VI, 1 et seq. — [3] 1 Macch. I, 22 et seq. [4] Joan. II, 21, 22. — [5] 1 Cor. XII, 27.

existens Primogenitus omnis creaturæ[1] repræsentans corpus suum, vel Ecclesiam, templum Dei rationabiliter fuerit dictum. Nos vero videntes quidem difficile esse de singulis rebus templi disserere, quæ in Regum tertio dicuntur[2], longeque majus oratione nostra, alioqui etiam ad præsentem scriptionem non pertinens, differemus. Cæterum in hujusmodi rebus persuasum habentes ad Dei sapientiam pertinere proprietates explicare divinitus inspiratæ Scripturæ, quæ sapientiam docet in mysterio reconditam, quam nullus principum sæculi hujus cognovit[3]; cum id præsertim naturæ humanæ captum superet, deprehendentes insuper nos ipsos eximii spiritus sapientia egere, ad intelligendum talia, ut sacerdotem decet; quam paucissimis poterimus, describere hujus loci intelligentiam tentabimus, edocti a Petro Ecclesiam corpus esse[4], et domum Dei ex lapidibus viventibus ædificatam, domum spiritualem in sacerdotium sanctum, ita ut Davidis filius sit hanc ob causam Christi figura, ædificans templum : qui post bella, pace altissima facta, ædificat ad gloriam Dei templum in terrestri Jerusalem[5], ne in posterum cultus Dei perficiatur in tentorio subinde mutabili, singulas res templi ad Ecclesiam referre tentabimus. Fortassis enim si inimici omnes subsellium fiant pedum Christi, et ultimus inimicus, nempe mors, aboleatur[6], perfectissima pax erit, quando Christus erit Salomon, quem si interpreteris, est Pacificus[7] : impleta in ipsum prophetia quæ dicit : « Cum his qui odio habebant » pacem, eram pacificus[8]. » Ac tunc unusquisque vivens lapis pro dignitate præsentis vitæ erit templi lapis : alter quidem in fundamento Apostolus, vel Propheta portans superimpositos; alter vero post eos qui sunt in fundamento,

[1] Coloss. I, 15.— [2] I Reg. VI, VII et VIII. — [3] I Cor. II, 7, 8. — [4] I Petr. II, 5. — [5] 3 Reg. V. 3, 4, 5. — [6] I Cor. XV, 25, 26. — [7] I Paral. XXII, 9. — [8] Psal. CXIX, 7.

portatus quidem et ipse ab Apostolis, alios sed ipse etiam portans infirmiores cum Apostolis : atque etiam alter quidem lapis erit penitissimus, ubi arca et Cherubim est, et propitiatorium; alter vero lapis vestibuli, et alius adhuc extra vestibulum levitarum et sacerdotum, lapis altaris, in quo offeruntur fructuum oblationes. Porro harum rerum œconomia et ministerium concredetur sanctis Virtutibus, nempe Angelis Dei, quarum aliquæ quidem sunt Dominationes, vel Throni, vel Principatus, vel Potestates; aliquæ vero his subjectæ : quarum figuram gerunt sexcenti illi supra tria millia præfecti, præfecti principes constituti super opera Salomonis; et septuaginta chiliades gestantium onera, et octoginta chiliades lapicidarum in monte facientes operas, et præparantes lapides et ligna[1]. Et observandum, quod qui scribuntur gestare onera, numeri septenarii sint cognati. Rursum lapicidæ et scalpentes lapides, ut convenienter sint in templo, octonario numero sunt similes. At præfecti illi sexcenti existentes, numeri senarii perfectioni, ut qui in seipsum multiplicetur, conjunguntur. Jam vero præparationes lapidum, qui tolluntur et aptantur ad structuram, tribus annis perfectæ, ostendere mihi videntur solum tempus intervalli cognati triadi, quæ sempiterna est. Quæ omnia quidem erunt, cum pax perfecta fuerit post annos trecentos et quadraginta (3) œconomiæ rerum factarum, dum egrederentur ex Ægypto[2], atque earum quæ in Ægypto gestæ sunt post annos quadringentos et triginta testamenti ad Abraham[3]; ut sint ad Abraham usque ad principium ædificationis templi, sabbatici, hoc est septenarii, numeri duo, nempe septingentesimus, et septuagesimus : quando etiam mandabit rex noster Christus septuaginta chiliadibus onera humeris gestantium, ne obvios et vulgares tollant lapides, ad domus fundamentum, sed lapides

[1] 3 Reg. v, 15, 16, 18. — [2] Id. vi, 1. — [3] Exod. xii, 40. Galat. iii, 17.

grandes, pretiosos, non scalptos; qui non a quibusvis artificibus scalpantur, sed a Salomonis filiis : nam hoc in Regum tertio scriptum invenimus[1]. Tunc etiam propter multam pacem, Tyri rex Chiram coadjuvat ædificationem templi, datis suis ipsius filiis Salomonis filiis[2], ut scalpant grandes et pretiosos lapides sanctæ domus, etiam in quarto anno, sedentes ad fundationem domus Dei[3]. Cæterum octonario numero annorum completur domus, octavo mense octavi anni a fundatione[5].

Nihil autem absurdi erit, existimantibus præter historiam declarari per hæc aliud nihil, in medio sermone verba adhibere quibus pudore perfundantur et flectantur ad quærendum in his, ceu litteris Spiritus, sensum Spiritu dignum. An regum filii vacabant scalptioni grandium et pretiosorum lapidum, sumpta arte a regia generositate et nobilitate aliena? An etiam numerus humeris onera gestantium, et lapicidarum, et præfectorum, ac postremo temporis præparationis lapidum, rerumque similium vulgariter inscriptus est? Scilicet Deo ædificari necesse erat domum sanctam, quæ in pace construebatur, sine malleo et securi, et quovis ferri instrumento, ut turbulentum nihil sequeretur in templo Dei. Proinde rursus contra hos qui litteræ serviunt quæstionem moveo : Qui fieri poterat ut chiliades octoginta lapicidarum cum essent[6], ædificaretur domus Dei lapidibus duris, candidis, neque malleo neque securi, seu aliquo ferri instrumento audito in domo ipsius, dum ipsa ædificaretur[6]? Vide vero ne forte viventes lapicidis lapides, sine strepitu secti et tumultu, excindantur alicubi extra templum, ut parati veniant ad structuræ locum convenientem. Quin ascensus quidam est circa domum Dei non habens angulos, sed flexiones rectarum linearum. Scriptum

[1] 3 Reg. v, 15, 17, 18. — [2] Ibid. 4, 8 et seq. — [3] Id. vi, 1, 37. — [4] Ibid. 38. — [5] Id. v, 15. — [6] Id. vi, 7.

est enim : « Et ascensus flexuosus erat ad medium thalamum, et a medio usque ad tertium laqueare[1]. » Flexuosum enim esse necesse erat in Dei templo ascensum ipsum, linea obliqua ascensu ipso imitante circulum æquissimum. Jam vero ut domus hæc sit firma, ædificantur illi quam pulcherrime vincula quinque per totam domum unius cubiti altitudine[2] : ut innuatur debere nos ascendere in sublime a rebus sensibilibus ad eos sensus quos divinos vocant, contuendi ac contemplandi causa res eas quæ animo cernuntur. Porro beatiorum lapidum locus ille esse videtur qui vocatur Dabir[3] : ubi arca testamenti Domini erat, et chirographum (ut ita dicam) Dei, nempe tabulæ scriptæ digito ipsius[4]. At tota domus inauratur : « Totam *enim, inquit,* domum auro circumquaque auravit usque ad perfectionem universæ domus[5]. » Præterea duo Cherubim in Dabir erant[6], quod proprie interpretari non potuerunt qui res Hebraïcas in Græcum transtulerunt. Abusive autem quidam hunc locum dixerunt templum, quod honorabilius templo existeret. Cæterum quæ in domo sunt fiunt tota aurea[7], in signum quod mens omnino perfecta accuratam discretionem habeat rerum quæ mente percipiuntur; quæ quoniam omnino pervia et cognoscibilia non sunt, fabricatur velamen aulæ, penitissimis non retectis levitarum et sacerdotum compluribus[8].

Quæsitu autem dignum est quomodo tanquam rex dicatur Salomon ædificare templum, et Chiram tanquam architectus[9] : quem accitum recepit Salomon filium conjugis viduæ ex Tyro, et patre Tyrio, et e tribu Nephtalim; faber ærarius, et plenus sapientia et agnitione ad faciendum omne opus ex ære : qui cum adductus fuisset ad regem

[1] 3 Reg. vi. 8. — [2] Ibidem, 10. — [3] Ibid. 16 et 19. — [4] Exod. xxxi, 18. Deut. ix, 10. — [5] 3 Reg. vi, 21. — [6] Ibid. 23. — [7] Ibid. 22. — [8] Ibid. 36. — [9] Id. vii, 13, 14.

Salomonem, fecit omnia opera. Proinde inspicito an forte Salomon accipi possit in Primogenitum omnis creaturæ[1]; Chiram vero, in hominem quem hic Primogenitus assumpsit ab hominum congregatione (sonat enim Tyrii, si eos interpretemur, Continentes), hominem natura genus continentem, qui impletus omni arte, et scientia, et agnitione, adductus est, cooperans Primogenito omnis creaturæ, ut ædificet templum; in quo struuntur etiam fenestræ occultæ oblique ex alto introspicientes[2], ut splendores lucis Dei capi possint, et ut Ecclesia (quid enim oportet me singula recensere?) rationem habens spiritualis domus et templi Dei, inveniatur corpus Christi. Ut enim prædixi, sapientia egemus ea quæ in mysterio est recondita[3], et quæ soli illi est perceptibilis qui dicere potest : « Nos autem mentem Christi » habemus[4], ut singula quæ dicta sunt spiritualiter interpretemur juxta illius voluntatem qui disposuit ut hæc scriberentur. Alioqui etiam singula hæc exponere non est præsentis lectionis. Quamobrem sufficiant hæc ad videndum quomodo « ille dicebat de templo corporis sui[5]. »

Cæterum dignum est ut post hæc inspiciamus an facile factu sit, ut hæc quæ historia refert facta fuisse in templo evenerint aliquando, seu eventura sint circa domum spiritualem. Videtur vero nos utrinque urgere ratio : nam sive dicamus fieri posse ut hæc fiant, vel quadam ratione facta fuisse in domo spirituali, gravate admittent qui audiunt, talium bonorum transmutationem : primum quidem, quia illis sic non lubeat; deinde quod dissentaneum sit bonorum transmutationem futuram esse. Sin vero volentes immutabilia servare quæ semel sanctis data fuerunt bona, non accommodabimus quæ historia narrat, quiddam hæreticis simile videbimur hac in re facere, enarrationis Scripturarum

[1] Coloss. I, 15. — [2] 3 Reg. VI, 4. — [3] 2 Cor. II, 7. — [4] Ibidem, 16. — [5] Joan. II, 21.

consonantiam non servantibus a principio usque ad finem. Nisi aniliter tamen, atque Judæorum more, promissiones eas quæ apud Prophetas, et præsertim Esaiam, scriptæ sunt, tanquam eventuras terrenæ Jerusalem intellecturi sumus, [si post captivitatem, eversionemque templi nonnulla præclara evenisse ad templi ædificationem, populique statum et constitutionem a captivitate dicantur, dicere] nos fuisse templum necesse est, et captivatum fuisse populum, sed rediturum ad Judæam, et Jerusalem, atque lapidibus pretiosis Jerusalem ipsam ædificandam. Haud scio autem, an temporum periodis longis revolutis similia fieri possint, veluti in pejus. Habent autem promissiones apud Esaiam hunc in modum : « En ego præparo tibi carbunculum lapidem » tuum, et fundamenta tua sapphirum : et ponam propugnacula tua jaspin, et portas tuas lapides crystalli, et loricam murorum tuorum lapides electos, et omnes filios tuos » a Deo doctos : et in pace multa filii tui, et in justitia ædificaberis[1]. » Et paulo post ad ipsam Jerusalem : «Et gloria » Libani ad te veniet in cyparisso, et pino, et cedro, una » cum glorificantibus locum sanctum meum. Et ibunt ad » te timentes filii eorum qui te humiliaverunt, et irritaverunt te : et vocaberis civitas Domini Sion sancti Israëlis, » pro eo quod fueris derelicta et odio habita, nec esset qui » tibi opem ferret. Et ponam te exultationem sempiternam, » jucunditatem generationum generationibus : et suges lac » gentium, et regum divitias comedes, et cognoscees quod ego » Dominus servans te, et eruens te Deus Israël. Et pro ære » afferam tibi aurum, et pro ferro adducam tibi argentum : » pro lignis autem afferam tibi æs, et pro lapidibus ferrum : » et dabo principes tuos in pace, et episcopos tuos in justitia : » et iniquitas non audietur ultra in terra tua, neque contritio, » et miseria in terminis tuis : sed vocabuntur salutare muri

[1] Isai. LIV, 11 et seq.

» tui, et portæ tuæ sculptura. Et sol non erit tibi ultra in lu» cem diei, neque ortus lunæ lumen præbebit tibi noctu ; sed » erit tibi Christus lux sempiterna, et Deus gloria tua : non » enim occidet tibi sol, et luna tua non deficiet; erit enim » Dominus tibi lux sempiterna, et complebuntur dies luctus » tui [1]. » Hæc enim aperte de futuro sæculo prophetat filiis Israël in captivitate degentibus, ad quos missus venit ille qui dicebat : « Ego non sum missus, nisi ad oves perditas domus » Israël [2]. » Quod si captivi existentes hæc in patria sua recipient, quando etiam proselyti ad ipsos venient per Christum, et ad ipsos diffugient, secundum quod dicitur : « Ecce pro» selyti ad te venient per me, et ad te diffugient [3]; » perspicuum est quod captivi qui in templo fuere aliquando, etiam ad illud rursus redibunt reædificandi, pretiosissimi lapides facti. Nam vincens quispiam in Apocalypsi apud Joannem, promissionem habet ut sit columna in Dei templo, extra non exiturus [4]. Cæterum hæc omnia a me dicta sunt ut brevem saltem intelligentiam habeamus rerum templi, et domus Dei, et Ecclesiæ, et Jerusalem, de quibus singulatim dicere non est præsentis temporis. At accuratissimam diligentemque vel ad vulgarem usque inquisitionem circa hæc faciant hi necesse est qui non defatigantur legendo prophetias quærere in eis spiritualem sensum. Sed hactenus « de » templo corporis sui [5]. »

[1] Isai. LX, 13 et seq. — [2] Matth. XV, 24. — [3] Isai. LIV, 15. — [4] Apocal. III, 12. — [5] Joan. II, 21.

Tomus XI et XII desiderantur. In ultimo legebatur initium Samaritidis historiæ, quæ in tomo sequenti dimidiate repræsentatur.

TOMUS DECIMUS TERTIUS[1].

§ I.

De Samaritidis historia.

Tibi quidem[2], Dei amantissime, ac piissime Ambrosi, non videbatur fortasse scindendus sermo Samaritidis, ita ut illius pars esset in duodecimo tomo, et reliqua quæ restabant, in tertio decimo. Sed quoniam videbamus duodecimum Commentariorum tomum satis scriptionum accepisse, visum est nobis desinere in sermonem Samaritidis, ubi loquebatur ipsa de puteo, quemadmodum Jacob illud dederit, et ipse ex eo biberit, et filii ejus, et pecora ejus[3], tertium decimum tomum incepturis ubi Dominus ad ipsam respondet. « Respondit Jesus et dixit illi : Omnis qui » biberit ex aqua hac, sitiet iterum; qui autem biberit ex » aqua quam ego illi dedero, fiet fons in eo aquæ salientis » in vitam æternam[4]. » Hoc respondet secundo Jesus ad Samaritidem : primum quidem dicens : « Si scires donum » Dei, et quis est qui dicit tibi : Da mihi quod bibam, tu » fortassis ab eo petiisses, et dedisset tibi aquam vivam[5]; » et nunc quando admonens ipsam ut peteret aquam vivam, dicit quæ recensuimus : et ad primam quidem responsionem nihil loquitur Samaritis, sed addubitat de comparatione aquarum; post secundam vero Domini responsionem admittens quæ ab ipso dicta fuerant, « Da mihi hanc, *inquit,*

[1] Tom, IV, p. 212 et seqq. — [2] N. 1-9. p. 212-219.
[3] Joan. IV, 12. — [4] Ibid. 13. — [5] Ibid. 10.

» aquam [1]. » Fortassis enim dogma est, neminem donum divinum accipere præter petentem illud. Quamobrem Servatorem ipsum Pater ipse petere admonet per Psalmum, uti sibi donetur, quemadmodum docet nos ipse Filius dicens : « Dominus dixit ad me : Filius meus es tu : postula » a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et posses- » sionem tuam terminos terræ [2]. » Dicit etiam Servator : « Petite, et dabitur vobis : omnis enim qui petit accipit [3]. » Paret quidem Samaritis ut petat aquam a Jesu, imago existens, ut prædiximus, eorum qui ab Ecclesiæ decretis dissidentes, sunt in divinis Scripturis exercitati, quando audit de comparatione utrarumque aquarum. Et vide ex his quæ passa fuerat, quomodo bibens ex puteo, quem ipsa existimabat profundum, nec refocillaretur, nec a siti liberaretur.

Proinde videamus quid ex illis verbis significetur : « Om- » nis qui biberit ex hac aqua, sitiet iterum [4]. » Porro vocis sitiendi et vocis esuriendi, quoad sensum humilem et corporalem attinet, duæ sunt significationes : altera cum vacui cibo egemus, illo, quod appetimus, humido destituti; altera cum sæpe pauperes et qui sunt in egestate rerum necessariarum dicunt, etiamsi satiati fuerint, se esurire vel sitire. Primæ quidem testimonium habes in Exodo, quando egentes cibis « decima nona die, mense secundo, cum » egressi fuissent Judæi e terra Ægypti, murmuravit uni- » versa congregatio filiorum Israël adversus Moysen et » Aaron, et dixerunt ad ipsos filii Israël : Utinam periisse- » mus percussi a Domino in terra Ægypti, quando sedeba- » mus super lebetes carnium, et quando comedebamus pa- » nes ad saturitatem; quoniam eduxistis nos ad hanc solitu- » dinem, ad interficiendum fame cunctam congregationem » hanc. Dixit autem Dominus ad Moysen : Ecce ego pluo

[1] Joan. IV, 15. — [2] Psal. II, 7, 8. — [3] Matth. VII, 7, 8. — [4] Joan. IV, 13.

» vobis panes e cœlo, et egredietur populus, et colligent » singulis diebus, ut tentem an ambulaturi sint in lege mea, » necne [1]. » Esurientibus enim et egentibus necessario cibo, magnam murmurationem faciebant ipsorum sermones : quin etiam aqua egentes et sitientes murmurabant adversus Moysen, dicentes : « Quid bibemus? *quando* clamavit » Moyses ad Dominum, et Dominus ostendit illi lignum, » et projecit illud in aquam, et dulcis facta est aqua [2]. » Et paulo post cum venissent in Raphidim, scriptum est populum sitisse illic propter aquam, illicque murmurasse populum adversus Moysen. Porro secundæ significationis exemplum apud Paulum reperias dicentem : « Usque ad horam præsentem, et esurimus, et sitimus, et nudi sumus [4]. » Primo modo sitire et esurire necessario contingit sanis corporibus; altero modo, his qui sunt pauperes. Igitur quærendum etiam est ex his verbis : « Omnis qui biberit ex » aqua hac, sitiet iterum [5], » quali significatu vocabulum *sitiet* dicatur.

Atque in primis quidem etiamsi, quod ad sensum humilem et corporalem attinet, aperte declaretur quod, quamvis satietur ad præsens is qui biberit, mox tamen subtracto potu eamdem passionem sit perpessurus, hoc est rursum sititurus, siti quam a principio habuerat restitutus; quamobrem illud etiam subjungit : « Qui autem biberit ex aqua » quam ego illi dabo, fiet in eo fons aquæ salientis ad vitam » æternam [6] : » quem fontem in seipso qui habet, quomodo sitire poterit? præcipue tamen ac principaliter horum verborum intelligentia talis erit : Qui participat, inquit, profunditatem humanæ sapientiæ, prudentesque rationes, receptis, intelligentiisque profundissime haustis, et judicio suo inventis, tamen rursum secundo cogitans denuo dubi-

[1] Exod. xvi, 1 et seq. — [2] Idem, xv, 24, 25. — [3] Idem, xvii, 1, 2
[4] 1 Cor. iv, 11. — [5] Joan. iv, 13. — [6] Ibid. et 14.

tabit de his in quibus requieverat, atque etiam rerum quæ quæruntur apprehensionem formans, perceptam a se profunditatem eloqui non poterit. Quare etiamsi correptus aliquis verisimilitudine eorum quæ dicuntur condescenderit, eamdem tamen dubitationem in se existentem postea inveniet, quam etiam habebat antequam illa disceret. At vero mea, inquit Christus, ratio est, ut fons vitalis potionis fiat in eo qui receperit quæ a me promittuntur : tantaque beneficia in eo collaturus sum qui sumpserit aquam meam, ut fons salientium aquarum, inventor omnium quæ quæruntur, scaturiat in ipso, intelligentia saliente, et fortassis transvolante consequenter huic aquæ, facile mobili ; *** ipso actu saliendi, et transiliendi, ferente ipsum in sublime, nimirum ad vitam æternam. *** Ut autem in Cantico Canticorum de Sponso disserens Salomon : « Ecce, *inquit,* iste » venit saliens super montes, transiliens colles[1]; » nam hoc pacto super generosiores divinioresque animas, montes dictas, salit Sponsus, transilit vero deteriores dictas colles : sic hoc in loco fons factus in eo qui biberit ex aqua quam dat Jesus, salit ad vitam æternam ; fortassis etiam saliturus ultra vitam æternam, nempe ad Patrem existentem supra vitam æternam. Est enim Christus vita[2] : proinde qui major est Christo, vita etiam est major.

Cæterum tunc fontem in seipso existentem aquæ salientis ad vitam æternam habebit, qui biberit ex aqua quam dat Jesus ; quando promissio completur hominis, cui promittitur beatitudo, eo quod esurierit et sitierit justitiam ; inquit enim Filius Dei : « Beati qui esuriunt et sitiunt jus» titiam, quoniam ipsi saturabuntur[3]. » Et fortassis quoniam esurire et sitire justitiam satiari est, si quis justitiam antequam satietur fecerit, is famem et sitim ingeneret in se oportet, ut saturetur ; illud dicturus : « Quemadmo-

[1] Cant. II, 8. — [2] Joan. XI, 25, et XIV, 6. — [3] Matth. V, 6.

» dum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat » anima mea ad te, Deus. Sitivit anima mea ad Deum for» tem, vivum : quando veniam, et videbor coram facie » Dei [1] ? » Ut ergo sitiamus, bonum est e fonte Jacob ut in primis bibamus : illum, non perinde atque Samaritis, dicentes puteum. Nam Servator ad illius respondens sermonem, ne nunc quidem ex puteo inquit aquam esse, sed simpliciter inquit : « Omnis qui biberit ex aqua hac, sitiet iterum [2]. » Quod si bibenti ex illo fonte nulla provenisset utilitas, haudquaquam sessurus fuerat apud fontem Jesus, neque dicturus Samaritidi : « Da mihi quod bibam [3]. » Proinde observandum est, quemadmodum petenti a se aquam Samaritidi non alibi promiserit Jesus illam se daturum quam apud fontem, dicens illi : « Vade, voca virum tuum, et veni huc [4]. »

Adhuc autem inspiciamus num, quia qui biberit ex fonte Jacob sitiat iterum, qui vero biberit ex aqua quam dat Jesus fontem in seipso habeat aquæ salientis ad vitam æternam ; innui possit diversam esse utilitatem eorum qui cum ipsa veritate consuetudinem habuere, habiturique sunt, ab ea utilitate quam nobis oriri existimamus ex Scripturis, etiamsi accurate intellectæ fuerint ; præsertim cum quædam ex principalioribus divinioribusque Dei mysteriis nec capere potuerit Scriptura, quædam etiam nec vox humana : nam quædam significationes divinæ cum sint, lingua est humana : « Sunt *namque* et alia multa quæ fecit Jesus, » quæ singulatim si scribantur, nec ipsum arbitror mun» dum capturum qui scriberentur libros [5]. » Quin et quæ locuta sunt septem illa tonitrua scripturus Joannes prohibetur [6] : et Paulus se audisse inquit indicibilia verba, quæ non liceret alicui loqui [7] ; licebat enim ad Angelos ea loqui, ad homines non licebat : nam « Omnia *quidem* licent,

[1] Psal. XLI, 2, 3. — [2] Joan. IV, 13. — [3] Ibid. 7. — [4] Ibid. 16. — [5] Idem, XXI, 25. — [6] Apoc. X, 3. — [7] 2 Cor. XII, 4.

» at non omnia expediunt[1]. » Sin vero audivit ineffablia verba, quæ fas non esset, inquit, ad hominem loqui, arbitror ego universæ cognitionis elementa quædam minima brevissimasque introductiones esse universas Scripturas, etiamsi accurate intellectæ fuerint. Quamobrem vide num fons Jacob, ex quo bibebat aliquando Jacob, sed nunc non bibit, atque etiam bibebant filii sui, sed nunc potum habent illo priori potu præstantiorem, quin biberunt etiam pecora eorum, possit esse universa Scriptura; aqua vero Jesu, illud esse possit, quod est supra ea quæ scripta sunt : non omnibus autem scrutari licet quæ sint superiora his quæ scripta sunt, nisi qui assimilatus fuerit ipsis; ne objurgetur audiens : « Te difficiliora ne quæras; et te fortiora ne ves- » tiga[2]. »

Quod si dicimus aliqua esse supra ea quæ scripta sunt, non hoc dicimus ea posse multis esse nota, sed Joanni, qui audiens, scribere etiam qualia essent ea tonitruum verba non permittitur[3]; cumque ea didicisset, ea non scribit, ut parcat mundo : rebatur enim ne ipsum quidem mundum capturum qui scriberentur libros[4]. Quinetiam, quæ Paulus didicit[5] sunt supra ea quæ scripta sunt, quandoquidem homines ea locuti sunt; et quæ oculus non vidit sunt supra ea quæ scripta sunt; et quæ auris non audivit scribi non possunt. Quin et quæ in cor hominis non ascenderunt fonte Jacob sunt majora, quippe quæ a fonte aquæ salientis ad vitam æternam manifestantur his qui cor hominis non amplius habent, sed dicere valent : « Nos autem mentem Chri- » sti habemus, ut videamus quæ a Deo donata sunt nobis : » quæ et loquimur non in doctis humanæ sapientiæ verbis, » sed in doctrina Spiritus[6]. » Et inspice an fieri possit ut humana sapientia non loquatur falsa dogmata, sed quæ ve-

[1] 1 Cor. VI, 12. — [2] Eccli. III, 22. — [3] Apoc. X, 3. — [4] Joan. XXI, 25. — [5] 1 Cor. II, 9. — [6] Ibid. 12, 13 et 16.

ritatem confirment, et ad homines posteriores perveniant; quæ vero Spiritus edocet, sint fortasse fons aquæ salientis ad vitam æternam[1]. Introductiones ergo sunt Scripturæ, a quibus accurate intellectis, et nunc nominatis fons Jacob, ascendendum est ad Jesum, ut nobis largiatur fontem aquæ salientis ad vitam æternam. Cæterum non similiter omnis haurit e fonte Jacob : nam etiamsi bibebat Jacob, et filii ejus, et pecora ejus[2], atque etiam Samaritis illa venit ad fontem ipsum, et haurit, vide ne aliter, et prudenter, biberit Jacob cum filiis; aliter, et simplicius, moreque magis pecuino biberint pecora ejus; rursus biberit etiam aliter quam Jacob, et filii, et pecora ejus, Samaritis illa. Qui enim docti sunt in Scripturis, bibunt sicut Jacob et filii ejus; rudiores vero et simpliciores, qui dicuntur oves Christi, bibunt perinde atque oves Jacob : tum aliqui laudantes Scripturas, et quædam constituentes male dicta, prætextu quod eas intellexerint, non secus bibunt atque bibebat Samaritis illa, antequam crederet in Jesum.

« Dicit ad illum mulier : Domine, da mihi hanc aquam, » ne sitiam, neque veniam huc ad hauriendum[3]. » Jam secundo prædicat Samaritis Dominum Servatorem : primum cum dicit : « Domine, neque haustorium habes, et puteus » altus est[4]; » quando etiam interrogat unde habeat aquam, et num major sit Jacob, qui putabatur esse pater ejus; et nunc etiam, quando petit aquam illam quæ in bibente fit fons aquæ salientis ad vitam æternam : et si quidem verum est illud : « Tu forsitan petiisses ab eo, et dedisset tibi aquam » vivam[5], » perspicuum est, eo quod dixerit : « Da mihi hanc » aquam, » accepisse viventem aquam, ne in posterum egeret sitiens, neque veniret ad fontem Jacob hauriendi causa, sed posset sine aqua Jacob angelice videre veritatem supra hominem existentem : nam neque Angeli egent fonte Jacob,

[1] Joan. IV, 14. — [2] Ibid. 15. — [3] Ibid. 15. — [4] Ib. 11 et 12. — [5] Ib. 10.

ut bibant, sed unusquisque ipsorum in seipso fontem habet aquæ salientis ad vitam æternam, orientem ac retectum ab ipso Sermone Dei filio, atque sapientia ipsa. Neque enim facile factu est ut aquam quæ a Filio Dei datur, diversam existentem ab aqua fontis Jacob accipiat aliquis qui se non diligentissime exercuerit veniendo, et inde hauriendo, eo quod sitiat; perinde atque ille qui petit hanc aquam frequenter inter multos magnos homines, ut qui diutius exerciti fuerint hauriendo e fonte Jacob.

« Dicit illi : Vade, voca virum tuum, et veni huc. Re» spondit mulier, et dixit : Non habeo virum[1]. » Diximus etiam in superioribus hunc virum esse legem, quæ princeps sit animæ [nam habet unusquisque instituta quædam ac mores, sub quibus tanquam sub lege vivit], cui unusquisque seipsum subjecerit. Nunc vero etiam illud Apostoli ex Epistola ad Romanos ad hanc rem testimonium adducemus, dicentis : « An ignoratis, fratres (scientibus enim le» gem loquor), quod lex tantisper dominatur homini, quoad » vixerit[2]? » vixerit autem quis? nempe lex, communiter intelligentibus nobis legem. Postea statim ait : « Nam mulier » obnoxia viro, viventi viro obligata est legi[3], » tanquam si diceret, viventi viro, qui vir est lex. Mox rursum inquit : « Quod si mortuus fuerit vir, liberata est a lege viri[4]; » veluti liberata mulier est a lege mortua, nec amplius opera mulieris erga virum exercet : deinde inquit : « Proinde, vi» vente viro, adultera vocabitur si se junxerit alteri viro; » sin autem mortuus fuerit vir, libera est a lege viri, ut non » sit adultera si juncta fuerit alteri viro[5]. » [Lex autem secundum litteram mortua est, neque jam adulter est animus si junctus fuerit alteri viro,] nimirum ei legi quæ est ex spiritu : mortuo autem viro mortua esse mulier aliquo modo dicetur etiam viro, adeo ut nos hunc in modum

[1] Joan. IV, 16, 17. — [2] Rom. VII, 1. — [3] Ibid. 2. — [4] Ibid. — [5] Ibid. 3.

exponamus illud : « Itaque, fratres mei, vos quoque mor- » tificati estis legi per corpus Christi, ut jungeremini al- » teri, nimirum ei qui ex mortuis surrexit, ut fructifice- » mus Deo[1]. » Si igitur lex est vir, et Samaritis habet virum aliquem, quia seipsam juxta perversam intelligentiam sanorum verborum subjecerit legi alicui, juxta quam vult vivere unusquisque ab Ecclesiæ decretis dissidens ; et si vult etiam hoc in loco divinus Sermo animam manifestari Ecclesiæ decretis dissentientem, quæ sibi ipsi præfecerit legem principem, ut spreto viro, ceu non legitimo, quærat alterum, nuptura alteri viro, nimirum Sermoni filio Dei, qui resuscitatus est ex mortuis, non mutandus, neque moriturus, sed sempiternus, manens, et regnans, omnesque inimicos subjiciens : « Christus *enim* excitatus a mortuis non amplius » moritur, mors illi ultra non dominabitur : quod enim mor- » tuus est, peccato mortuus est semel ; quod vero vivit, vi- » vit Deo[2], » in dextera ejus sedens, donec omnes inimici ejus positi fuerint subsellium pedum ipsi[3]. Si hæc, inquam, ita se habent, ubinam debebat Jesus manifestare eum qui putabatur esse Samaritidis, virum non esse illius, nisi apud fontem Jacob, si a seipsa mulier non negasset virum? Hanc ob causam dicit illi Jesus : « Vade, voca virum tuum, et veni » huc[4]. » Jam vero veluti nonnihil habens aquæ salientis ad vitam æternam, eo quod dixisset : « Da mihi hanc aquam[5], » nec fallere quiret qui prædixerat : « Tu forsitan petiisses ab » eo, et dedisset tibi aquam vivam ; respondit mulier[6], » condemnans seipsam, quod cum hujusmodi viro consuetudinem habuisset, « et dixit : Non habeo virum[7]. »

« Dicit illi Jesus : Bene dixisti, Non habeo virum, nam » quinque viros habuisti ; et nunc quem habes, non est tuus » vir : hoc vere dixisti[8]. » Arbitror quod omnis anima quæ

[1] Joan. IV, 4. — [2] Rom. VI, 9, 10. — [3] Hebr. X, 12, 13. — [4] Joan. IV, 16. — [5] Ibid. 15. — [6] Ibid. 10. — [7] Ibid. 17. — [8] Ibid. et 18.

introducitur ad eam, quæ est per Scripturas, pietatem in Christo, incipiens ab his rebus quæ sensibus sunt obnoxiæ, et quæ corporeæ vocantur, habeat priores quinque viros; unoquoque sensu virum aliquem faciente : postea vero quam habita consuetudine cum his quæ sensu percipiuntur, emergere quis volens, et conversus ad ea quæ animo cernuntur, impegerit in sermonem spiritualem non sanum, prætextu allegoriæ, hic post quinque viros ad sextum pergit, dato, ut ita dicam, repudii libello quinque primis, et decernens cum sexto habitare. [Atque donec Jesus adventu suo nos in ejusmodi viri conspectum consensumque duxerit, cum illo consuetudinem habemus et vivimus :] verum cum advenerit Sermo Domini, disserueritque nobiscum, negantes illum virum, dicimus : « Non habeo virum [1] ; » quando etiam laudat nos Dominus dicens : « Bene dixisti, Non habeo vi- » rum. » Illud vero : « Hoc vere dixisti, » veluti objurgatorium est, perinde quasi mulier in superioribus non vera dixerit. Ac fortasse verum illud non erat : « Non coütuntur Judæi » Samaritanis [2], » ipso Jesu, ut in superioribus diximus, commercium habente cum Samaritanis, ut illis esset adjumento. Ac ne illud quidem verum est : « Neque haustorium » habes, et puteus altus est [3] : » fortassis etiam neque illud, quod Jacob ex puteo biberit, et filii ejus, et pecora ejus [4]; nam si Jacob, filii ejus, et pecora ejus, non similiter biberunt ut mulier Samaritis, existimatque illa similem se omnino potum atque eumdem bibisse cum Jacob, et filiis ejus, et pecoribus ejus, perspicuum est falsa eam dixisse.

« Dicit [5] ad eum mulier : Domine, video te esse prophe- » tam. Patres nostri in monte hoc adoraverunt, et vos dici- » tis Jerosolymæ locum esse ubi oporteat adorare [6]. » Ter-

[1] Joan. IV, 17, 18. — [2] Ibid. 9. — [3] Ibid. 11. — [4] Ibid. 12.
[5] N. 12-14. p. 222-224.
[6] Joan. IV, 19, 20.

tio jam Samaritis Servatorem nostrum Dominum prædicat, quando etiam scriptum est ultimo hoc eam illi dixisse : attamen nondum credit eum esse Prophetis præstantiorem, neque quem Prophetæ prædixerint, sed prophetam aliquem. Sententia etiam ab Ecclesiæ decretis dissentiens eorum qui versantur in Scripturis, quinque illis viris in apertum sibi productis, cumque illis eo quem ipsa post illos occuparat, quique existimabatur vir esse, λόγον, et Sermonem filium Dei, qui illos manifestarat, non valens a principio cernere, prophetam esse inquit, ceu divinum quempiam, eumque habentem homine quid majus; haud tamen tantum quantum erat : quam ob causam inquit, veluti quæ sustulisset aliquo modo oculos, et se existimaret in visione fuisse : « Video te esse prophetam. » Sane quod ad illud attinet : « Patres nostri, » et quæ sequuntur, agnoscenda est Samaritanorum cum Judæis differentia, de loco quem illi rebantur sanctum : nam Samaritini montem sanctum existimantes eum qui vocatur Garizim, Deum ibi adorant : cujus meminit Moyses in Deuteronomio sic dicens : « Et » præcepit Moyses populo in die illa dicens : Hi stabunt ad » benedicendum populum in monte Garizim, cum trans» ierint Jordanem, Simeon, Levi, Judas, Isachar, Joseph, » et Benjamin : et hi stabunt in execratione in monte Ge» bal, Ruben, Gad, Aser, Zabulon, Dan, et Nephtalim[1] : » Judæi autem Sion montem divinum esse rati, proprium etiam Dei illum rentur esse locum, electum a Patre universorum ; et hanc ob causam dicunt in ipso ædificatum fuisse templum a salomone, omnemque leviticum sacerdotalemque cultum illic perfici : quas suspiciones utraque gens sequens, existimavit patres in hoc vel illo monte adorasse Deum.

Quod si usque in hodiernum diem contenderent ali

[1] Deut. XXVII, 11, 12, 13.

quando Judæi cum Samaritanis, addubitabit uterque ad alterum; dicetque sane Samaritanus Judæo præsentem mulieris scriptum sermonem : « Patres nostri in monte hoc » adoraverunt[1], » ostendens Garizim : « Vos autem dicitis » Jerosolymæ locum esse ubi oporteat adorare. » Sed quoniam Judæi (ab ipsis enim salus[2]) gerunt imaginem eorum qui sanæ sunt opinionis, Samaritæ autem eorum qui ab Ecclesiæ decretis dissident; beatificant consequenter Samaritæ Garizim, qui mons interpretatur Discissio, vel Divisio; cum etiam separatio et divisio juxta historiam decem tribuum, quæ divisæ fuerunt a reliquis duabus, facta fuerit temporibus Jeroboam[3], qui et ipse interpretatur Judicium populi : Judæi autem Sion, quem si interpreteris sonat Specula. Sed probabile est dubitaturum aliquem, quare benedictiones fiant in monte Garizim apud Mosen : ad quod dicendum est, quoniam vox Garizim Discissionem et Divisionem significat, Discissionis quidem significatum sumendum esse cum scinditur populus a Jeroboam, habitatque Samariam rex; Divisionis vero vocem sumendam esse in bonam partem, quia apposite sapientes utantur divisione in unaquaque propositione disputabili, necessaria existente divisione ad cognitionem veritatis. Quocirca quia nondum venit hora illa dicta a Domino, quando neque in monte hoc neque Jerosolymæ adorabunt Patrem[4], fugiendus est mons Samaritanorum, et interim in Sion, ubi est Jerosolyma, Deus adorandus; quæ Jerosolyma « civitas » Regis magni[5] » dicitur a Christo. Sed quænam alia civitas erit Regis magni, et vera Jerosolyma, nisi Ecclesia ex vivis lapidibus ædificata, ubi est sacerdotium sanctum, ubi spirituales offeruntur hostiæ Deo a spiritualibus[6], et ab his qui spiritualem intellexerint legem? Cum enimvero aderit ple-

[1] Joan. IV, 20. — [2] Ibid. 22. — [3] 3 Reg. XII, 20. 2 Par. X, 19. — [4] Joan. IV, 23. — [5] Matth. V, 35. — [6] 1 Pet. II, 5.

nitudo illa temporis; adhæc cum quis nequaquam in carne, sed in spiritu fuerit, nec amplius in figura, sed totus in veritate, et taliter instructus ut seipsum similem reddat eorum adoratorum quos Deus quærit : tunc non censendum est veram adorationem perfectumque Dei cultum Jerosolymis perfectum iri.

Bis autem scriptum est : « Venit hora[1] ; » sed primum cum non addiderit Evangelista : « Et nunc est, » secundo inquit : « Sed venit hora, et nunc est[2]. » Ac, mea quidem sententia, prima lectio declarat futuram adorationem extra corpora propter perfectionem, altera profectum eorum qui perficiuntur in hac vita, quoad licet humanæ naturæ. Quamobrem licet adorare Patrem, et spiritu et veritate, quando non solum « venit hora, *verum etiam* venit hora, et nunc » est[3] ; » et quando Jerosolymis esse existimamur propter eos qui eousque tantum ascenderunt. Quando ergo scriptum est : « Venit hora, et nunc est[4], » non amplius dicitur : « Neque in monte hoc, neque Jerosolymis adorabitis Pa» trem[5], » ut dictum est : [cum illud : « Venit hora, *sine* » *hoc toto,* Et nunc est, » scripsit.] Attamen falsa opinatur Samaritis hæc dicens, non aliter quam cum putabat fontem Jacob dici puteum. Illic etenim inquit : « Num tu major es » patre nostro Jacob, qui dedit nobis hunc puteum, et ipse » ex eo bibit, et filii ejus, et pecora ejus[6] ? » hic autem : « Patres nostri in monte hoc adoraverunt[7]. »

« Vos[8] adoratis quod nescitis; nos adoramus quod sci» mus, quoniam salus ex Judæis est[9]. » Per voculam, *vos,* quod ad expositionem attinet, intelliguntur Samaritani; quantum vero ad anagogen, illi qui in Scripturis diversa a nobis sentiunt : sic per voculam *nos,* quantum ad pro-

[1] Joan. IV, 21. — [2] Ibid. 23. — [3] Ibid. 21, 23. — [4] Ibid. 23. — [5] Ibid. 21. — [6] Ibid. 12. — [7] Ibid. 20.

[8] N. 17. p. 226.

[9] Joan. IV, 22.

positum, intelliguntur Judæi; quantum ad allegoriam, ego ipse Dei Sermo, ipse Dei Filius, et qui in me transformantur, salutem habentes a scriptis Judaïcis : nam manifestatum nunc mysterium manifestum est per Scripturas propheticas, et per adventum Domini nostri Jesu Christi[1]. Vide vero annon improprie et præter consequentiam verborum Heracleon disseruerit, exponens illud *vos,* pro eo quod est, Vos Judæi, et Gentiles. Quale autem est, ut ad Samaritidem dicatur, Vos Judæi; vel ad Samaritidem, Vos Gentiles? Sed profecto nesciunt qui ab Ecclesiæ decretis dissident, quod adorant figmentum esse, non veritatem; fabulam, non mysteria : at vero qui Creatorem adorat, præsertim juxta Judæum occultum, et juxta sermones Judaïcos spirituales, novit quod adorat[2]......

« Sed[3] venit hora, et nunc est, quando veri adoratores » adorabunt Patrem in spiritu et veritate[4]. » Qui minime se profitentur adorare Patrem, hos ne nominare quidem oportet adoratores Dei : sed ex omnibus profitentibus se adorare mundi Opificem, si quidam non amplius sint in carne, sed in spiritu, spiritu quia ambulent, desideria carnis non perficientes[5]; et aliqui non in spiritu sint, sed in carne, et secundum carnem militent : tunc dicendum est veros adoratores esse eos qui Patrem adorant in spiritu, non in carne; in veritate, non in figuris; non veros vero eos qui sic se non habent. Ille etiam qui non particeps fuerit spiritus vivificantis, quique spiritualia legis non sequens a littera occidente in servitutem redactus fuerit, hic verus non erit adorator, nec spiritu adorabit Patrem : imo hic ipse, totus figuris et rebus corporeis addictus, cum se maxime assequi existimaverit, tunc in figura et non in veritate Deum

[1] Rom. xvi, 26. — [2] Id. ii, 29.
[3] N. 18. p. 228.
[4] Joan. iv, 23. — [5] Gal. v, 16.

adorat, et idcirco verus adorator esse non valens. Fortasse concessum est aliquando convenienter rationi, ut verus adorator, in spiritu et veritate adorans, quædam faciat quæ in figura sint, ut quos figura irretierit summa dispensatione ab ea liberatos ad veritatem adducat : id quod Timotheo Paulum fecisse apparet, fortassis autem in Cenchris, et Jerosolymis, veluti in Apostolorum Actis scriptum est[1]. Observandum vero est veros adoratores non solum in futura hora, verum etiam in præsenti, adorare Patrem in spiritu et veritate. Sed qui in spiritu adorant, quemadmodum acceperunt adorantes, in arrabone spiritus nunc adorant : tunc autem in spiritu Patrem adoraturi, cum totum perceperint spiritum. Quod si is qui videt per speculum, non videt verum, uti hæc optime callentes ostendunt his imaginarie videntibus, et per speculum adorat Deum, videtque Paulus nunc per speculum[2], suique similes, perspicuum est Paulum sic adorare Deum quemadmodum videt, atque etiam per speculum adorare Deum : cum vero venerit hora post instantem futura, tunc erit adoratio in veritate, quæ facie ad faciem, non amplius per speculum videtur.

« Etenim[3] Pater tales quærit, qui ipsum adorent[4]. » Si quærit Pater, per Filium quærit, qui venit ad quærendum et servandum quod perierat[5] : quos purificans et erudiens ratione et sanis dogmatibus, præparat esse veros adoratores. Periisse autem Heracleon inquit in profunda materia erroris rem familiarem Patri, quæ quæritur, ut a familiaribus adoretur. Itaque hunc quidem sermonem si intellexisset de ovium perditione, et de filio qui ab iis quæ patris sunt deciderit[6], saltem admisissemus ipsius enarrationem : sed nescio quid tandem aperte doceant de perditione spi-

[1] Act. xvi, 3 ; xviii, 18, et xxi, 24. — [2] 1 Cor. xiii, 12.
[3] N. 20-24. p. 229-234.
[4] Joan. iv, 23. — [5] Luc. xix, 10. — [6] Id. xv, 4, 11 et seq.

ritualis naturæ, qui ipsum sequuntur, fabulantes, et nihil apertum nos docentes de sæculis vel temporibus quæ fuere ante ipsam perditionem; neque enim manifestare valent rationem suam : hanc ob causam prætermisimus ipsos sponte, hactenus disputasse contenti.

« Spiritus est Deus, et eos qui adorant eum, in spiritu et » veritate oportet adorare[1]. » Cum multi multa de Deo deque ejus essentia enuntiarint, adeo ut quidam illum corporeæ, et tenuis, et cœlestis naturæ dixerint; alii incorporeæ; rursum alii Deum has naturas transcendere dixerint potentia, et excellentia essentiæ suæ : operæ pretium est ut videamus an a Scripturis divinis habeamus causas ad dicendum aliquid de Dei essentia. Atque hoc quidem in loco dicitur quasi essentia ejus esse spiritus : « Spiritus *enim* est » Deus[2], » inquit; in lege vero ignis dicitur; scriptum est enim : « Deus noster ignis consumens est[3]: » apud Joannem vero lux : « Deus *enim, inquit,* lux est, et tenebræ in eo » non sunt ullæ[4]. » Si ergo simplicius hæc intellexerimus, nihil ultra litteram perscrutantes, occasionem habebimus dicendi Deum esse corpus, cum interim quæ nos sequantur absurda hoc dicentes vulgarium non sit cernere; quia pauci disseruerint de corporum natura, et maxime de his corporibus quæ ornantur ratione et providentia : quanquam generali sermone dicant providentem et prospicientem ejusdem essentiæ esse cum his quibus prospicitur; perfectum tamen et diversum ab eo cui prospicitur. Admiserunt autem quæ repugnabant rationi ipsorum, absurda, qui volunt Deum esse corpus, quia non valerent contra eos qui evidenter et rationabiliter pugnabant, resistere : quæ dico excipiendo eos qui quintam naturam corporum, præter elementa, esse dicunt. Quod si omne corpus materiale naturam habet propria ratione sine qualitate existens,

[1] Joan. IV, 24. — [2] Ib. — [3] Deut. IV, 24. Hebr. XII, 29. — [4] I Joan. I, 5.

vertibilem autem et alterabilem, et per omnia mutabilem, et qualitates capientem quas illi mundi Opifex imprimere voluerit; esse necesse est Deum materialem existentem, vertibilem esse, et alterabilem, et mutabilem : et illos quidem non pudet dicere Deum corruptibilem esse, corpus cum sit, sed corpus spirituale et cœleste, præcipue secundum principatum ipsius; corruptibilisque cum sit, idcirco eum non corrumpi, quod non habeat corrumpentem. At nos, eo quod non videamus consequentia, si corpus eum dixerimus, et per Scripturam tale corpus, nempe spiritum, et ignem consumentem, et lucem, quæ necessario hanc opinionem sequantur absurda non admittentes, erubescemus veluti fatui dicentes contra aperta et evidentia. Omnis enim ignis opus habens ut alatur, corruptibilis est, et omnis spiritus (si simpliciter intelligamus spiritum) corpus cum sit, accipit, quod ad suam naturam attinet, mutationem in rem crassiorem : ergo his fiet ut vel servantes verba, tot absurda et inexplicabilia de Deo admittamus; vel eadem via incedendum est, quemadmodum etiam in pluribus faciemus exquirendumque quid innui et declarari possit cum Deus dicitur spiritus, vel ignis, vel lux.

Ac principio dicendum est, ut oculos, et palpebras, et aures, et manus, et brachia, atque etiam alas, et pedes, scripta de Deo invenientes, transmutamus quæ scripta fuerint in allegoriam, spretis his qui Deo similem hominibus formam attribuunt, hocque jure facimus; sic etiam nobis idem faciendum esse in prædictis nominibus : ac profecto id liquet ex re quæ videtur nobis magis in usu esse : « Deus » *enim* lux est, *secundum Joannem,* et tenebræ in eo non » sunt ullæ[1]. » Quomodo autem lux ipse intelligendus sit pro virili cordatius consideremus. Dupliciter lux dicitur, tum corporaliter, tum spiritualiter, hoc est, quæ mente cernitur,

[1] I Joan. I, 5.

et, ut Scripturæ dicerent, quæ sub visum non cadit; seu, ut Gentiles, invisibilis. Et corporalis sane lucis manifestum exemplum est illud his qui hanc Scripturam accipiunt : « Omnibus autem filiis Israël erat lux in omnibus in qui- » bus versabantur[1] : » spiritualis vero exemplum est apud quemdam Prophetam ex duodecim : « Seminate vobis ipsis » justitiam, vindemiate fructum vitæ, illuminate vobis ipsis » lumen cognitionis[2]. » Rursus similiter per comparationem et proportionem bifariam dicentur tenebræ : quarum, quæ communius dicuntur, exemplum est illud : « Et vocavit » Deus lucem diem, et tenebras vocavit noctem[3] : » tenebrarum vero intelligibilium hoc est exemplum : « Populo, » qui sedebat in tenebris et umbra mortis, lux orta est » eis[4]. »

His sic habentibus, dignum est cernere quid nobis conveniat intelligere de Deo, cum lux dicitur in qua nullæ sunt tenebræ[5] : utrum Deus lux est illuminans corporeos oculos; an intelligibiles, de quibus et Propheta dicit : « Illu- » mina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte[6]. » Existimo autem apertum cuicumque esse nos haudquaquam dicturos, Deum solis officium facere, si alii cedat munus illustrandi eorum oculos qui dormituri non sunt in morte : ergo illuminat Deus eorum mentem quos dignos judicat propria illuminatione. Quod si mentis est illustrator, juxta illud quod dicitur : « Dominus illuminatio mea[7], » necesse est ipsum, qui mente cernitur, qui sub visum non cadit, qui est expers corporis, ipsius mentis, quæ sub visum non cadit, lucem esse corpore carentem; quod Deus « ignis consu- » mens[8] » dictus, nequaquam corporalis ignis esse videatur, qui consumat corpora, veluti ligna, fœnum, stipulam[9]; sed

[1] Exod. x, 23. — [2] Ose, x, 12. — [3] Gen. I, 5. — [4] Is. IX, 2. — [5] I Joan. I, 5. — [6] Psalm. XII, 4. — [7] Psalm. XXVI, 1. — [8] Hebr. XII, 29. — [9] I Cor. III, 12.

si cernantur in nobis ligna, fœnum, stipula, sit Deus noster ignis talis materiæ consumptor, qui dicitur « ignis consu» mens : » decetque profecto Dominum talia consumere, delereque pejora : quo facto dolores arbitror laboresque oriri nullo corporeo tactu circa principatus et partes animæ præstantissimas, ubi structura fuerit digna quæ consummetur. Lux ergo Deus nominatur, translatione sumpta a luce corporea ad invisibilem et incorpoream lucem, sic dictus propter vim illuminandi oculos intelligibiles. Appellatur etiam « ignis consumens[1] » consideratione habita ab eo igne qui est corporeus et consumptor talis materiæ. Simile quiddam mihi videtur esse Deus, cum spiritus dicitur[2] : quoniam enim vivificatione ea quæ media est, et quæ communiori vocabulo vita appellatur, dicta etiam corporalis flatus vitæ, viventes vivificamur a spiritu ; inde sumptum fuisse arbitror ut Deus ducens nos ad vitam veram, spiritus dicatur. Spiritus enim, more sacræ Scripturæ, dicitur id quod vivificat[3], non ea vivificatione quæ est media, sed diviniori : etenim littera occidit et ingenerat mortem[4], non eam quæ est separatio animæ a corpore, sed mortem quæ animam a Deo, et Domino suo, et sancto Spiritu separat.

Vide igitur ne forte illud : « Auferes spiritum ab eis, et » deficient[5] ; » et illud : « Emittes spiritum tuum, et crea» buntur, et renovabis faciem terræ, » melius exponeremus de divino Spiritu, existimantes quod qui privatur divino Spiritu terrenus efficiatur ; cum contra qui aptum seipsum fecerit ad susceptionem ipsius, et eum acceperit, renovetur et denuo creetur. Hujusmodi quiddam est illud : « Insuffla» vit in faciem ejus flatum vitæ, et factus est homo in ani» mam viventem[6] : » adeo ut et inspirationem, et flatum vitæ, et vitam animæ spiritualiter intelligamus. Quoniam

[1] Hebr. XII, 29. — [2] Joan. IV, 24. — [3] 2 Cor. III, 6. — [4] Ibid. — [5] Psal. CIII, 29, 30. — [6] Gen. II, 7.

autem vis prædicta nacta animam sancti, quasi domunculam aptam, seipsam exhibet ad permanendum, ut ita loquar, in ea, et propter hoc illud scriptum esse etiam existimandum est : « Inhabitabo in eis, et deambulabo inter ipsos, et » ero illis Deus, et ipsi erunt mihi populus[1] : » multa sane exercitatione egemus, ut perfecti, et exercitati in his quæ Paulus vocat sensoria[2], dijudicare possimus bona et mala, vera et falsa, videreque intelligibilia, quo diligentius, et ut Deo magis est decens, juxta vires humanæ naturæ, intelligere possimus quomodo Deus sit lux, quomodo ignis, quomodo spiritus. Quin in Regum tertio talia quædam de Deo suggerit Domini spiritus ad Eliam factus : dixit enim : « Egre- » dietur cras, et stabit coram Domino in monte, et ecce præ- » teribit Dominus, et ventus magnus, et fortis, diffindens » montes, et confringens petras coram Domino : non in » vento Dominus » (in aliis vero exemplaribus invenimus : « In spiritu Domini) : post ventum commotio, non in com- » motione Dominus; et post commotionem ignis, non in igne » Dominus; post ignem autem, vox auræ tenuis[3] : » et fortasse in quantis oporteat nos versari pro cognoscendo atque apprehendendo Domino, declaratur per hæc verba, quæ non est præsentis temporis enarrare. Quemnam autem decuit de Deo dicere nobis quisnam sit, præter Filium ? nam « Patrem nemo novit, nisi Filius[4], » ut etiam nos, revelante Filio, agnoscamus quonam pacto Deus sit spiritus, et contendamus Deum adorare in spiritu vivificante, non in littera occidente, eumque colere in veritate, non amplius in figuris et exemplaribus, perinde atque Angeli, qui non exemplaribus et umbra cœlestium Deo deserviunt[5], sed rebus intelligibilibus et supercœlestibus, summum illum Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech pro orantium

[1] 2 Cor. vi, 16. Levit. xxxvi, 12. — [2] Hebr. v, 14. — [3] 3 Reg. xix, 11, 12. — [4] Matth. xi, 27. — [5] Hebr. viii, 5.

atque egentium salute, habentes ducem cultus mystici atque ineffabilis visionis.

« Dicit [1] ei mulier : Scio Messiam venturum esse, qui di» citur Christus : cum venerit ille, annuntiabit nobis om» nia [2]. » Dignum est ut videamus quonam pacto Samaritis nihil plus admittens quam quinque Mosis libros, Christi adventum expectat, veluti tantum a Lege nuntiatum : ac profecto consentaneum est, eam futurum hujus adventum sperasse ex benedictione quam Judæ Jacob dedit dicens : « Juda, te laudabunt fratres tui : manus tuæ in cervice hos» tium tuorum : genu flectent tibi filii patris tui [3] ; » et post pauca : « Non deficiet dux de Juda, et princeps de femori» bus ejus, donec venerint reposita illi, et ipse expectatio » gentium. » Quin verisimile est Samaritanos ex prophetiis Balaam, idem sperasse et ex hac præsertim : « Egredietur » homo ex semine ejus, et dominabitur gentibus multis, et » exaltabitur regnum Gog, et regnum ejus augebitur : Deus » deducet eum ex Ægypto : gloria ejus veluti gloria uni» cornis : devorabit gentes inimicorum suorum, et crassities » illorum medulla privabit ; et jaculis suis inimicum impe» tet : decumbens requievit ut leo, et ut catulus leonis ; quis » excitabit eum ? benedicentes te benedicentur, et execran» tes te execrati sint [4]. » Quin in sequentibus etiam inquit ipse Balaam : « Apparebo illis, et non nunc : beatifico, et » non approximat : orietur astrum ex Jacob, et exurget » homo ex Israël, et vulnerabit duces Moab, et captivos du» cet omnes filios Seth, et erit Edom hæreditas : et erit hæ» reditas Esaü inimicus ejus, et Israël fecit in fortitudine, » et excitabitur ex Jacob, et perdet servatum ex urbe [5]. » Inspicies vero num forte Samaritanis quoque complaceat

[1] N. 26, 27. p. 236, 237.

[2] Joan. IV, 25. — [3] Gen. XLIX, 8, 10. — [4] Num. XXIV, 7 et seq. — [5] Ibid. 17 et seq.

ut Mosis benedictio ad Judam, referatur ad Christum, sic habens : « Exaudi, Domine, vocem Juda, et ad populum » ejus, quæso, venias : manus ejus simul judicant eum, et » adjutor sibi ab inimicis ejus eris[1]. » Sed quoniam gloriantur Samaritani de Patriarcha Joseph, inspicio num forte aliqui et benedictionem Jacob ad Joseph, et benedictionem Mosis accipiant dici de Christi adventu. Poterit autem quisquis voluerit ex ipsa Scriptura sumere verba. Quin Servator ipse sciens Mosen multa de Messiæ prophetia scripsisse, ad Judæos inquit : « Si Mosi crederetis, crederetis etiam » mihi ; de me enim ille scripsit[2]. » Quamobrem quamplurima invenire licet scripta in Lege tum typice aperte, tum obscure, quæ referantur ad Christum. Apertiora vero alia, et manifestiora præter hæc, ego in præsentia non video. Messias quidem lingua Hebræorum dicitur, quod Septuaginta interpretati sunt, Christus; Aquilas vero, Unctus.

Intuendum et illud : « Cum venerit ille, annuntiabit no» bis omnia[3], » utrum ex traditione id dixerit Samaritis, an ex Lege. Nec sane ignorandum est, ut Jesus seipsum non solum esse ex Judæis Messiam dicebat, sed etiam demonstrabat; sic Dositheum etiam quemdam extitisse ex Samaritanis, qui seipsum diceret Messiam prophetatum, a quo usque nunc Dositheini sunt, libros Dosithei circumferentes, et fabulas quasdam enarrantes de eo, perinde quasi ille non perierit, sed alicubi in hac vita degat. Et hæc quidem, quod ad lectionis seriem attinet. Quinetiam diversæ sectæ mulier apud fontem Jacob, quem puteum putabat, quem mente suspicatur esse perfectiorem λόγον [id est Sermonem], hunc Christum nominans inquit : « Cum venerit ille, an» nuntiabit nobis omnia[4]; » præsens autem cum esset ille qui et expectabatur et sperabatur : « Ego sum, qui tecum » loquor[5], » inquit.............

[1] Deut. xxxiii, 7. — [2] Joan. v, 48. — [3] Id. iv, 25. — [4] Ib. — [5] Ib. 26.

« Dicit [1] illi Jesus : Ego sum, qui loquor tecum. Et interim venerunt discipuli ejus, mirabanturque quod cum muliere loqueretur : nemo tamen dixit : Quid quæris, aut cur loqueris cum ea [2]? » Inquirere debemus sicubi Christus evangelizaverit seipsum, locaque inter se conferre, veluti : « Ego sum qui de meipso testimonium fero, et testatur de » me qui misit me Pater [3] ; » et illud : « Si crederetis Mosi, » crederetis etiam mihi ; de me enim ille scripsit [4] ; » et si quid horum simile dictum est in aliquo Evangelio. Verumtamen, quod ad lectionis seriem attinet, ab ipso hinc discimus quod mitis et humilis corde sit [5], talibus de rebus disserere non spernens cum muliere aquam gerente, et ob multam paupertatem ex urbe egressa, ac laborante in haurienda aqua. Ac profecto mirantur discipuli supervenientes, qui præviderant magnitudinem divinitatis in ipso, miranturque quomodo tantus cum muliere loqueretur ; sed nos jactantia ac superbia ducti simplices despicimus, obliti illud singulatim ad quemvis hominem pertinere : « Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram [6] : » et memoria non repetentes fingentem in utero [7], et fingentem singulatim corda hominum omnium, et intelligentem in omnia opera eorum, non agnoscimus quod abjectorum et parvulorum Deus est auxiliator, et susceptor infirmorum succurrens desperantibus, et eos qui deplorati sunt servans. Utitur autem hac muliere veluti apostola ad eos qui erant in urbe, in tantum eam sermonibus inflammans, ut dimissa hydria sua mulier abierit in civitatem, dixeritque hominibus : « Venite, videte hominem qui dixit mihi omnia quæcumque feci : an hic est ille Christus ? tunc ex urbe exierunt, et venerunt ad ipsum [8] ; » atque mulierem hanc non

[1] N. 28. p. 257.
[2] Joan. IV, 26, 27. — [3] Id. V, 31, 37. — [4] Ibid 46. — [5] Matth. XI, 29. — [6] Gen. I, 26. — [7] Psalm. XXXII, 15. — [8] Joan. IV, 29, 30.

posthabens, apertissime seipsum ostendit Sermo Dei filius, adeo ut cum venissent Apostoli, mirarentur si cum hac fœmella, et quæ facile decipi posset, dignaretur colloqui Sermo filius Dei. Attamen omnia præclare fieri a Sermone persuasi discipuli, non increpant Jesum, nec dubitant de disputatione ejus cum Samaritide, vel de Samaritidis collocutione cum Jesu : fortassis vero etiam obstupuerant de multa bonitate Filii Dei condescendentis animæ spernenti Sion, et spem in montem Samariæ habenti : quam ob causam scriptum est : « Mirabantur quod cum muliere loqueretur[1]......

« Reliquit[2] igitur mulier hydriam suam, et civitatem » adiit, et hominibus ait : Venite, videte virum qui dixit » mihi omnia quæcumque feci : an hic est ille Christus[3] ? » Non frustra reor scripsisse Evangelistam de dimissione hydriæ, quod reliquerit illam mulier profecta ad urbem, ostendens (quod ad textum quidem attinet) studium majus quam pro Samaritide, ut quæ reliquerit hydriam, non sic cordi habens corporeum et humile officium, ut multorum utilitatem : humanitate enim mota est, quæ voluit civibus evangelizare Christum; ipsi testimonium dans, quod omnia quæcumque fecisset sibi dixerit. Invitat autem ipsos ad videndum hominem habentem rationem ac sermonem longe homine præstantiorem : id enim quod de eo nostris oculis aspectabile erat, homo erat. Quamobrem obliviscamur et nos necesse est rerum corporalium, hisque omissis festinemus ad communicandam aliis quam participaverimus utilitatem : ad hoc namque invitat Evangelista laudem scribens mulieris prudenti lectori. Sed ad altiorem intelligentiam intendendus est animus, quænam scilicet sit hydria quam relinquit Samaritis, quæ aliquo modo accepe-

[1] Joan. IV, 27.
[3] N. 29. p. 239.
[4] Joan. IV, 28, 29.

rat Jesu sermones; et fortasse vas aquæ nobilitatæ ob profunditatem doctrinæ, his rebus quas antea curabat spretis, reponit apud eum qui vase longe præstantior est; cum sumpsisset ex illa aqua quæ jam in se facta fuerat fons aquæ salientis ad vitam æternam[1]. Quomodo enim si non particeps talis aquæ fuisset, quomodo, inquam, humane Christum civibus prædicasset, admirans eum sibi omnia quæcumque fecisset renuntiantem, nisi particeps facta fuisset aquæ salutaris per ea verba quæ audierat? Rebecca sane et ipsa hydriam habens super humeros, antequam Abrahæ puer finem loquendi faceret in cogitatione, egrediebatur virgo specie pervenusta[2] : quæ quoniam non perinde atque Samaritis hæc hauriret, descendit ad fontem et implet hydriam, eique ascendenti obviam accurrens Abrahæ puer dixit : « Potum præbe mihi pauculum aquæ ex hydria tua[3]. » Quoniam igitur puer erat Abraham, contentus fuit vel tantulum aquæ ex hydria Rebeccæ sumere : et festinavit Rebecca, et deposuit hydriam super brachium suum, potum illi præbens, donec cessaret a bibendo[4]. Quoniam igitur laudabilis erat Rebeccæ hydria, non relinquitur a Rebecca; sed Samaritidis hydria relinquitur, hora existente sexta[5]. Hoc igitur in loco mulier Samaritanis annuntiat Christum; in fine vero Evangeliorum, resurrectionem Servatoris etiam enarrat Apostolis mulier, ante omnes ipsum conspicata[6]. Sed neque huic, tanquam quæ renuntiarit perfectionem fidei, gratiæ a Samaritanis habentur dicentibus : « Non amplius propter loquelam tuam credimus : ipsi enim audivimus, et scimus hunc esse vere Servatorem mundi[7] : » neque illi conceduntur primitiæ tangendi Christum, dicentem ei : « Noli me tangere[8] ; » quia Thomas auditurus erat : « Affer digitum tuum huc, et vide manus meas, et affer

[1] Joan. IV, 14. — [2] Genes. XXIV, 15, 16, 17. — [3] Ibid. 17. — [4] Ibid. 18. — [5] Joan. IV, 6. — [6] Id. XX, 18. — [7] Id. IV, 42. — [8] Id. XX, 17, 27.

» manum tuam, et mitte in latus meum. » Omnia autem erant quæ fecit mulier, consuetudo cum quinque viris, et post hos condescensio ad sextum, qui legitimus vir non erat; quem cum negasset, hydriamque reliquisset, honeste in septimum requiescit, [afferens utilitatem iis quoque qui iisdem dogmatibus imbuti urbem incolebant, id est, institutionem verborum, quæ non recta sanaque sunt, eamdem quæ mulieri erat;] quæ etiam in causa fuit ut illi e civitate exirent, et venirent ad Jesum. Magna autem observatione Jesum rogant Samaritani in sequentibus, non ut maneat in civitate, sed « apud ipsos[1], » hoc est, ut sit in principatu eorum [animæ parte præstantissima] : nam fortasse nequibat Jesus in civitate eorum manere, quandoquidem etiam ipsi ex civitate exierant, optime facientes, et venerant ad eum. Quod autem hujuscemodi quædam innuantur, causas nobis præbente Evangelista accuratissime ad sensum anagogicum, hoc est ad sublimiorem intelligentiam, ex his verbis dijudicandum est. Primum quidem scriptum est : « Exie» runt ex civitate, et venerunt ad eum[2]; » et post pauca : « Ex civitate autem illa multi Samaritanorum crediderunt » in eum, propter sermonem mulieris, quæ testificabatur » dicens, Quia dixit mihi omnia quæcumque feci. Ut ergo » venerunt ad eum Samaritæ, rogaverunt eum ut maneret » apud ipsos[3]. » Igitur prius cum ex civitate ad eum venissent, etiam denuo venerunt ad eum Samaritæ, adhuc existentem apud fontem Jacob (nec enim inde discesserat), et rogaverunt eum ut maneret apud ipsos. Nec scriptum est postea quod ingressus sit civitatem, sed : « Mansit ibi » duos dies[4]. » Quinetiam in sequentibus non dictum est : « Post duos vero dies » exivit ex civitate, sed scriptum est : « Et exivit inde[5] : » quantum enim ad intelligentiam

[1] Joan. IV, 40. — [2] Ibid. 30. — [3] Ibidem, 39 et 40. — [4] Ibidem, 40. — [5] Ibid. 43.

pertinet, omnis œconomia utilitatis erga Samaritanos facta est apud fontem Jacob.

« Interim [1] rogabant eum discipuli, dicentes : Rabbi, co» mede [2]. » Post œcononiam potus, et post doctrinam diversitatis aquarum, consequens erat inscribi quæ ad cibum pertinebant. Samaritis itaque cum rogaretur potum, dubitat, propter eum qui petierat (neque enim poterat dare Jesu dignum illo potum), num se jussam aquam porrigere, vellet Jesus beneficio afficere per hunc potum. Decebat igitur...... a Samaritide. Porro discipuli, qui civitatem adierant ut cibos emerent [3], cum eos apud homines diversæ sectæ ex animi sententia invenissent, nempe sermones quosdam convenientes, dicunt illi : *Comede* [4], tempus illud idoneum rati ut Jesus comederet, in quo mulier civitatem petierat, venturique erant ad eum Samaritani, cum alioqui cibum coram ullo hospite illi non apposuissent. Ac fortassis futurum erat uti Samaritis conturbaretur si vidisset discipulos magistro apponere volentes cibaria quæ vel in Samaria emissent, vel emisse verisimile esset : neque merito coram Samaritanis volentibus suam ipsorum derelinquere civitatem dixissent : *Rabbi, comede;* ideo bene additum est : « Interim » rogabant eum discipuli, dicentes : Rabbi, manduca [5]. » Sed quam ob causam scriptum sit, *Rogabant ipsum,* et non, Dicebant illi, dignum est cernere : simplicius enim scriptum fuisset : *Interim* dicebant ei *discipuli : Rabbi, comede.* Proinde rogare ut comedat, et supplicare eum, et precari, fortassis aliquid innuit ante supplicationem, atque etiam interdum post supplicationem. Vide vero ne forte vereantur discipuli ne Sermo Dei filius propriis alitus sit vel fortificatus cibis, et ideo orent eum comedere inventos cibos. His enim quæ inveniunt discipuli semper nutrire Λόγον vo-

[1] N. 31. p. 241.
[2] Joan. IV, 31. — [3] Ibid. 8. — [4] Ibid. 31. — [5] Ibid.

lunt, ut fortificatus, et validus, et corroboratus, diutius assideat ipsum nutrientibus, vicissim nutriens apponentes illi cibos. Hanc ob causam jubet stare ad ostium et pulsare[1], ut si quis ostium aperuerit, ingrediatur ad eum et cœnet cum illo; ut postea convivator possit vicissim convivio excipi a Λόγῳ, qui apud illum cœnaverit.

« At[2] ipse dixit eis : Ego cibum habeo comedere, quem » vos nescitis[3]. » Id quod sibi sufficit, non eget cibo; proinde quod cibo eget, non sibi sufficit. Hinc perspicuum est comedentem comedere, non quia non egeat, sed quia egeat, et valde egeat. Et corpora quidem, quia natura fluxibilia sunt, nutriuntur cibo replente locum eorum quæ defluunt; sed quæ ipso corpore præstantiora sunt, nutriuntur intelligentiis incorporeis, et sermonibus actionibusque sanis : non quod ad non esse dissolverentur, nisi nutrirentur; neque enim corpora hæc quæ non nutriuntur, ad non esse dissolvuntur; sed quod perdant esse talia, si non nutriantur talibus quæ sint præstantioris quam corpora naturæ. Ut autem corpora quæ cibo egent non his aluntur cibis qui a qualitatibus procedunt, neque eadem ciborum quantitas omnibus sufficit; sic etiam intelligamus oportet de his quæ sunt meliora et præstantiora corporibus : inter hæc enim aliqua copiosiore, aliqua minore cibo egent, tanquam quæ eamdem mensuram non capiant; sed neque qualitas sermonum et conceptuum in contemplatione, qui sunt actiones his convenientes, eadem congruit omnibus animabus. Quinetiam olus et cibus solidus non eodem tempore eos nutriunt qui ex ipsis fructum aliquem percepturi sunt : nam infantes recens nati, ut inquit Petrus, lac doli nescium[4], idque animi, non corporis desiderant : idque etiam deside-

[1] Apoc. III, 20.
[2] N. 33, 34. p. 242-245.
[3] Joan. IV, 32. — [4] 1 Pet. II, 2.

ret, si quis infantiam Corinthiorum habet, ad quos inquit Paulus : « Lactis vos potu alui, non cibo [1] : » infirmus vero, eo quod non credat, olera comedat. [Atque hoc etiam docet Paulus his verbis : « Alius quidem credit se manducare » omnia : qui autem infirmus est, olus manducat [2]. »] Ac profecto « melius est *aliquando* olera cum amicitia et cha- » ritate comedere, quam vitulum saginatum cum odio [3]. » Perfectorum vero est solidus cibus, nempe eorum qui per » consuetudinem exercitatos habent sensus ad discretionem » boni et mali [4]. » Est etiam quidam cibus mortificus, quem discimus ex quarto Regum, dicentibus quibusdam ad Elisæum : « Mors est in lebete, o homo Dei [5]. » Quinetiam est alius earum animarum quæ rationis non sunt compotes, cibus spiritualis herbarius, et alius fœnum, et stipula : quæ significantur per ea Psaltæ verba : « Dominus pascit me, et » nihil mihi deerit; in locum herbæ virentis ibi accubare » me fecit : super aquam refocillationem præbentem nutri- » vit me [6]. » Atque etiam Esaias ait : « Leo autem ut bos pa- » leas comedet [7]. » Quinetiam fœnum jumentis in domo Rebeccæ Abrahæ pueri apponunt [8]. Quod si quis rationabilior fuerit, et hanc etiam ob causam intelligibilis homo, panem intelligibilem manducat, quemadmodum scriptum est in Psalmis : « Panis consolidat cor hominis [9]; » et vino intelligibili non alius quam homo oblectatur : « Vinum *enim* læ- » tificat cor hominis [10]. » Sed ratione ascendamus necesse est ab irrationalibus et ab hominibus usque ad ipsos Angelos, quandoquidem etiam ipsi nutriuntur, sibi omnino non sufficientes. « Panem *igitur* Angelorum manducavit ho- » mo [11]; » beatusque sane Abraham, qui tribus illis qui sibi apparuerunt, apponere potuit azyma subcineritia [12].

[1] 1 Cor. III, 2. — [2] Rom. XIV, 2. — [3] Prov. XV, 17. — [4] Hebr. V, 14. — [5] 4 Reg. IV, 40. — [6] Psal. XXII, 1, 2. — [7] Isai. XI, 7. — [8] Gen. XXIV, 32. — [9] Psalm. CIII, 15. — [10] Ibid. — [11] Psal. LXXVII, 25. — [12] Gen. XVIII, 6.

Sed rursus eo redeat unde defluxerat oratio, nimirum ad sermonem de cibo Christi, quem discipuli tunc non noverant : vere enim dicit Jesus : « Ego habeo cibum man- » ducare, quem vos nescitis[1]. » Quod enim agebat Jesus, voluntatem Patris, a quo missus fuerat, faciens, et perficiens illius opus, hoc discipuli non norant. Verum ut apertius intelligantur ea verba : « Ego habeo cibum manducare, » quem vos nescitis, » loquatur Paulus Corinthiis lacte opus habentibus, non solido cibo, qui etiam lac biberant, non cibum, eo quod cibi participes esse non possent[2]; [his, inquam, loquatur Paulus :] « Ego habeo cibum manducare, » quem vos nescitis[3]. » Semperque profecto qui præstat deterioribus, hisque qui videre nequeant ea quæ vident præstantiores, dicet : « Ego cibum habeo manducare, quem » vos nescitis. » Nec sane absurdum erit, si dixerimus non solum homines et Angelos indigere cibis intelligibilibus, verum etiam ipsum Dei Christum : namque ipse etiam, ut ita dicam, semper instruitur a Patre, qui nullius eget, sibi sufficiens. Sumit autem cibos vulgus discentium a discipulis Jesu, qui jubentur turbis apponere; Jesu vero discipuli ab ipso Jesu, verumtamen interdum etiam a sanctis Angelis : at Filius Dei a solo Patre cibos sumit, absque ullo mediatore. Itidem non absurdum erit, Spiritum sanctum nutriri dicere. Proinde inquirenda est lectio Scripturæ quæ nos hoc edoceat. Totum autem mysterium vocationis et electionis, cibi sunt illius magnæ cœnæ : « Homo *enim,* » *inquit,* fecit cœnam magnam, cœnæque tempore misit » qui vocarent invitatos[4] : » relegendæque sunt omnino ex Evangeliis parabolæ quæ de cœnis loquuntur. Quinetiam per Esaiam promissiones habemus comedendi et bibendi, dicentem : « Ecce servi mei comedent, vos autem esurie-

[1] Joan. IV, 32. — [2] 1 Cor. III, 2. — [3] Joan. IV, 32. — [4] Matth. XXII, 2. Luc. XIV, 16.

» tis : ecce servi mei bibent, vos autem sitietis[1]. » Ad hæc ipsum hominem ponit Deus apud Genesim in Paradiso deliciarum, datis illi legibus ut quædam comederet, quædam non comederet[2] : mansurusque erat immortalis homo si ex omni ligno Paradisi comedisset, præterquam e ligno cognoscendi bonum et malum. Vide quæ in primo et vigesimo Psalmo dicuntur de his qui adorarunt eo quod comederint : « Comederunt *enim, inquit,* et adoraverunt omnes » pingues terræ[3] ; » propterea : « Non interficiet Dominus » fame animam justam[4] ; » sed quando injusti efficimur, immittet « famem super terram ; non famem panis, neque si» tim aquæ, sed famem audiendi verbi Dei[5]. » Quanto igitur magis proficimus, tanto meliora ac plura comedimus, donec fortasse perveniamus ad id, ut eumdem cibum comedamus cum Filio Dei, quem in præsentia discipuli non norant.....

« Dicebant[6] igitur discipuli inter se : Num aliquis attulit » illi aliquid ad edendum[7] ? » Etiam si carnaliter retur Heracleon hæc a discipulis dici, tanquam qui adhuc humi repant, Samaritidem imitantes dicentem : « Neque haustorium » habes, et puteus altus est[8] ; » dignum est uti cernamus num forte aliquid divinius videntes discipuli dicant inter se : « Num quis attulit illi quod edat[9] ? » Fortassis enim rebantur potentiam aliquam angelicam attulisse illi quod ederet ; et fortassis idcirco docebantur majorem esse illum cibum, quem manducare habebat, qui erat ut faceret voluntatem ejus qui eum miserat, perficeretque opus illius.

« Dicit illis Jesus : Meus cibus est ut faciam voluntatem » ejus qui misit me, et perficiam illius opus[10]. » Decens cibus Filio Dei, quando efficit voluntatem paternam ; hoc

[1] Isai. LXV, 13. — [2] Gen. II, 8 et seq. — [3] Psal. XXI, 30. — [4] Prov. X, 3. — [5] Amos, VIII, 11.

[6] N. 35-37. p. 245-248.

[7] Joan. IV, 33. — [8] Ibid. 11. — [9] Ibid. 33. — [10] Ibid. 34.

velle in seipso faciens, quod est et in Patre : ita ut voluntas Dei sit in Filii voluntate immutabili a voluntate Patris; ne sint amplius duæ voluntates, sed una voluntas : quæ una voluntas auctor est Filio Dei dicendi : « Ego et Pater unum » sumus[1] : » et hanc ob voluntatem, qui eum vidit vidit et Filium, vidit etiam eum qui misit ipsum[2]. Decetque magis ita nos intelligere paternæ voluntati morem gerere Filium, a qua voluntate ea etiam quæ extra eum sunt qui vult præclare facta sunt, quam curiosius ea quæ ad voluntatem pertinent spectantes, facere voluntatem ejus qui misit, in faciendis quibusdam quæ exteriora sunt, positum existimare. Illud enim (dico autem illud, quod extra volentem) factum seorsum a voluntate prædicta, non est tota voluntas Patris; cum alioqui tota voluntas Patris a Filio sit effecta, cum velle Dei natum in Filio faciat hæc quæ velit voluntas Dei : solo Filio capiente totam Patris voluntatem : quam etiam ob causam imago ipsius est[3] : id quod etiam de Spiritu sancto considerandum est. Cæterum reliqui sancti nihil quidem facient præter voluntatem Dei, atque omnia profecto quæ facient, facient secundum voluntatem Dei, haud tamen ut tota Dei voluntas imprimatur in eis. Quin hoc sanctum præ illo sancto melius et majus, plus atque expressius percipiet ex voluntate paterna, comparatione alterius, quo sancto rursus aliud sanctum excellentius percipiet. At omnem universamque Dei voluntatem ille faciet, qui dixit : « Meus cibus est ut faciam voluntatem *Dei*, qui misit me[4]. » Post hæc igitur de Deo inquit gratiose admodum : « Nihil » potest Filius facere a se ipso, nisi viderit Patrem aliquid » facientem : quæ enim Pater facit, ea similiter et Filius facit; Pater diligit Filium, et omnia illi ostendit quæ ipse » facit[5]; » et fortassis hanc ob causam imago est Dei invisi-

[1] Joan. x, 30. — [2] Idem, XII, 45. — [3] 2 Cor. IV, 4. — [4] Joan. IV, 34. — [5] Id. v, 19, 20.

bilis[1] : etenim voluntas quæ in ipso est, imago est [primæ voluntatis; et quæ in eo est divinitas, imago est] veræ divinitatis : imago autem etiam existens bonitatis Patris[2] inquit : « Cur me vocas bonum[3] ? » Et sane voluntas hæc cibus est Filii Dei, atque illi proprius ideo cibus est, quod voluntas est. Quod autem voluntas sit, quæ pertinet ad dispositionem, declarat qui subjungitur contextus, secundo dicens, post executionem voluntatis perfici opus Dei.

Sed diutius considerandus est hic contextus, ut intelligamus hoc dictum, nempe : « Perficiam opus ipsius[4]. » Atque aliquis quidem simpliciter dicet injunctum opus, illius esse qui jussit : veluti si, verbi gratia, diceremus eos qui fabricant, quique terram arant, dicere se perficere opus illius qui eos sumpsisset ad aliquod opus obeundum, dum perficerent illud cujus gratia assumpti fuerant. Alius vero dicturus est, si perficiatur opus Dei a Christo, liquere hoc imperfectum fuisse antequam perficeretur. Sed quomodo imperfectum erat opus existens Dei? rursusque quomodo perficitur Dei opus ab eo qui dixit : « Pater, qui misit me, » major me est[5] ? » sed perfectio operis perfectio erat naturæ illius quæ rationis est compos : ad hanc enim naturam quæ rationis est compos, imperfecta cum esset, perficiendam venit Sermo Dei filius factus caro. Num ergo creatum est imperfectum opus, et mittitur Servator ad illud imperfectum perficiendum? Sed quomodo non est absurdum, si dixerimus Patrem rei imperfectæ auctorem fuisse, Servatorem vero eam imperfectam creatamque imperfectam perfecisse? Igitur, meo judicio, profundius aliquod mysterium hoc in loco repositum est : nam fortassis id quod rationis est capax, tum cum in Paradiso positum fuit, imperfectum omnino non erat. Alioquin qui posuisset Deus rem imper-

[1] Coloss. I, 15. — [2] Sap. VII, 26. — [3] Marc. X, 18. Luc. XVIII, 19. — [4] Joan. IV, 34. — [5] Idem, XIV, 28.

fectam in Paradiso, quæ operaretur et custodiret eum? Nec enim consentaneum est uti imperfectus is dicatur qui operari possit lignum vitæ, et omnia quæ plantaverat Deus et postea orta sunt. Proinde vide ne forte, perfectus cum esset homo, imperfectus sit factus ob inobedientiam, egueritque aliquo qui ipsum ab hac imperfectione liberaret, et hanc ob causam missus fuerit Servator, primum quidem ut faceret voluntatem ejus qui misit ipsum[1], operarius illius etiam hoc loco factus, deinde vero ut perficeret opus Dei, et unusquisque factus perfectus assuesceret solido cibo, ac cum sapientia consuetudinem haberet: « Perfectorum autem » est solidus cibus, nempe eorum qui per habitum exercitatos habent sensus ad dijudicandum, tum bonum, tum » malum[2]: » et qui loquitur sapientiam inquit: « Sapientiam » autem loquimur inter perfectos[3]: » et cum unusquisque nostrum, qui opus Dei sumus, a Jesu perfectus factus fuerit, dicet: « Bonum certamen certavi, cursum consummavi, » fidem servavi; posthac reposita est mihi corona justitiæ[4]. » Nec solus homo lapsus est, cum perfectus esset, ad imperfectum, sed « filii *etiam* Dei, *qui* cum vidissent filias homi» num pulchras esse, acceperunt sibi ex omnibus, quas ele» gissent; » et generatim omnes « qui deseruerunt propriam » habitationem, et non servaverunt suum ipsorum princi» pium[5]. » Nec, dicens *principium*, principatum dico, qui comparatur potestati; sed *principium* dico, quod fini opponitur, quodque cum primo conjunctum est: ut quemadmodum homini principium essendi in Paradiso fuit, finis vero propter transgressionem fortassis in inferno deorsum, vel in aliquo loco simili; ita singulis prolapsis datum sit proprium quoddam principium. Cæterum perficiens Jesus opus Dei (dico autem quidquid rationis est capax, non tantum

[1] Joan. IV, 34. — [2] Hebr. V, 14. — [3] 1 Cor. II, 6. — [4] 2 Tim. IV, 7. — [5] Jud. VI.

hominem), uno eodemque modo ipsum perficit : si quidem ea quæ beatiora sunt, parentia sermoni et rationi, non egentia labore, solo sermone et ratione perficiuntur; alia vero non credentia sermoni et rationi, laboribus egent, ut post labores, rationibus postea aliquando adducta, his perficiantur. Verumtamen hæc utraque, scilicet, Patris sui voluntatem facere, qui misit illum, et opus illius perficere, unus et proprius cibus Jesu sunt.

« Nonne [1] vos dicitis quod adhuc menses sunt quatuor, » et messis venit? Ecce dico vobis : Levate oculos vestros, » et videte regiones jam albas esse ad messem [2]. » Contra eos qui existimant simplicius et corporalius hæc dicta fuisse : « Nonne vos dicitis quod adhuc menses sunt quatuor, et » messis venit? » dubia movenda sunt, ut persuasum habeant spiritualia et nuda rebus sub sensum cadentibus et corporalibus Servatorem sæpius locutum fuisse : si enim tempus quando Jesus hæc loquebatur, ante messem mensium quatuor spatio erat, perspicuum est hiemen fuisse; messis enim in Judæa incipit fieri circa mensem qui apud Hebræos Nisan appellatur, quando agitur pascha; adeo ut aliquoties azyma faciant Judæi ex novo frumento. Sed esto illo mense non esse messem, sed in mense post illum proxime sequente, qui apud eos appellatur Jar : etiam ita, tempus hoc quatuor mensibus prius, est hiems adulta. Cum igitur ostenderimus, cum hæc diceret Jesus, tempus fuisse messis, vel existentis, vel proximæ fini, demonstratum nobis erit id de quo agitur. Observandum itaque post œconomiam quæ facta fuit in Cana Galilææ circa mutationem aquæ in vinum, descendisse dici Dominum Capharnaüm, cumque ipso matrem ejus, et fratres, et discipulos, ubi manserit non multos dies [3]; fuisseque in propinquo Pascha

[1] N. 39, 40. p. 248-251.
[2] Joan. IV, 35. — [3] Id. II, 1 et seq.

Judæorum, et Jerosolymam ascendisse Jesum, cum omnes in templo inventos vendentes boves, et oves, et columbas, et cætera quæ scripta sunt, facto flagello e funiculis, ejecit e templo; dictisque quibusdam ad Nicomedum, postea venisse ipsum et discipulos ejus in terram Judæam, et illic commoratum fuisse cum eis, et baptizasse[1]. Quantum igitur temporis ponemus eum in Judæa consumpsisse baptizantem post Pascha? non enim aperte scriptum est : et apparet, eo quod cognoverint Pharisæi Jesum plures discipulos facere et baptizare quam Joannes[2], Jesum Judæam reliquisse, profectumque in Galilæam, cum oporteret eum transire per Samariam, venisse ad fontem Jacob, ubi inquit hæc verba : « Nonne vos dicitis, quod adhuc quatuor sunt » menses, et messis venit? [Ecce dico vobis : Levate oculos » vestros, et videte regiones jam albas esse ad messem][3]. » Quod si quis existimat plurium mensium tempus consumpsisse Jesum post Pascha in Judæa baptizantem cum discipulis suis, adeo ut jam instaret tempus, quod erat ante quartum mensem messis; adjungendum est illi, quod duos dies cum mansisset illic apud Samaritanos, post hos exierit in Galilæam[4]; scriptumque esse, quod (perinde quasi nuper Paschate facto, rebusque quas ipse egerat Jerosolymis) cum venisset in Galilæam, exceperint illum Galilæi, qui viderant quæcumque Jerosolymis fecisset in die festo : venerant enim etiam ipsi ad diem festum. Sed probabile est aliquem ad hæc dicturum, nihil obstare plurimum temporis eum in Judæa commoratum venisse ad fontem Jacob, abeuntem in Galilæam, quando dixit : « Adhuc quatuor menses sunt ad » messem[5], » nec quidquam absurdi esse Galilæos eum excepisse, propter ea quæ in præcedentibus mensibus ipse Jerosolymis egisset. Sed respondendum est illis, quod profec-

[1] Joan. III, 1 et seq. — [2] Id. IV, 1 et seq. — [3] Ibid. 35. — [4] Ibid. 43, 45. — [5] Ibid. 35.

tus in Galilæam venerit Canam civitatem Galilææ [1], ubi antea fecerat ex aqua vinum, ubi etiam reguli filium ægrotantem in Capharnao curavit, patri ipsius dicens: « Filius tuus » vivit [2] : » et : « Postea erat dies festus Judæorum, et ascen» dit Jesus Jerosolymam [3], » quando paralyticum octo et triginta annos habentem se in infirmitate curavit. An vero hic dies festus Paschatis erat, non additur nomen ejus; urgetque series historiæ, et maxime quod post pauca subjungitur: « Proximus erat dies festus Judæorum Scenopegia [4]. »

His igitur diutius examinatis, consequens est dispicienti profundius sensum Scripturarum quærere quid cogitans Jesus discipulis dixerit : « Nonne vos dicitis quod adhuc qua» tuor menses sunt, et messis venit? Ecce dico vobis : Le» vate oculos vestros, et videte regiones albas esse jam ad » messem [5]. » Quemadmodum autem dicebamus aquas accurate examinantes in sermone Samaritidis, ita hoc etiam loco faciemus. Quis enim jam non sit fassurus dictum hoc : « Levate oculos vestros, et videte regiones albas esse jam » ad messem, » spirituale esse, nudumque his rebus quæ sensu percipiuntur? cui consequens etiam erit uti dicant discipuli post quatuor menses futuram messem, quæ, quod ad eorum conjecturam attinebat, messi quæ a Jesu fuisset ostensa similis esset. Existimamus ergo in his discipulorum verbis : « Quatuor menses sunt, et messis venit, » talem inesse sensum. Complures discipulorum Verbi considerantes difficiliorem esse veritatem quam quæ ab humana natura percipi facile possit, cum disseruerunt de ea vita quæ est altera a præsenti, defatigati in apprehendendo fine earum rerum quæ in præsenti vita quæruntur, veritatem se apprehensuros existimant, cum quatuor elementa transcenderint, cum quibus cognationem habent. Proinde dicunt

[1] Joan. IV, 46. — [2] Ibid. 50. — [3] Id. V, 1 et seq. — [4] Id. VII, 2. — [5] Id. IV, 35.

disciputi messem quæ, juxta Domini vocem, est consummatio collatitiorum veritatis operum, fieri post instantem quaternitatem. Porro mensium nomen convenienter sermoni corporeo de messe sumptum est. Nec enim dicere oportebat : « Nonne vos dicitis quod adhuc quatuor *dies* » sunt, et messis venit; *vel :* Adhuc quatuor *anni*, et mes» sis venit[1]? » idque potissimum, quoniam Sermo filius Dei vulgum, et corpori deditos velit latere, mysticum quidem celans, id vero quod simplicius est ostendens, ut aperti esse existimentur sermones a Servatore prolati. Vel fortassis discipulorum voluntas, dicentium : « Adhuc sunt qua» tuor menses, et messis venit[2], » talis est : Quatuor sunt sphæræ quatuor elementorum, quæ subjectæ sunt naturæ cœlesti : in medio quidem, et maxime inferne, sphæra est terræ; circa hanc est sphæra aquæ; tertia est aëris; quarta ignis; post quam sphæra lunæ, et cæterarum. Notemus etiam, ne forte discipuli existiment eos veritatem percepturos qui hinc instructi discesserint, et prope puriorem essentiam pervenerint, quando possit quis non corruptus peccato ignis etiam sphæram transire, quæ quidem ignis sphæra materia est universi in................ Hanc opinionem, ceu non sanam, redarguens Verbum caro factum[3], ad eos qui talia credunt inquit : « Nonne vos dicitis quod quatuor menses » sunt, et messis venit? Ecce dico vobis : Levate oculos » vestros, et videte regiones jam albas esse ad messem[4]. » Etenim incomprehensibile nobis videtur eum de una messe in his omnibus disserere, quandoquidem sententia eorum qui simplicius exponunt, vera loquentes discipulos objurgat Dominus, existimantes, ut hi putant, post quartum mensem venturam messem, quam in superioribus proposuimus non admodum posse post quartum mensem consistere. Alioquin discipulorum etiam opinionem fere corrigens, in-

[1] Joan. IV, 35. — [2] Ibid. — [3] Id. I, 14. — [4] Id. IV, 35.

quit : « Nonne vos *quidem hoc* dicitis ? » at ego hoc dico. Ad hæc quomodo absurdum non est allegorice palam in omnibus explicare hoc dictum : « Levate oculos vestros ; » et hoc : « Videte regiones jam albas esse ad messem ; » in eo vero quod ante hoc positum est, nempe : « Nonne vos » dicitis quod adhuc quatuor menses sunt, et messis ve- » nit, » idem faciendum non censere ?

« Ecce[1] dico vobis : Levate oculos vestros, et videte loca » jam alba esse ad messem[2]. » In multis Scripturæ locis positum est hoc dictum : *Levate oculos vestros;* divina nos oratione admonente uti attollamus elevemusque tum sensus, tum vim videndi inferne jacentem et pronam, nec erigere se valentem, ut perfecte sublimia contempletur, quemadmodum in Esaia : « Levate in excelsum oculos vestros, et » videte quis hæc omnia ostendit[3]. » Servator etiam his qui in campum convenerant beatitudines dicturus, elevatis oculis suis ad discipulos, inquit : *Beati*[4] hi, et hi : nullus enim discipulus germanus Jesu jacet inferne, quemadmodum neque ille qui in Abrahæ sinibus requiescebat : ex quo dives qui in tormentis erat, cum elevasset oculos, videt Abraham et Lazarum in hujus sinibus. Ad hæc mulier illa contracta, nec caput erigere omnino valens, cum a Jesu erecta fuisset, contractionem atque infirmitatem erigendi sese deponit, ut elevet oculos[5]. Nec ullus profecto est, qui perturbationibus obnoxius et carni adhærens, vel rebus materialibus commixtus mandatum, servaverit dicens : « Le- » vate oculos vestros[6] : » quamobrem ne loca quidem visurus est iste, etiamsi jam alba sint ad messem. Præterea nullus qui operatur opera carnis, levavit oculos. Porro alba sunt ad messem jam loca, quando adest Dei Sermo ape-

[1] N. 42, 43. p. 252-255.

[2] Joan. IV, 35. — [3] Isai. XL, 26. — [4] Matth. V, 3 et seq. Luc. VI, 20 et seq. Id. XVI, 23. — [5] Id. XIII, 11 et seq. — [6] Joan. IV, 35.

riens et illustrans omnia Scripturæ loca, quæ plena sunt adveniente ipso. Fortassis etiam omnia quæ sensu percipiuntur, vel ad ipsum usque cœlum, atque usque ad ea quæ in ipso sunt, alba sunt loca parata jam ad messem, elevantibus oculos : palam uniuscujusque rei ratione illis ob oculos exhibita qui receperunt, eo quod transformentur ad eamdem imaginem a gloria in gloriam[1], similitudinem oculorum qui viderunt quomodo singula quæ facta fuerant bona essent. Hoc enim dictum : Vidit Deus singillatim quæ creata sunt bona esse[2], tale est : Inspexit Deus cujusque rei rationes, easque vidit bonas esse propter rationes quibus unumquodque creatum erat. Quod si quis sic non intelligit hoc dictum : « Vidit Deus quod bonum » esset[3], » enarret nobis quomodo in his verbis : « Educant » aquæ reptilia animarum quæ victuræ sint, et volatilia » alata super terram in firmamento cœli[4], » servetur Deum vidisse quod bonum esset, idque potissimum, quod fecerit Deus cete magna[5] : sed ratio uniuscujusque harum rerum Deo perspecta, res bona est. Idem censendum est et de illis verbis : « Educat terra animam viventem juxta genus, qua- » drupeda, et reptilia, et feras terræ juxta genus[6] ; » quibus subjungitur etiam : « Vidit Deus quod bonum esset[7]. » Quomodo enim feræ et reptilia bonum sunt, nisi ratio earum bonum est? Hæc autem a nobis dicuntur propter illud : « Levate oculos vestros, et videte loca jam alba esse ad » messem[8] ; » Filio Dei, qui discipulis aderat, auditores monente ut elevarent oculos ad loca Scripturæ, et ad loca rationis singulis entibus innatæ, ingenitæque, ut albedinem splendoremque lucis veritatis, quæ ubique est, aliquis videat : « Omnia *enim* coram intelligentibus, *teste Salomo-*

[1] 2 Corinth. III, 18. — [2] Gen. I, 31. — [3] Ibidem, 10, 12, 18, 21. — [4] Ibidem, 20. — [5] Ibidem, 21. — [6] Ibidem, 24. — [7] Ibidem, 25. — [8] Joan. IV, 35.

» *ne*, recta autem his qui sensum distribuere volunt[1]. »

« Qui metit, mercedem accipit, et congregat fructum in » vitam æternam ; ut qui seminat simul gaudeat et qui me- » tit[2]. » Quot modis in Scriptura messis dicatur, et in quot significationibus ponatur, dicere oportet : necessario apponendum reor, ut possimus, significatione hujus nominis nobis pro viribus perspecta, ex pluribus videre in quanam ponendum sit. Invenimus ergo in Evangelio secundum Matthæum, cum accessissent discipuli ad Dominum dicentes : « Edissere nobis parabolam zizaniorum agri[3], » doctrinam Domini, quæ de hoc nomine post alia dicit : « Messis vero » est finis sæculi, messores autem Angeli sunt. » At vero etiam alio in loco de multitudine credentium, et opus habentium doctrina quæ illis manifestet ea quæ credunt, Servator inquit noster : « Messis quidem multa, operarii au- » tem pauci; obsecrate ergo dominum messis, ut emittat » operarios in messem suam[4]. » Ad hæc Apostolus semen quidem nominat eam, quæ in hac vita est, abundantiam, vel peccatum hominum; messem vero ea quæ unicuique merito reposita sunt, vel ob præclare facta, vel ob peccata quæ in præsenti vita quisque egerit, sic dicens : « Quidquid » enim seminaverit homo, hoc etiam metet : quoniam qui » in carne seminat, de carne messurus est corruptionem ; » qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æter- » nam[5]. » In aliqua vero simili significatione arbitror etiam Prophetam, qui in Psalmis circumfertur, dixisse : « Qui se- » minant in lacrymis, in exultatione metent. Euntes ibant » et flebant, mittentes semina sua : venientes autem venient » cum exultatione, portantes manipulos suos[6]. » Ponitur etiam hoc nomen frequenter, ut loqui consuevimus, quemadmodum in libro Ruth hisce verbis : « Illæ autem advene-

[1] Prov. VIII, 9. — [2] Joan. IV, 36. — [3] Matth. XIII, 36, 39. — [4] Id. IX, 37, 38. — [5] Gal. VI, 7, 8. — [6] Psal. CXXV, 5, 6.

» runt Bethleem, cum messis hordeacea inciperet[1]. » Expositis itaque in præsentia quinque significationibus messis, manifestum est hoc in loco messem non accipi, ut loqui consuevimus; sed ne pro fine quidem et consummatione; neque enim hoc modo loqui consuevimus : « Qui metit, » mercedem accipit, et congregat fructum in vitam æter- » nam[2]. » Neque de messoribus Angelis consentaneum est nos hoc in loco intelligere admonitionem de metendo. Sed ne cum hoc quidem dicto : « Qui seminat in carne, de carne » messurus est corruptionem; et qui seminat in spiritu, de » spiritu metet vitam æternam[3], » fieri potest ut intelligamus hæc verba convenire posse : « Qui metit, mercedem » accipit, et congregat fructum in vitam æternam[4]. » Juxta enim Apostolica dicta idem est qui seminat et qui metit, sive in carne, sive in spiritu; et ob hoc etiam congregans vel corruptionem, vel vitam æternam : in præsentibus vero alius est qui seminat, et alius qui metit. In Psalmis etiam idem similiter seminat, et idem metit, juxta dictum quod proposuimus ab Apostolico differens, ratione sacratiore et occultiore : nam dictum Apostolicum simplicius prolatum est, non docens de diversa natura seminum, unde sumantur. At quod e Psalmis proposuimus, declarare mihi videtur animarum nobilium descensum, quæ venerint in hanc vitam cum salutaribus seminibus, quæque invitæ fere venerint suspirantes; sed redierint cum exultatione, eo quod egregie laboraverint, et auxerint, et multiplicarint semina cum quibus venerant. Alius autem est qui seminat, et alius qui metit[5] in præsenti orationis contextu.

......Ex his[6] clare perspici potest, nihil eorum quæ supra diximus hoc in loco intelligi de voce messis. Sed neque

[1] Ruth. I, 22. — [2] Joan. IV, 36. — [3] Galat. VI, 8. — [4] Joan. IV, 36. — [5] Ibid. 37.
[6] N. 44, 45. p. 255, 256.

quod apud Apostolum in alio loco consideravimus hic congruit, dicentem : « Qui parce seminat, parce et metet; et » qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et » metet[1]. »

Quæramus igitur septimam significationem convenientem his quæ supra disseruimus in illud : « Nonne vos dicitis » quod adhuc quatuor menses sunt, et messis venit[2] ? » et in hoc : « Ecce dico vobis : Levate oculos vestros, et videte » regiones jam albas esse ad messem; » sitque messis nobis ratio, sive oratio aperta de perspicuitate Scripturarum (veluti quomodo omnia quæ fecit Deus sint valde bona[3]), quam messem qui metit duos fructus metendi habet : alterum, quod accipit mercedem; alterum, quod colligit fructum in vitam æternam[4]. Et arbitror per eas promissiones quæ postea futuræ sunt, juxta id quod scriptum est : « Ecce Dominus, » et merces ejus in manu ejus, ut reddat unicuique secun» dum ea quæ gesserit[5], » dictum fuisse : « Mercedem acci» pit[6]; » propter provenientem autem ex ipsa cognitione utilitatem, quæ ex se secundum naturam in mente inest, etiam in rationali natura, ceu egregium quiddam et insigne existens, etiam præter promissiones, quæ aliæ sunt ab ipsis, scriptum fuisse : « Colligit fructum in vitam æternam[7] : » quæ res beneficium quoddam, et commodum τοῦ ἡγεμονικοῦ [sive mentis principalis] ostendit : quemadmodum in tertio Stromaton libro exposuimus, enarrantes dictum illud : « Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi in mani» festo[8]. »

.... Quamobrem[9] si assecuti fuimus elevationem oculorum Apostolicorum, visionemque regionum jam ad messem albarum, eodem modo accurate inquiramus oportet

[1] 2 Cor. IX, 6. — [2] Joan. IV, 35. — [3] Gen. I, 31. — [4] Joan. IV, 36. — [5] Ibid. — [6] Isai. XL, 10. — [6] Joan. IV, 36. — [7] Ibid. — [8] Matth. VI, 4.
[9] N. 46, 47. p. 256-260.

quid sit hoc dictum : « Ut qui seminat simul gaudeat et » qui metit[1]. » Existimo igitur cum in omni arte et scientia, quæ pluribus speculationibus constet seminare, qui principia inveniat; quæ alii assumentes, curiosiusque ea examinantes, vicissimque aliis tradentes inventa sua, auctores sunt posteris, ex his quæ invenerint, non valentibus principia invenire, et sequentia conjungere, et summam manum artibus et scientiis imponere, ut plenum fructum percipiant : non secus atque in messe, hujusmodi artibus et scientiis completis. Quod si hoc verum est in artibus et quibusdam scientiis, quanto magis in ea arte quæ ars est artium et scientia scientiarum, conspicere id licet ? Inventa enim a majoribus curiosius cum indagassent posteri, occasionem successoribus suis, qui hæc inventa cum diligentia adiissent tradiderunt, ut unum veritatis corpus cum sapientia conjungerent. Igitur, completo toto opere artis artium, qui seminat simul gaudet et qui metit; Deo vicissim in unum finem omnes congregante. Proinde vide an seminantes sint Moses et Prophetæ, qui scripserunt ea « quæ pertinent ad nostram admonitionem, in quos fines » sæculorum devenerunt[2], » quique prædicaverunt adventum Christi; qui messuerunt autem sint Apostoli, qui Christum receperunt, videruntque gloriam ejus, consonam propheticis et rationabilibus de ipso seminibus, quæ demessa fuere secundum accuratam indaginem et intelligentiam mysterii, absconditi quidem a sæculis, sed retecti in novissimis temporibus[3]; « quod in aliis ætatibus non innotuit » filiis hominum, quemadmodum revelatum est nunc sanctis ejus Apostolis et Prophetis[4] : » semen vero sit universa illa ratio « mysterii, quod temporibus æternis tacitum, » nunc *per revelationem et* per Scripturas propheticas[5], »

[1] Joan. IV, 36. — [2] 1 Cor. X, 11. — [3] 1 Petr. I, 20. — [4] Ephes. III, 5. — [5] Rom. XVI, 25, 26.

atque per adventum Domini nostri Jesu Christi *innotuit* : quando lux illa vera regiones fecit (illis illucescendo) jam albas esse ad messem. Secundum hanc igitur rationem regiones in quibus conjecta fuere semina, Legis ac Prophetarum sunt Scripturæ, quæ albæ non erant, quod non recepissent præsentiam et adventum Sermonis [filii Dei] : tales vero fiunt his qui edocti fuerint a Filio Dei, quique illi paruerint dicenti : « Attollite oculos vestros, et videte regiones jam al- » bas esse ad messem [1]. » Attollamus igitur etiam nos, ceu germani Christi discipuli, oculos, et regiones a Moyse cæterisque Prophetis seminatas intueamur, ut videamus ipsarum albedinem; quo etiam modo jam eas metere libeat, et congregare ipsarum fructum in vitam æternam : sperantes etiam mercedem accipere a domino vicorum et largitore seminum. Itaque seminantem simul et metentem gaudére, cum aufugerit dolor, et mœror, et suspirium, in futuro sæculo, fatebitur quidem quisquis legerit futurum ut « multi ab oriente et occidente veniant, et accumbant » cum Abraham, et Isaac, et Jacob in regno cœlorum [2]. » Jam vero omnem seminantem cum omni metente gaudere si quis ambigat admittere, consideret quod aliquo modo messis fuit transformatio Jesu, qui visus est in gloria, non solum metentibus Petro, Jacobo, et Joanni, qui cum ipso ascenderant, verum etiam seminatoribus Mosi et Eliæ [3] : cum ipsis enim pariter gaudent, videntes gloriam Filii Dei, quam a Patre illustratam illustrantemque videntes, antea non viderant Moses et Elias, ut nunc vident simul cum sanctis Apostolis. Perinde autem, quasi universale sit hoc dictum, sumimus : « Ille qui metit mercedem accipit, et » congregat fructum in vitam æternam; ut qui seminat » simul gaudeat et qui metit [4]; » eo quod in sequentibus

[1] Joan. IV, 35. — [2] Matth. VIII, 11. — [3] Idem, XVII, 1, 2 et 3. — [4] Joan. IV, 36.

plures dicantur esse qui metunt, et plures qui laboraverint, nimirum in seminando. Dicitur enim veluti ad multos messores : « Ego misi vos ad metendum, quod vos non » laborastis [1] : » et quasi multi sint qui in semine laboraverint, similiter dicitur : « Alii laboraverunt, et vos in la- » borem eorum introistis [2]. » Proinde æquivalet universali hæc propositio : « Ille qui metit, mercedem accipit [3] : » et sensus talis est : Omnis « qui metit, mercedem accipit, et » congregat fructum in vitam æternam ; ut *omnis* qui semi- » nat, simul gaudeat, et *omnis* qui metit. » Hæc autem aliqui quidem prompte admittent, non ambigentes quin manifestata sint sanctis Apostolis in adventu Christi, qui eis illustravit omnem Scripturam luce cognitionis, quæ occultata fuerant antiquis generationibus, ac ipsi Mosi et Prophetis : alii vero verebuntur admittere, non audentes dicere Mosem virum tantum, et Prophetas, adhuc agentes in humanis, non assecutos fuisse quæ Apostoli intellexissent ; præsertim cum hæc in Scripturis sint seminata, quas ipse Moses ac Prophetæ administraverint. Sed illi primi hoc dicto utentur : « Multi Prophetæ et justi cupierunt videre » quæ vos videtis, et non viderunt ; et audire quæ auditis, » et non audierunt [4] ; » et hoc etiam : « Ecce plusquam » Salomon hoc in loco [5] ; » et illo etiam : « In aliis ætatibus » non innotuit filiis hominum, quemadmodum revelatum » est nunc sanctis Apostolis ejus et Prophetis, ut sint gen- » tes cohæredes, et ejusdem corporis, consortesque pro- » missionis in Christo [6]. » Adducent etiam hi illud quod Daniel post quamdam visionem scripsit : « Surrexi, et non erat » qui intelligeret [7] ; » et illud Esaiæ : « Sermones hujus libri » sunt veluti liber hominis signatus : quem ipsum si dede- » rint homini nescienti litteras, dicentes : Lege, dicet : Ne-

[1] Joan. IV, 38. — [2] Ibid. — [3] Ibid. 36. — [4] Matth. XIII, 17. — [5] Id. XII, 42. — [6] Ephes. III, 5, 6. — [7] Dan. VIII, 26.

» scio litteras; et dabunt illum homini scienti litteras, et dicet : Non possum legere, eo quod signatus sit[1]. » Rursus alii hæc omnia hac sententia destruent : « Sapiens intelliget » quæ ex ore suo prodibunt; in labiis autem suis gestat scien» tiam[2] : » dicentes Mosen et unumquemque Prophetarum intellexisse quæ ipsi administraverint, non tamen ut aliis etiam traderent revelarentque mysteria; Apostolos vero, ut qui tempore revelationis extiterint, dicere : « State, et » tenete traditiones quas edocti fuistis[3]; » et illud : « Quæ » audisti a me per multos testes, hæc propone hominibus » fidelibus, qui idonei erunt alios etiam docere[4] : » dicentque, si desiderarunt multi Prophetæ et justi videre quæ viderunt, et audierunt Apostoli a Servatore loquente[5], non omnino desiderasse Scripturas Legis et Prophetarum, sed his majora, nempe quæ Servator Apostolis enuntiasset, præter spiritualia Legis et abstrusa Prophetarum, de quorum numero illud erat : « Audivi arcana verba, quæ non licet ad » hominem loqui[6], » et similia his, quæ dicuntur a Paracleto. Præterea vero etiam in his contextum consideremus, quemadmodum quemdam esse metentem, qui mercedem accipiat, et congreget fructum in vitam æternam, narrat Evangelista, dicens : « Ut qui seminat simul gaudeat et qui » metit[7]. » Nam si, ut qui seminat simul gaudeat, et si qui metit mercedem accipit, et congregat fructum in vitam æternam, fortassis qui seminat participans mercedem cum metente, et collectionem fructus qui convehitur in vitam æternam, simul cum metente gaudebit. At alius quidam dicturus est, omnia legalia et prophetica Mosen ac Prophetas accurate intellexisse, juxta spiritualem intelligentiam, et, ut oportebat, tecte et considerate scripta ea esse, quæ seminata sunt : quoniam autem « si sermonem sapientem

[1] Isai. XXIX, 11, 12. — [2] Prov. XVI, 23. — [3] 2 Thess. II, 15. — [4] 2 Tim. II, 2. — [5] Matth. XIII, 17. — [6] 2 Cor. XII, 4. — [7] Joan. IV, 36.

» audierit sapiens, laudabit eum, et ad ipsum addet [1], » perspicuum esse Apostolos rerum magis reconditarum et profundarum usos seminibus quæ Moyses et Prophetæ distribuissent, eo pervenisse ut assequerentur visiones veritatis multo copiosiores, nimirum Jesu illorum oculos attollente, et illucescente illorum mentibus, quæ copiosiores visiones messis regionum albarum erant : cæterum non quia fuerint abjectiores Prophetæ ac Moses, a principio eos non vidisse omnia quæ Apostoli in adventu Christi; sed quia veluti expectabant temporis plenitudinem : quo quidem tempore cum eximii illius Jesu Christi adventu revelanda erant etiam excellentiora his quæ unquam vel dicta vel scripta fuerint in mundo, ab eo qui non rapinam arbitratus est se Deo æqualem esse, sed seipsum exinanivit forma servi accepta [2].

« In hoc enim sermo verax est, quod alius est qui semi- » nat, et alius qui metit [3]. » Sive secundum exemplum ab artibus et scientiis sumptum interpretemur præsentia, clarum est quod verus sit sermo : « Alius est qui seminat, et » alius qui metit [4] : » sive eo quod seminarit quidem Moses et Prophetæ, viderint autem regiones albas esse, qui levaverunt oculos juxta præceptum Domini nostri Jesu Christi, qui eis præceperat ut viderent quomodo regiones jam albæ essent ad messem; etiam sic manifestum est, quonam pacto alius sit qui seminat, et alius qui metit. Considera vero num alius et alius idcirco dicatur, eo quod illi justificentur quidem tali vitæ instituto; hi vero alio præter illud : adeo ut alterum legalem, alterum Evangelicum dicamus. Attamen simul gaudent, uno fine utrisque reposito ab uno Deo per unum Christum in uno sancto Spiritu.

« Ego [5] misi vos ad metendum quod vos non laborastis : » alii laboraverunt, et vos in laborem eorum introistis [6]. »

[1] Eccli. xxi, 18. — [2] Philip. ii, 6, 7. — [3] Joan. iv, 37. — [4] Ibid.
[5] N. 49. p. 261. [6] Joan. iv, 38.

Haud est difficile videre ex his quæ supra diximus, quomodo miserit Jesus discipulos ad metendum illud in quod ipsi non laborarint, sed majores sui : cum enim laborarit Moses et Prophetæ ut percipere quirent intelligentiam mysteriorum, quorum vestigia in suis ipsorum scriptis reliquerunt, in Mosis ac Prophetarum laborem introiere Apostoli a Jesu mysteria edocti, metentes et congregantes in horrea suæ ipsorum animæ sensum in illis reconditum. Ac semper certe Sermo ille [filius Dei] majorum labores clariores facit his qui germane discere cupiunt, etiamsi non æque laborent atque hi qui seminarunt. Est et hoc quoque considerandum inter omnia quæ de aliis metentibus dicuntur, num quando Angelis ad satus hominum ordinatis, cooperatores perfectionis eorum qui seminati fuerunt Apostoli, in aliorum laborem ingrediantur metentes, et fructus in his qui adjuvabantur invenientes, quos Jesu adventus paratos ad messem, etiam ante quatuor menses qui sperabantur, fecerat. Quod si hæc ita se habent, dignum est ut inspiciamus num ministerium Angelorum, quod impendunt animas in corporibus seminando, laboriosum sit; quippe qui duo quædam congregent quæ natura sunt contraria, in unum temperamentum et in tempore ordinato, quique incipiant uniuscujusque œconomiam facere, et ad perfectionem producant hominem antea plasmatum. Sed dicet aliquis contrarium his esse, quod Deus dicatur hominem plasmare tum hoc dicto : « Manus tuæ fecerunt me, et » plasmaverunt me[1] ; » tum illo : « Antequam formarem te » in utero, novi te ; et antequam de vulva exires, sanctifi- » cavi te[2]. » Ad quod respondendum est, quod quemadmodum lex per Angelos ordinata[3], et dictus sermo per Angelos fuit stabilis[4] (cum alioqui perspicuum sit eum a Deo dictum fuisse), ita etiam contingere in generatione, ut per

[1] Psal. CXVIII, 73. — [2] Jer. I, 5. — [3] Galat. III, 19. — [4] Hebr. II, 2.

Angelos mediatores Deum plasmare in utero dicamus. Sed haud scio an huic nodo solvendo tale quid adduci possit, nempe quod Job et David, partis Dei cum essent, dicentes : « Manus tuæ fecerunt me, et plasmaverunt me[1], » a Deo plasmati fuerint; Jeremias autem audiens: « Antequam » formarem te in utero, novi te[2], » ceu partis Dei futurus, ab ipso formatus fuerit; alii vero aliorum existentes partes, ab his formentur quibus sorte obtingunt. Et accuratius profecto illud interpretabitur hæc oratio : « Faciamus hominem » ad imaginem et similitudinem nostram[3], » hoc dicente Deo de omnibus hominibus, et de opere antegresso : quod deinde opus et a cæteris fit, secundum propriam partem, ad quos fit sermo ; Deo his dicente : « Faciamus hominem : » quibus etiam inquit in confusione linguarum : « Venite, et » descendentes confundamus illic illorum linguam[4]. » Hæc autem non definientes dicimus, cum alioquin hæc multa egeant examinatione, ut inveniatur an hoc an illo modo res se habeat : attamen non est parvipendenda hæc interpretatio: Unusquisque homo pars est alicujus; juxta illud : « Quando dividebat Altissimus gentes, et quando disper» gebat filios Adam, constituit terminos populorum, juxta » numerum Angelorum Dei : factusque est pars Domini » populus ejus Jacob, funiculus hæreditatis ejus Israël[5]. » Quod si omnino unusquisque alicujus est pars, quia Deus disseminarit filios Adam, unusquisque quidem Angelorum laborat circa suam partem, disponens quæ ad ipsam pertinent. Sed in adventu Servatoris assumuntur captivati, ut obediant Christo ex omnium parte per ministrantes Evangelio Apostolos, et Evangelistas, et doctores, a Christo : adducunturque, ut sint gentes hæredes Christi. Vide igitur ne forte propter hoc dici possit Apostolis post paulo audi-

[1] Job, x, 8. Psalm. cxviii, 73. — [2] Jerem. i, 5. — [3] Gen. i, 26. — [4] Id. xi, 7. — [5] Deut. xxxii, 8, 9.

turis: « Ite, docete omnes gentes[1], » illud : « Alii laboraverunt, et vos in laborem illorum introistis[2]. » Quod si sancti Angeli reliquas partes, præter electam, sortiti fuerint, et ordinati sunt ad sationem animarum, nihil absurdi consequitur seminantem simul gaudere et metentem post messem.........

« Ex urbe[3] autem illa multi Samaritanorum crediderunt » propter sermonem mulieris testantis : Quia dixit mihi omnia quæcumque feci[4]. » Cum hydriam reliquisset, abiissetque in civitatem Samaritis, ut annuntiaret quæ a Servatore audierat, cumque venirent ad Dominum credentes sermoni mulieris, interim Servator discipulis loquens verba fecit superius dicta, obsecrantibus discipulis ut comedat : postquam autem dicta fuissent ad discipulos quæ pro virili indagavimus, resumit Scriptura narrationem de his qui venerant e civitate ad ipsum, et de his qui crediderant per testimonium mulieris dicentis : « Quia dixit mihi omnia » quæcumque feci[5]. » Quod si memores sumus eorum quæ superius diximus de Samaria, et de Samaritide, et de fonte Jacob, non difficile est videre quonam pacto qui assecuti fuerint sanam doctrinam, cum antea occupati fuissent in doctrinis ab Ecclesiæ decretis dissidentibus, relinquunt veluti dogmatum civitatem, et egressi ex ea sane credunt, cum una quæpiam mulier antea perceperit apud fontem Jacob salutarem doctrinam, et reliquerit prædictam hydriam, invitatura alios ut similiter juventur......

« Ut[6] ergo venerunt ad eum Samaritani, rogabant eum » ut apud ipsos maneret : et mansit illic duos dies : et multo » plures crediderunt propter sermonem suum[7]. » Non inscite

[1] Matth. xxviii, 19. — [2] Joan. iv, 38.
[3] N. 50. p. 263.
[4] Joan iv, 39. — [5] Ibid.
[6] N. 51. p. 264.
[7] Joan. iv, 40, 41.

quis conferet hoc dictum : « In viam gentium ne abieritis, » et in civitatem Samaritanorum non ingrediemini[1], » cum hoc contextu. Rogatus enim Servator ut maneret apud Samaritanos, mansit illic duos dies, qui dixerat : « In civita» tem Samaritanorum non ingrediemini : » unde perspicuum est discipulos ejus cum ipso in civitatem ingressos non fuisse. Ad quod dicendum est, quod ire in viam gentium sit recipere aliquod dogma gentile, alienum ab Israële Dei, et ambulare in illo; ingredi vero in civitatem Samaritanorum, sit adhærere alicui scientiæ falso nominatæ, eorum qui se dicunt adhibere mentem legalibus, vel propheticis, vel Evangelicis, vel Apostolicis sermonibus. Relinquentibus autem Samaritanis propriam urbem, et venientibus ad Jesum apud fontem Jacob, licet Jesu admittenti eorum qui crediderant propositum, manere apud ipsos rogantes. Arbitrorque Joannem cum judicio non posuisse : « Rogabant eum[2] » Samaritani ut Samariam ingrederetur, vel, ut ingrederetur in civitatem, sed, « ut maneret apud ipsos : » non enim idem est, manere apud credentem, et ingredi in civitatem ipsius. Quin lectio sequens non inquit mansisse eum in civitate illa *duos dies*, vel quod manserit in Samaria, sed *mansit illic*; hoc est, penes eos qui rogarant. Manet enim Jesus apud eos qui rogant, et præcipue cum rogantes eum egrediuntur ex urbe sua, et veniunt ad ipsum Jesum, Abraham veluti imitati parentem Deo dicenti : « Egredere de terra tua, et » de cognatione tua, et de domo patris tui[3]. » Mansit autem duos dies penes eos a quibus rogatus fuerat : nondum enim capiebant tertium illius diem, quoniam miraculosum aliquid capere non poterant, perinde atque concives Canæ Galilææ tertia die cum Jesu cœnantes in nuptiis. Principium igitur quod multi crediderunt ex Samaria, sermo fuit mulieris testificantis dixisse sibi Jesum omnia quæcumque fecisset[4];

[1] Matth. x, 5. — [2] Joan. iv, 40. — [3] Gen. xii, 1. — [4] Joan. iv, 39.

incrementum vero et multiplicatio eorum qui multo plures crediderunt, non amplius propter sermonem mulieris, sed propter sermonem ejus; quod non æque ipse Sermo [seu Filius Dei] agnoscatur, cum aliquis de ipso testificatur, atque cum ipse a se ipso illustrat et erudit percipientem discipulum.....

«Mulieri[1] autem dicebant : Non amplius propter loquelam tuam credimus : ipsi enim audivimus, et scimus quod » hic est vere Servator mundi[2]. » Negant fidem eam quam habebant propter loquelam mulieris, eo quod hac præstantiorem invenissent, audito Servatore ipso, adeo ut agnoverint hunc esse vere Servatorem mundi. Ac certe melius est propriis oculis cernere Sermonem, ipsumque audire docentem sine instrumentis, et citra docentes visa imprimentem animæ principatui, invenienti veritatis figuras manifesto; quam non videntes ipsum, neque ab illius illustratos potentia, doctrinam percipere de illo per ministros qui illum viderint. Difficillimum enim factu est ut affectionem eamdem quæ in principatu animæ illius qui viderit efficitur patiatur ille qui edocetur ab eo qui ipsam viderit : unde etiam longe melius est per speciem ambulare quam per fidem[3]. Hanc ob causam aliqui per speciem ambulantes in præcipuis dicentur esse charismatibus, nempe in sermone sapientiæ per Spiritum Dei, et in sermone scientiæ juxta eumdem Spiritum[4]; qui vero per fidem ambulant, etiamsi donum sit fides, juxta illud : « Alii autem fides, in » eodem spiritu[5], » in ordine priorum sunt ultimi. Cæterum inquiramus oportet quando et quomodo dicat Paulus : « Per fidem enim ambulamus, non per speciem[6] : » quomodo enim, ut multi rentur, per fidem et non per speciem

[1] N. 52. p. 265.

[2] Joan. IV, 42. — [3] 2 Cor. V, 7. — [4] 1 Cor. XII, 8. — [5] Ibid. 9. — [6] 2 Cor. V, 7.

ambulat, qui gravissime dicit : « Nonne sum liber ? nonne » sum Apostolus ? nonne Dominum nostrum Jesum Christum vidi ? nonne opus meum vos estis in Domino[1] ? » Proinde videamus quomodo intelligendum sit illud : « Per fidem » enim ambulamus, non per speciem[2] ; » reassumentes ex superioribus ipsum sic habens : « At qui nos in hoc ipsum » paravit, Deus est : qui etiam dedit nobis arrabonem Spi» ritus. Itaque bono animo simus semper, scientes quod » cum domi sumus in corpore, peregrinamur a Domino : » per fidem enim ambulamus, non per speciem ; » (scilicet cum domi existentes in corpore, peregrinamur a Domino) « confidentes, magis probamus peregre abesse a corpore, » et præsentes adesse apud Dominum[3]. » His sic dictis intelligendi causa quid sit præsens esse in corpore, et peregrinari a Domino ; itemque quid sit peregre abesse a corpore, et præsens adesse ad Dominum, nos ipsos interrogemus quid de Apostolo dicturi simus : utrumne quod domi existens in corpore peregre absit a Domino, an quod peregre agens a corpore præsens adsit apud Dominum. Sed perspicuum est id ; nam quoniam qui in carne sunt Deo placere non possunt, et sancti non sunt in carne, sed in spiritu[4] ; quandoquidem Dei Spiritus habitat in ipsis ; Paulus neque in carne neque in corpore erat : nam vere dicit : « Opinor autem quod et ego spiritum Dei habeam[5] : » sed neque in carne neque in corpore habitabat, cum is qui corpus inhabitat, per fidem ambulet, non per speciem. Ac vide num Apostolicæ diligentiæ possit esse, ut esse in carne et habitare in corpore, non idem esse dicamus : etenim qui in carne sunt Deo placere non possunt[6]. Rursus qui habitant in corpore, peregre quidem absunt a Domino verumtamen per fidem ambulant, etiamsi nondum percepe-

[1] 1 Cor. IX, 1. — [2] 2 Cor. V, 7. — [3] Ibid. 5 et seq. — [4] Rom. VIII, 8, 9. — [5] 1 Cor. VII, 40. — [6] Rom. VIII, 8.

rint per speciem. Et eos quidem in carne arbitror esse qui secundum carnem militant; corpus vero inhabitare et peregre abesse a Domino, eos qui sensus spirituales Scripturæ non intelligentes, corpore toti sunt ipsi Scripturæ addicti : alioquin quomodo non peregre abest a Domino, si Dominus spiritus est, qui nondum percipit Spiritum vivificantem, et sensum Scripturæ spiritualem[1] ? Attamen per fidem, qui hujusmodi est ambulat : peregre autem abest ille a corpore et præsens est ad Dominum, qui spiritualia spiritualibus conferens, et factus « spiritualis, omnia dijudi» cat, ipse autem a nullo dijudicatus[2]. » Hæc quanquam a nobis per digressionem in Apostolica verba dicta videntur, maxime tamen necessaria sunt ad differentiam sermonis Samaritanorum non amplius propter loquelam mulieris credentium, sed quia viderunt et audierunt hunc esse Servatorem mundi. Nec mirum sane debet esse quosdam quidem per fidem ambulare, non per speciem; quosdam vero per speciem, id quod majus est quam ambulare per fidem.....

§ II.

De filii cujusdam reguli sanatione.

« Et erat[3] quidam regulus, cujus filius infirmabatur in » Capharnao, » usque ad hoc : « Et credidit ipse, et domus » ejus tota[4]. » Non admodum usitatum invenimus apud Judæos reguli nomen : unde neque, quantum ad historiam, cogitatione assequimur quis sit iste regulus, et cujus regis sit cognominis. Itaque simplicior existimabit regulum hunc hominem esse aliquem Herodis regis. Rursus alter huic similis dicturus est e Cæsaris domo hunc fuisse regulum,

[1] 2 Cor. III, 17. — [2] 1 Cor. II, 15.
[3] N. 57. p. 271.
[4] Joan. IV, 46, 53.

tum temporis aliquid in Judæa exigentem tractantemve : neque enim aperte invenitur quod fuerit Judæus, quoniam non sequitur indigenam eum fuisse illorum locorum, eo quod filius suus in Capharnao ægrotabat. Ostenditur autem illius dignitas etiam ex hoc, quod jam illi descendenti occurrisse dicuntur servi, dicentes filium ipsius vivere[1] : plurium enim numero servi dicuntur. Habeat igitur historia ut lubet, elegantiusque se habeat reguli filius juxta Servatoris vocem hora septima liberatus a febri, domusque ejus tota credat[2]. At age pro virili nostra vestigemus, cujus rei nota esse possit hic regulus et filius ejus. Magnum igitur Regem[3], cujus civitas vera Jerosolyma sunt[4], et Regem regnantium peregre profectum ad regionem longinquam accipiendi sibi regni causa et redeundi[5], et revertentem regem alium neminem scimus, nisi dicentem : « Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus; » prædicans præceptum Domini[6] : » hujus diem qui viderint et lætati fuerint, omnes sunt reguli; et qui credunt in Patrem per ipsum, regni illius sunt cognomines : quorum unum quemdam quærimus, et ipsius filium qui ægrotarit, et cætera quæ de hoc scribuntur. Diximus autem in superioribus omnem populum filium esse Abrahæ, quemadmodum etiam ipsi gloriantes fatentur : « Nos semen Abrahæ » sumus, et nemini servivimus unquam; » et illud : « Num » tu major es patre nostro Abraham, qui mortuus est[7]? » Perinde enim quasi populus gloriaretur in ipso magis quam in cæteris patribus, iisque qui post ipsum extitissent, inquit etiam Servator : « Ne cœperitis dicere : Patrem habemus » Abraham; *vel :* Ne cogitetis dicere : Patrem habemus » Abraham; nam potest Deus de lapidibus his suscitare filios Abrahæ[8]. » Quin Esaias quoque ad populum inquit :

[1] Joan. IV, 51. — [2] Ibid. 52, 53. — [3] Matth. V, 35. — [4] Apoc. XIX, 16. — [5] Luc. XIX, 12. — [6] Psal. II, 6. — [7] Joan. VIII, 33, 53. — [8] Matth. III, 9.

« Inspicite in Abraham patrem vestrum, et in Sarram, quæ » vos peperit[1]. » Et quid opus est exemplis sermonem producere, manifestum cum sit quod ipse Abraham sit primus pater populi, propter quod singulariter etiam nominatur pater? Suspicamur igitur regulum esse Abraham, ejus vero filium, qui in Capharnao ægrotavit eratque moriturus, Israëliticum genus, quod ægrotaverat in Dei cultu et observatione divinarum legum; et etiam Deo ut moreretur, ferventibus [ut ita loquar] inimici sagittis fervefactum fuerat, unde etiam fervere, id est, febricitare dicitur. Apparet autem sanctis qui antea ex hac vita emigrarint, curam esse de populo; quemadmodum in Macchabæorum gestis scriptum est, post plurimos annos ab obitu Jeremiæ : « Hic est » Jeremias Dei propheta, qui multum erat pro populo[2]. » Vide ergo num exponere possimus quod Abraham regulus quispiam existens, ægrotante sibi filio, eoque morituro, Dominum rogat pro filii laborantis sanatione, profectus ad ipsum, et obsecrans ut descendat, et curet suum filium jam moriturum[3].

« Hoc[4] autem rursus secundum signum fecit Jesus, ve» niens a Judæa in Galilæam[5]. » Hic contextus est ambiguus : habet enim talem significationem, quasi Jesus duo signa fecerit, cum veniret a Judæa in Galilæam, quorum signum de filio reguli sit secundum; et quod duo signa cum sint quæ fecerit Jesus in Galilæa, secundum fecerit veniens a Judæa in Galilæam : estque hoc receptum, et verum; neque enim cum proficisceretur a Judæa in Galilæam primum fecit, sed primum fecit quando mutavit aquam in vinum : factumque est postera die, fuitque etiam in causa ut Andreas, frater Simonis Petri, interrogans ubi maneret, circa

[1] Isai. LI, 2. — [2] 2 Macchab. XV, 14. — [3] Joan. IV, 47.
[4] N. 60. p. 277.
[5] Joan. IV, 54.

decimam diei horam apud Dominum maneret[1]; scriptum est enim : « Postridie voluit exire in Galilæam, et invenit Phi- » lippum[2]. » Sed vide num intelligere possimus œconomiam, eo quod notarit etiam Evangelista hoc secundum signum factum fuisse cum descenderet Dominus a Judæa in Galilæam. Diximus autem in superioribus duos Servatoris nostri adventus in Canam accipi posse pro duobus ipsius super terram adventibus : quæ quidem terra, quia facta sit possessio ejus qui accepit potestatem omnem[3], ita in terra, quemadmodum in cœlo, idcirco Κανᾶ appellata est. Primo itaque adventu nos post lavacrum cum ipso convivantes exhilarat, etiam donans ut bibamus e vino potentiæ suæ, quod quidem aqua erat quando hauriebatur antea, sed vinum facta est quando immutavit illam Jesus. Etenim vere ante Jesum Scriptura erat aqua; simul autem atque venit Jesus, facta est nobis vinum. Secundo vero adventu liberat a febri, tempore judicii, quod illi a Deo concreditum fuit ut judicet, liberans a febri, et perfecte sanans reguli filium, sive Abrahæ, sive principis alicujus qui regulus nominetur. Et hæc quidem veluti prætereundo superiores expositiones; quarum quoniam memores nos esse oportet, dicendum est fieri posse ut omnis creatura duplicem illius adventum hunc ad se consideret. Proinde inspicies num principalis dicendus sit hac ratione primus, sequens vero secundus : adeo ut in principali exhilarentur hi qui eum receperint; in secundo vero liberentur ab omni morbo et ab ignitis inimici sagittis, hi qui noluerant antea de ejus vino bibere. Et primum quidem miraculum indivisum est, nam Canæ est, et qui aquam vertit in vinum, et qui bibunt; secundum vero miraculum quamdam veluti separationem habet : nam filius Reguli ægrotans non erat ubi Jesus; non enim erat in Cana, sed in Capharnao : et sermo quidem potentiæ a Cana egre-

[1] Joan. I, 38, 39. — [2] Ibid. 43. — [3] Matth. XXVIII, 18.

ditur, nam, « Filius tuus vivit [1], » in Cana dictum est; opus vero sermonis efficitur in Capharnao, illic enim ægrotus reguli filius sermone Jesu curatus est « hora septima [2] : » invenimusque hunc a sermone curatum, cui non putabatur Jesus adesse, atque etiam Centurionis servum. Etenim procul ab illo cum esset, non proficiscitur Dominus ad domum Centurionis, qui dixit : « Domine, non sum idoneus ut sub » tectum meum intres, sed tantum dic verbum, et sanabitur » puer meus [3] : » propter quod inquit ad ipsum : « Vade, et » ut credidisti fiat tibi [4]. » Observavimus autem utrosque ægrotantes in Capharnao fuisse, scilicet reguli filium et Centurionis servum. Quin socrus etiam Petri prostrata, febri laborabat in Capharnao, cujus manus cum attigisset, prostratam sanavit, adeo ut erecta ministraret illi [5]. Et hi quidem die existente curati fuere in Capharnao; nam reguli filius hora septima, Centurionis autem servus et Petri socrus ante vesperam. « Vespera vero facta, *juxta Mat-* » *thæum,* attulerunt illi *in Capharnao* multos a dæmone » vexatos : spiritusque ejecit sermone, omnesque male ha- » bentes curavit [6]. » Tardius ergo quidam, celerius alii curantur a Jesu : qui enim vespere, tardius curantur, quippe qui iis qui in die curati sunt inferiores sint; nam a dæmone vexantur, et male habent. Proinde contendendum nobis est ut congregemus loca ubi inventi fuere qui curatione egebant, notandumque est quibus in locis alia facta fuerint signa, et non ea quæ ad ægrotantes spectant : veluti in Samaria signum erat illud : « Quinque viros habuisti, » et nunc quem habes non est tuus vir [7] : » propterea cum obstupuisset mulier, dixit : « Video te prophetam esse [8], » civibusque dicit : « Agite, videte hominem qui dixit mihi » omnia quæcumque feci : numquid hic est Christus [9] ? »

[1] Joan. IV, 50. — [2] Ibid. 52. — [3] Matth. VIII, 8. — [4] Ib. 13. — [5] Marc. I, 30. — [6] Matth. VIII, 16. — [7] Joan. IV, 18. — [8] Ibid. 19. — [9] Ibid. 29.

Observanda sunt etiam verba ipsius, ubi, et quamobrem, et propter quæ facta dicuntur. Sub talium enim solum observationum et disquisitionum examine, brevi laborum fructus reperies, benedictionem nimirum in Psalmis memoratam : « Laborum tuorum fructus comedes [1]. » Præterea huic dicto : « Hoc autem rursus secundum signum fecit Jesus [2], » hoc etiam addendum est, nullibi prodigia sola nominari, sed sicubi scribantur, ascribi etiam signa : quemadmodum in his verbis : « Nisi signa et prodigia videritis, non » credetis [3] ; » frequenter vero signa sine prodigiis inveniri : quemadmodum etiam hoc in loco. Proinde quærendum est habeant necne differentiam aliquam inter se prodigia et signa : et arbitror ea facta quæ superant opinionem, quæque prodigiosa sunt, eo quod ipsam opinionem et consuetudinem transcenderint, sintque admiranda et supra hominem, prodigia nominari; quæ vero aliquid innuant præter ea quæ fiunt, signa dici. Quam etiam ob causam nomen signi invenitur in his quæ non sunt præter opinionem : veluti signum nominatur a Deo in his : « Circumcidetur vobis » omne masculinum, et circumcidetis carnem præputii ves» tri, et erit in signum testamenti inter me et vos [4]. » Nullibi autem sola prodigia nominata sunt : quoniam non est aliquid paradoxon in Scriptura, quod non sit signum et nota alterius rei, præter id quod sensibiliter fit : quoniam si fuisset prodigiosi aliquid factum alterius rei non index, scriptum fuisset hoc prodigium fecisse Jesum, vel Mosen (ut ita dicam), vel aliquem sanctorum. Quando igitur edocemur a Scriptura oportere quærere cujus signum sit id quod factum est, dicitur : « Hoc autem rursus secundum » signum fecit Jesus [5] : » quando autem regulo ceu probro datur, quod crediturus non sit absque visione prodigiorum,

[1] Psalm. CXXVII, 2. — [2] Joan. IV, 54. — [3] Ibid. 48. — [4] Gen. XVII, 10, 11. — [5] Joan. IV, 54.

non amplius dicitur : « Nisi signa videritis, non credetis ; » non enim signa facta invitant ad credendum, in quantum signa sunt, si contingat ut signum non sit etiam prodigium ; sed dicitur : « Nisi signa et prodigia videritis, non credetis[1] : » vobis quidem credentibus propter prodigium, nobis autem præter hoc etiam honorem illi deferentibus, propter illud cujus illud est signum. Quæres autem in septuagesimo septimo Psalmo : « Sicut disposuit in Ægypto signa sua et pro» digia sua in campo Taneos[2], » utrum subjecto necne differant signa et prodigia ; an eadem, in quantum signa sunt, facta sint in Ægypto, cum ipsa etiam Ægyptus ad intelligibilia quædam reducatur ; in quantum autem prodigia, facta sint in campo Taneos, cum alioquin prodigia, in quantum prodigia, neque campus Taneos, in quantum est campus Taneos, allegoriam capiant. Quinetiam prodigia, in quantum signa sunt, sensu anagogico egent, et campus Taneos, in quantum est Ægyptus......

[1] Joan. IV, 48. — [2] Psalm. LXXVII, 43.

TOMUS DECIMUS NONUS [1].

§ I.

De eo quod scriptum est : *Ego vado, et quæretis me, et in peccato vestro moriemini.*

« Ego vado [2], et quæretis me, et in peccato vestro mo-» riemini [3]. » Quæro propter hoc dictum : « Hæc eo loquente, » multi crediderunt in eum [4], » numquid ad omnes præsentes dixerit : « Ego vado, et quæretis me, et in peccato ves-» tro moriemini [5] ; » an potius ad eos quos, quia non credidissent, noverat in peccato suo morituros, non valentes pone ipsum sequi ; non valentes autem, eo quod nollent ; nam si volentes non poterant, haudquaquam illis rationabiliter diceretur : « In peccato vestro moriemini. » At vero aliquis contra hoc dicturus est : Si hæc dicebat non permanentibus in fide, quomodo talibus dicit : « Quæretis me ? » Nam quærere Jesum sæpenumero est bonum, quod idem fere sit quod quærere sermonem, et veritatem, et sapientiam. Sed respondebis hoc verbum, *quærere,* dici aliquando de his qui insidias struunt : quemadmodum in illo dicto : « Quærebant eum prehendere, et nemo in eum injecit ma-» nus, quod nondum venisset hora ejus [6] ; » et in hoc : « Novi » vos Abraham semen esse, sed quæritis me interficere, quod » sermo meus non capit in vobis [7] ; » et in hoc : « Nunc autem

[1] Tom. IV ed. Benedd. p. 281 et seqq. — [2] N. 3. p. 293.
[3] Joan. VIII, 21. — [4] Ibid. 30. — [5] Ibid. 21. — [6] Idem, VII, 30. — [7] Id. VIII, 37.

» quæritis me interficere, hominem, qui locutus sum veritatem vobis, quam audivi a Patre[1]. » Quam etiam ob causam dicitur illud eum non bene quærentibus : « Et quæretis me[2] : » quod contrarium non est ei dicto : « Omnis qui » quærit invenit[3]. » Ac certe differentiæ semper sunt quærentium Jesum, cum omnes non sincere, et pro sua ipsorum salute, et ut ab eo juventur, quærant eum. Sunt enim aliqui innumeris argumentis, quæ ab honesto deflexerunt, quærentes Jesum : quamobrem soli recte quærentes eum pacem invenerunt : qui etiam proprie dicentur ipsum quærere in principio existentem Sermonem, Sermonem apud Deum[4], ut ipsos adducat ad Patrem. Assistens autem ille λόγος [id est ratio, et Filius Dei], et notiones suggerens, nisi admissus fuerit, minatur se abiturum, et dicit : « Ego » vado[5]; » eum nobis postea, si abeuntem quæsierimus, non inventuris, sed in peccato nostro morituris. Novit autem a quo discedit, et apud quem manet, nondum inventus, ut in tempore quæsitus inveniatur : quibus profecto isto modo habentibus eum, nec adhuc illum videntibus, dicitur illud : « Ne dixeris in corde tuo : Quis ascendet in cœlum ? hoc est » Christum deducere; vel : Quis descendet in abyssum ? hoc » est Christum ex mortuis reducere. Sed quid dicit Scrip» tura ? Admodum prope te est verbum in ore tuo, et in » corde tuo[6]. » Proinde his etiam benigne Servator ostendit quæ ad regnum Dei pertinent, ne quærant illud extra seipsos, neque dicant : « Ecce hic, vel ecce illic[7] : » inquit enim eis : « Regnum Dei intra vos est : » et quamdiu quidem servamus animæ nostræ ingenita veritatis semina, ejusque principia, nunquam a nobis discedit ille λόγος [id est ratio, et Filius Dei]. Quod si malitiæ dissolutione corrupti fueri-

[1] Joan. VIII, 40. — [2] Ib. 21. — [3] Matth. VII, 8. — [4] Joan. I, 1. — [5] Id. VIII, 21. — [6] Rom. X, 6, 7, 8. Deut. XXX, 14. — [7] Luc. XVII, 21.

mus, tunc nobis dicturus est : « Vado[1]; » non inventuris illum, etiamsi quæramus maxime, sed in peccato nostro morituris, deprehensis in eo, et assumptis ab his qui ordinati sunt ut repetant animam; juxta dicentem : « Insipiens, » nocte hac animam abs te tuam repetunt[2]. » Sed ne hoc quidem dictum : « In peccato vestro moriemini[3], » absque indagine prætereundum est : nam si communiter accipiatur, perspicuum est peccatores in peccato suo morituros; justos vero in sua justitia : sin vero *moriemini* accipiatur de morte, quæ est inimica Christi, ut is pereat qui ad mortem peccavit; perspicuum est nondum periisse eos quibus hæc dicebantur. Quæres etiam, quonam pacto qui non crediderant se vivere in infirmitate, morituri sint aliquando; præsertim cum aliquis in horum defensione sit responsurus incredulitatem in illo tempore nondum fuisse peccatum ad mortem; et idcirco illos penes quos loquebatur Servator, ad mortem non peccasse : vivebant illi tamen in infirmitate animæ suæ, eratque infirmitas illa ad mortem : propterea etiam Medicus videns illos misere ægrotantes, atque de illorum salute desperans dicebat : « Ego vado, et quæretis » me, et in peccato vestro moriemini[4]. » Dicamus igitur quod infirmitas illa illis ad mortem erat, tanquam a Jesu edocti differentiam infirmitatis : infirmabatur namque Lazarus, sed noverat Medicus infirmitatem hujus non esse ad mortem : quamobrem inquit : « Infirmitas hæc non est ad » mortem[5]. » Hanc ob causam si suscipiamus infirmitates ipsorum ægrotantium, adhibeamus animum ne quando ad mortem ægrotemus, morbo facto immedicabili, cum adhuc spes esse posset. Pariter etiam apertius quodam modo erit hoc dictum : « Quo ego vado vos non potestis venire[6], »

[1] Joan. VIII, 21. — [2] Luc. XII, 20. — [3] Joan. VIII, 21. — [4] Ibid. — [5] Id. XI, 4. — [6] Id VIII, 21.

quod subjungitur illis verbis : « Et in peccato vestro morie» mini : » quando enim moritur quis in suo ipsius peccato, quo vadit Jesus non potest abire; nullus enim mortuus sequi potest Jesum, quandoquidem : « Non mortui laudabunt » te, Domine, neque omnes qui descendunt in infernum : » sed nos viventes laudabimus Dominum[1]. » Ad hæc huic dicto : « In peccato vestro moriemini[2], » illud Ezechielis adjunges hunc in modum se habens : « Anima peccans, ipsa » moritur[3] : » mors enim animæ peccatum; non omne tamen, meo judicio, sed illud quod dicit Joannes ad mortem[4] : qui pariter etiam distinguit peccatum aliquod mortem esse animæ, et item aliquod infirmitatem esse ejus : fortassis etiam tertio modo peccatum aliquod damnum est animæ, quod scilicet ex eo liquet : « Quid utilitatis habebit homo, » si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detri» mentum patiatur[5] ? » et ex eo : « Si cujus opus exustum » fuerit, damnum habebit[6]. » Atque in peccato quidem morientibus inquit : « Vado, et quæretis me, et in peccato ves» tro moriemini : quo ego vado non potestis venire[7]; » ad Petrum vero : « Quo ego vado non potes me modo sequi, » sequeris autem postea[8] : » fieri enim potest ut discipulus Jesu non sit nunc quidem paratus ad sequendum Christum abeuntem ad Patrem, postea vero diligenter vestigiis insistat præceptoris, et sequatur Sermonem Dei......

« Dicebant[9] ergo Judæi : Numquid seipsum interfecturus » est, quod dicit : Quo ego vado, vos non potestis venire[10] ? » Dignum quæsitu est, undenam moti Judæi ad illud dictum : « Quo ego vado, vos non potestis venire[11], » dicant : Num» quid interfecturus est seipsum, quod dicit : Quo ego vado

[1] Ps. CXIII, 17, 18. — [2] Joan. VIII, 21. — [3] Ezech. XVIII, 20. — [4] 1 Joan. V, 16, 17. — [5] Matth. XVI, 26. — [6] 1 Corinth. III, 15. — [7] Joan. VIII, 21. — [8] Idem, XIII, 36.

[9] N. 4. p. 296 et seqq.

[10] Joan. VIII, 22. — [11] Ibid. 21.

» vos non potestis venire[1]? » Ut vero etiam detur simplicius eos dixisse : « Numquid interfecturus est seipsum ? » quomodo qui poterant seipsos interficere, etiamsi non interficiant seipsos, neque vadant eo quo vadit qui seipsum interficit, eo abire non possunt quo recedit qui seipsum interficit? Itaque respondeant oportet ad hæc quæsita, qui diligentius et profundius intelligunt quæ a Judæis dicuntur in Evangeliis, clarum esse Judæos multa secundum quasdam traditiones occultas et separatas loqui; tanquam qui alia cognorint præter ea quæ publica erant et trita...............
Videamus igitur etiam in hoc : « Numquid interfecturus » est seipsum[2]? » an facile factu sit Judæos non intellexisse quidquam communius, vel simplicius; perinde quasi ipse seipsum e vita educeret, vel laqueo, vel gladio, vel qualicumque tandem via eorum qui hinc seipsos liberant; et maxime quoniam existimant ipsum se interfectum, eo abiturum quo difficillimum factu sit eos proficisci : et nisi circa nomina superstitiosi simus, sed intueamur res, non invenientes uti aliis nominibus de rebus, fortasse divinius, ut ita dicam, aliquo modo se interfecit Dominus; quam rem sic ostendemus : quia omnium animæ qui ab hoc corpore discedunt, repetentibus quibusdam eas ad hoc ordinatis, assumantur, uti probabile est esse huic muneri obeundo ordinatos, qui ipsis animabus sint præstantiores; illud enim : « Insipiens, » hac nocte repetunt abs te animam tuam[3], » tale quid declarat. Quod si quis dicat hoc quidem dici posse de malis, non vero de viris præstantioribus, deque his qui probe vixerint, illud notet, annon Dominus singulare quiddam præ omnibus qui in corpus advenerint, de seipso renuntians dicat : « Nemo tollit a me animam meam; sed ego pono eam » a meipso, et habeo potestatem ponendi eam, et iterum » habeo potestatem sumendi eam[4]. » Consideremus enim

[1] Joan. VIII, 22. — [2] Ibid. — [3] Luc. XII, 20. — [4] Joan. X, 18.

aliquem, qui, cum voluerit, relinquat corpus, et exeat sine via ferente ad mortem; scilicet exiens sine viis violentis, vel sine morbis, rursusque, cum voluerit, rediens, utensque instrumento corpore, quod reliquerat: ab hoc enim tali animam non repeti dicemus. Ac decens profecto est de Jesu anima isto modo dicere mortem fuisse; ipsumque ostendere volentem discipulis nobilitatem discessus hinc sui, dixisse: « Nemo tollit a me animam meam, sed ego pono eam a me» ipso: » hoc enim neque Moyses, neque Patriarcharum aliquis, neque Prophetarum, ac ne Apostolorum quidem aliquis dixit præter Jesum [quippe cum omnium hominum animæ ab eis auferantur]. Proinde, hoc considerato, manifestum esse illud potest quod in septimo et octogesimo Psalmo dictum est hoc modo, ex persona Servatoris: « In » mortuis liber[1]. » Notans autem Evangeliorum scripta de discessu hinc suo, invenies in illis non dissonantem intelligentiam scriptorum de exitu suo: nam si mortuus fuisset perinde ac illi latrones qui cum eo crucifixi fuere, et quorum milites fregerunt damnatorum crura[2], haudquaquam dicere possemus animam a semetipso Jesum posuisse, sed aliqua via morientium. At nunc Jesus « voce valida cum » clamasset, emisit spiritum[3]: » cumque etiam, quasi rex, reliquisset corpus, et cum virtute et potentia operatus fuisset quæ judicabat consentaneum esse facere, statim « velum » templi scissum est a sursum usque deorsum, et terra mota » est, et petræ scissæ sunt, et monumenta aperta sunt, et » multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt, » et egressi e monumentis post resurrectionem ejus ingressi » sunt in sanctam civitatem, et apparuerunt multis: *ita ut* » Centurio, et qui cum illo erant, servantes Jesum, viso » terræ motu, et quæ fiebant, valde timuerint, dicentes:

[1] Psalm. LXXXVII, 6.— [2] Joan. XIX, 32. — [3] Matth. XXVII, 50.

» Vere Filius Dei erat hic[1]. » Fortassis igitur ut in traditionibus de Christo erat eum nasciturum in Bethleem, proditurumque ex tribu Juda, juxta sanas intelligentias Propheticorum sermonum[2]; sic de morte ipsius etiam erat, quod Christus seipsum e vita liberaturus esset eo modo quo diximus : et certe probabile est eos intellexisse eum qui sic exiturus esset, abiturum in locum quo ne hi quidem hæc intelligentes proficisci possent; adeo ut non simpliciter, sed juxta quamdam de Christo traditionem dixerint : « Numquid interfecturus est seipsum, quia dicit : Quo ego vado vos non potestis venire[3]? » Quod si etiam hæc loquuntur Judæi, ambigue hæc loquuntur : nam dicere : « Numquid interfecturus est seipsum? » tale quiddam est. Nec sane mirum est eos de Christo ambigere, quando etiam in superioribus, cum turbæ audissent sermones Jesu, dicerent : « Hic est vere Propheta ille : alii vero dicebant : Hic est ille Christus : quidam autem dicebant : Numnam ex Galilæa Christus venit? Nonne Scriptura dicit quod ex semine David, et de Bethleem castello ubi erat David, Christus veniet? » quando etiam « dissensio orta est in turba propter eum[4]. » Sed paulo post illa scriptum est respondisse ministros : « Nunquam isto modo locutus est homo[5] : » adeo ut Pharisæi admirantibus sermonem ejus dixerint : « Num vos etiam decepti estis? num aliquis ex principibus vel ex Pharisæis in eum credidit? Annon turba hæc, quæ non agnoscit Legem, execrabiles sunt? » quando etiam cum dixisset Nicodemus : « Num Lex nostra judicat hominem, nisi prius audierit ab ipso et cognoverit quid faciat? responderunt : Num et tu Galilæus es? scrutare, et vide quod a Galilæa propheta non egreditur, neque surgit. » Sed quomodo simplicius poterant intelligere futurum ut seipsum

[1] Matth. XXVII, 51 et seqq. — [2] Mich. V, 2. Matth. II, 6. Joan. VII, 42. — [3] Id. VIII, 22. — [4] Idem, VII, 40 et seq. — [5] Ibid. 46 et seq.

interficeret, audientes eum dicentem: « Ego sum lux mundi : » qui sequitur me nequaquam ambulaverit in tenebris, sed » habebit lumen vitæ[1]? » Ad quem Pharisæi dixerunt : « Tu » de teipso testificaris; testimonium tuum non est verum. » Respondit Jesus, et dixit eis : Etiamsi ego testimonium » perhibeo de meipso, verum est testimonium meum, quia » scio unde venio, et quo vado. Vos secundum carnem ju- » dicatis, ego non judico quemquam : porro etiamsi judi- » cem ego, judicium meum verum est, quia solus non sum; » sed ego, et qui misit me Pater. Quin et in Lege vestra » scriptum est, quod duorum hominum testimonium verum » est : ego sum is qui testimonium fero de meipso, et tes- » timonium fert de me qui misit me Pater. » Cur vero verisimile erat quod seipsum interfecturus esset post tot verba tam magnifice a se hunc in modum dicta : « Neque me sci- » tis, neque Patrem meum : si me sciretis, etiam Patrem » meum sciretis[2]? » Credibile enim est eos, perinde atque hæc verba, intellexisse illud : « Ego vado, et quæretis me, » et in peccato vestro moriemini; quo ego vado, eo vos non » potestis venire[3] : » [cui etiam Judæi responderunt : « Num- » quid interficiet seipsum, quia dicit : Quo ego vado vos » non potestis venire? »]........

« Dixi[4] ergo vobis quod moriemini in peccatis vestris; » nisi enim credideritis quod ego sum, moriemini in pec- » catis vestris[5]. » Quando dixit illis : « Moriemini in pec- » catis vestris, » nisi quando dixit : « Quæretis me, et in » peccatis vestris moriemini[6]? » Quid vero est in causa ut homines moriantur in peccatis suis, nisi non credere Jesum esse Christum? ipse enim inquit : « Nisi credideritis » quod ego ipse sum, moriemini in peccatis vestris. » Quod

[1] Joan. VIII, 12 et seq. — [2] Ibid. 19. — [3] Ibid. 21 et 22.
[4] N. 6. p. 306.
[5] Joan. VIII, 24. — [6] Ibid. 21.

si quis non credit Jesum esse Christum, moritur in peccatis suis; scilicet qui non moritur in peccatis suis, is Christo credit. At vero qui moritur in peccatis suis, etiamsi dicat se Christo credere, quantum ad veritatem ipsi non credidit : nam etiamsi dicatur fides, sed sit sine operibus, hujusmodi fides mortua est, ut legimus in epistola quæ Jacobi nomine circumfertur [1]. Quis igitur putas est credens, nisi ille qui eo pervenit ut non cadat (quantum ad hæc verba pertinet) in ea peccata quæ sunt ad mortem [2], eo quod affectus sit secundum rationem, et coaluerit cum ea ? quantum vero ad illa verba : « Omnis qui credit Jesum esse » Christum, ex Deo natus est [3], » ut non peccet in ullo eorum quæ fiunt præter rectam rationem ? Insuper memoria repetens ea quæ est Primogenitus omnis creaturæ [4], considerabis quid sit : « Nisi credideritis quod ego sum, moriemini in peccatis vestris [5]. » Verbi gratia, qui credit quid sit justitia, injuriam non inferet; et qui crediderit in sapientiam, quod satis explorate perceperit cognoveritque eam, is nec fatuum aliquid loquetur nec faciet. Ad hæc qui crediderit λόγῳ [id est rationi, et Filio Dei], qui erat in principio apud Deum [6], dum illius cognitione fruitur, nihil a ratione alienum facturus est : sic qui credit quod ipse est pax nostra [7], haudquaquam quidpiam operabitur dissidii aut belli. Quinetiam, quandoquidem Christus est non solum Dei sapientia, verum etiam Dei potentia, qui credit illi, in quantum potentia Dei est, haudquaquam erit impotens ad præclara. Proinde necessario eum considerantes patientiam et fortitudinem, propter illud : « Et nunc quæ est patientia » mea ? Nonne Dominus [8] ? » et, « Fortitudo mea ; » et, « Sub» stantia mea Dominus [9], » dicemus quod si cedimus ad la-

[1] Jac. II, 20. — [2] Rom. VI, 16. — [3] I Joan. V, I. — [4] Coloss. I, 14. — [5] Joan. VIII, 24. — [6] Id. I, 2. — [7] Ephes. II, 14. — [8] Psalm. XXXVIII, 8. — [9] Psal. CXVII, 14.

bores, non credimus illi in quantum est patientia; et si infirmamur, non credimus ei in quantum est robur. Quod si collegeris cæteras Christi considerationes, non difficulter invenies ex his quæ diximus, quonam pacto qui non credit Christo moriatur in peccatis suis. Nam qui fuerit in his quæ contraria sunt considerationi earum rerum quæ est Christus, in suis peccatis moritur.

§ II.

De infernis et supernis.

« Et [1] dicebat illis : Vos ex infernis estis, ego e supernis » sum; vos ex hoc mundo estis, ego non sum ex hoc » mundo [2]. » In superioribus etiam dixit : « Qui est de terra, » de terra est, et de terra loquitur; qui e cœlo venit, supra » omnes est; et quod vidit et audivit, hoc testatur [3]. » Si igitur qui de terra est de terra loquitur, et qui e cœlo venit, quod vidit et audivit, hoc testatur, quæres utrum idem sit esse e terra et esse ex infernis, an diversum. Simul autem observabis quod illic non dixerit : Qui est e cœlo, e cœlo est, et e cœlo loquitur; nam fortassis Servator non erat e cœlo : non erat præsertim in quantum est primogenitus omnis creaturæ [4]. Quod enim attinet ad vocem *e cœlo,* secundus homo est e cœlo : quemadmodum alicubi Paulus dicit : « Primus homo e terra, terrenus; secundus ho» mo, e cœlo [5]. » Atque etiam hoc in loco notabis utrum tandem idem dicat dicendo : « Vos ex infernis estis, *et :* » Vos ex hoc mundo estis [6]; » an diversum sit esse e terra, ab eo quod est esse ex hoc mundo. Similiter etiam in his

[1] N. 5. p. 302.
[2] Joan. VIII, 23. — [3] Id. III, 31, 32. — [4] Coloss. I, 15. — [5] I Cor. XV, 47. — [6] Joan. VIII, 2[illegible].

verbis quæres : « Ego e supernis sum, *et :* Ego non sum ex » hoc mundo [1]. » Dignum est enim ut inspiciamus quid sit ex supernis esse, et quid sit non esse ex hoc mundo. Vide igitur annon qui assumpsit ortum a materia et corporibus, eo quod meliora reliquerit, sit e terra : qui quatenus est e terra, de terra loquitur, altius aliquid intueri vel dicere non valens : qui idem etiam ex infernis est ; nam alia est consideratio esse ex infernis, alia esse e terra : vox enim *inferne* consideratur in quodam veluti loco, itidem in dogmatibus, et in discursu mentis ; omnisque profecto talibus dogmatibus, et discursu mentis utens quæ sunt ex infernis, ex infernis est. Atque etiam hic mundus visibilis, materialis existens propter eos qui materiali vita egent, loca quidem habet diversa : quæ sane omnia comparatione rerum immaterialium, et invisibilium, et corpore carentium, inferna sunt; non tantum loco, quantum comparatione ad res invisibiles. Quantum autem in hoc mundo loca mundi inter se comparanda sunt, quædam fuerint loca inferne, quædam superne : terræ enim proxima inferne sunt, cœlestia vero superne : adeo ut hac ratione qui ex infernis sit, is etiam omnino sit ex hoc mundo; at vero qui ex hoc mundo sit, non omnino sit ex infernis. Vide enim an municeps corporum aliquo pacto sit ex hoc mundo, non tamen ex infernis localiter : verumtamen ipse etiam ex infernis est, comparatione rerum quæ mente percipiuntur : etenim omnis municeps eorum quæ videntur, quæque pertranseunt, et quæ sunt temporalia [2], ex infernis est, etiamsi comparatione locorum sit ex supernis : licetque profecto cuicumque qui ex infernis, et ex hoc mundo, et e terra fuerit, immutari et fieri e supernis, nec amplius ex hoc mundo esse : alii etiam licet, ex hoc sæculo cum sit, fieri e cœlo, dicente discipulis Servatore : « Ex mundo eratis, et ego vos e mundo elegi,

[1] Joan. VIII, 23. — [2] 2 Cor. IV, 18.

» nec amplius ex mundo estis [1] : » quandoquidem enim venit Servator quærere et servare quod perierat [2], venit eos translaturus ad superna, qui inferne erant, et adscripti cives inter eos qui inferne erant. Etenim ipse est qui descendit in inferiores partes terræ, propter eos qui erant in infimis partibus terræ [3]. Quinetiam ascendit super omnes cœlos, viam præparans volentibus, atque etiam his qui ipsius discipuli sincere fuerint, ad ea quæ sunt supra omnes cœlos, hoc est ad ea quæ sunt extra corpora. Quod si cupis a Scriptura discere quis sit ex infernis, itemque quis sit e supernis, audi : Quoniam ubi fuerit uniuscujusque thesaurus, illic erit et cor [4] : si quis thesauros recondiderit in terra, ex ipso quod recondit thesauros in terra, ex infernis efficitur; sin vero thesauros recondiderit in cœlis, nascitur e supernis, et assumit imaginem supercœlestis [5]; atque etiam alius cum penetrarit omnes cœlos [6], in fine invenietur beatissimo. Sint autem utriusque opera, qualia dixi : ita ut dicamus opera carnis facere eum qui ex infernis est, fructum vero spiritus facere eum qui est e supernis; atque rursus amorem erga hunc mundum facere hominem ex hoc mundo existentem : quoniam, secundum Joannem, qui habet amorem Dei, ille non est ex hoc mundo [7]; qui autem non diligit mundum, nec ea quidem quæ in mundo sunt diligit, sed dicit : « Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini *mei* Jesu » Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego » mundo [8], » et capit diligere Dominum Deum suum ex toto corde suo, et ex tota anima sua, et ex tota mente sua [9], eo quod non prematur talis amor ab amore mundi, et eorum quæ sunt in mundo. Fieri enim nequit ut simul existat amor erga mundum cum amore erga Deum; quem-

[1] Joan. xv, 19. — [2] Luc. xix, 10. — [3] Ephes. iv, 9, 10. — [4] Matth. vi, 21. — [5] 1 Corinth. xv, 49. — [6] Hebr. iv, 14. — [7] 1 Joan. ii, 15 et seq. — [8] Galat. vi, 14. — [9] Matth. xxii, 37.

admodum fieri nequit ut simul existant lux et tenebræ, Christus et Beliar : item fieri nequit ut idem templum sit templum Dei, et templum idolorum [1]. Jam quasi differant inter se loca quæ inferne sunt, superlative dicitur : « Posuerunt me in lacu infimo [2], » et illud : « Qui » descendit ad infimas partes terræ, hic est etiam qui as» cendit [3] : » quocirca coram Christo « procident omnes » descendentes [4] » ad inferiores partes terræ, nempe in infernum; quoniam verum est illud : « Non est in morte qui » memor sit tui; in inferno autem quis confitebitur tibi [5] ? ». Quod si contra quis objiciat ipsum etiam descendere ad inferiores partes terræ, observabis dictum esse de descendentibus in terram verbum *procident :* namque ex his qui coram Christo cadunt, quique genu flectunt in nomine Jesu, quidam antea, quidam post coram eo cadent : et fortassis qui sunt super terram ante cadent, et ante alios subjicientur; malorum namque est ultimo subjici; quam ob causam « ultimus *etiam* inimicus abolebitur mors [6]. » Postea quæres num quemadmodum locorum quæ sunt inferne, eo quod dicatur quid infimum, ita etiam eorum quæ sunt superne, sit differentia; idque præsertim, quoniam regni cœlorum hæreditas nobis obtingat : qui cœli omnes hæreditate nobis obtingentes cum sint superne, non æqualiter tamen inter se habent illud superne. Quinetiam si animæ propter malitiam et prava dogmata, intelligibilem notaveris descensum, et intelligibilem ipsius ascensum, non parvam invenies differentiam : latius enim considerabis intelligibiliter descendentes. Simul etiam vide annon sacratiori modo, et non localiter intelligas de anima Jesu illud : « Qui ascendit » super omnes cœlos [7] : » nam intelligibilis ascensus illius animæ ultra etiam omnes cœlos transiliit, jamque (ut ita

[1] 2 Cor. VI, 14, 15, 16. — [2] Psalm. LXXXVII, 7. — [3] Ephes. IV, 9, 10. — [4] Psal. XXI, 30. — [5] Psal. VI, 6. — [6] 1 Cor. XV, 26. — [7] Ephes. IV, 10.

dicam) ad ipsum pervenit Deum. Verumtamen præter hunc visibilem et sensibilem mundum constantem e cœlo et terra, vel e cœlis et terra, est etiam alius quidam mundus, in quo sunt quæ non videntur : et hoc totum est mundus inaspectabilis, mundus qui non videtur, mundus intelligibilis; cujus visione et pulchritudine fruentur qui puro sunt corde; quo, hujus mundi intelligibilis visione antea bene parati, penetrant, vel ad ipsum Deum videndum, quatenus videri natura potest Deus. Insuper etiam quæres an juxta aliquam significationem possit primogenitus omnis creaturæ[1] esse mundus, et præsertim in quantùm est sapientia multiformis[2]: eo enim quod sint in sapientia omnes rei cujuscumque rationes, juxta quas facta sunt omnia quæ facta fuere a Deo, ut inquit Propheta : « Omnia in sapien- » tia fecisti[3], » in ipso etiam mundus fuerit, tanto picturatior, ornatior, atque etiam præstantior mundo sensibili, quanto ratio mundi nuda ab omni materia præstat hoc mundo materiato, non propter materiam, sed participatione illius λόγου [id est illius Filii Dei, qui est vera ratio], et participatione sapientiæ, quæ mundum et ornamentum afferunt materiæ omnium quæ mundo insignita fuerint. Ac vide num possit anima esse Jesu, quæ dicit : « Ego non sum » ex hoc mundo[4], » conversans in illo toto mundo, omnemque eum perlustrans, manuque ducens ad eum eos qui didicissent nihil inferne habere mundum illum intelligibilem; quemadmodum neque iste, si quis accurate perpendat, quidquam superne habet. Alioquin quomodo mundus iste habere aliquid superne potest, cujus conditio est dejectio? neque enim oscitanter legendum est illud : « Ante dejec- » tionem mundi[5], » cum sancti convenienter et studiose nomen hoc τῆς καταβολῆς [hoc est dejectionis] propter talem

[1] Coloss. I, 15. — [2] Ephes. III, 10. — [3] Psal. CIII, 24. — [4] Joan. VIII, 23. — [5] Id. XVII, 24. Ephes. I, 4. I Petr. I, 20.

intelligentiam finxerint. Alioquin dicere poterant πρὸκτίσεως [hoc est, ante conditionem] mundi, nec uti dejectionis vocabulo. Totus itaque mundus, et quæ in ipso sunt, in dejectione sunt; at vero extra dejectionem totius mundi existunt germani Jesu discipuli, quos e mundo elegerat, ut non amplius essent e mundo [1], tollentes crucem suam, et sequentes eum [2].

[1] Joan. xv, 19. — [2] Marc. viii, 34.

TOMUS VIGESIMUS[1].

§ UNICA.

De allocutione Christi cum Judæis.

« Novi[2] quod Abrahæ semen estis, sed quæritis me in» terficere, quoniam sermo meus locum non habet in vo» bis[3]. » Hic contextus : « Novi quod Abrahæ semen estis, » videtur non considerantibus quid significet vox *semen*, et quid significet vox *filius*, pugnare cum illo contextu qui mox inferendus est, quique ad eosdem dicitur, nempe : « Si » filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite[4]. » Ut ergo hæc considerentur, videamus in primis corporaliter filii et seminis differentiam. Ac certe perspicuum est quod semen illius cujus est semen, rationes in seipso contineat adhuc pausantes et reconditas; filium vero exoriri et subsistere mutato semine, et operante in materiam sibi appositam a muliere, et ex nutrimentis collectis formatum, et ad ortum diligenter præparatum. Quod si aliquid alicujus est proprie filius, quod ad corporalia attinet, ex semine ortum est; cum tamen si aliquid est semen, non continuo sit filius....

Ei ergo[5] qui fuerit Abrahæ semen, licet etiam fieri, si diligentiam adhibeat, ejus filius : quemadmodum factu facillimum est, ut nulla diligentia nullaque cultura adhibita, hoc etiam perdat, quod semen Abrahæ erat. Porro hi ad

[1] Tom. IV, p. 307 et seqq. — [2] N. 2. p. 308.
[3] Joan. VIII, 37. — [4] Ibid. 39.
[5] N. 5. p. 313.

quos erat sermo, nondum erant deploratæ spei, sciente Jesu eos etiamnum Abrahæ semen esse, ac vidente eos nondum amisisse facultatem eam qua fieri poterant Abrahæ filii : tanquam enim facile factu esset ut, præterquam quod semen essent Abrahæ, etiam filii efficerentur, inquit ad eos : « Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite. » ....

Videntur[1] autem hi ad quos est sermo non capere sermonem, qui præ præstantia magnitudinis suæ quæ supra ipsos erat, non habebat locum in eis ; quandoquidem semen Abrahæ adhuc tantum erant. Quod si Abrahæ semen cum essent, addidissent illud Abrahæ semen excolere, ut magnum fieret et augeretur, accrevisset illud certe ad incrementum magnitudinemque seminis Abrahæ, atque percepissent Jesu sermonem. Et hactenus quidem dices Sermonem non cadere in eos qui non eo usque profecerunt ut, semen Abrahæ cum essent, fierent etiam ejus filii. Hi etiam interficere volunt Sermonem, velutique ipsum conterere, magnitudinem non capientes ejus. Proinde aliquos semper est cernere non capientes Sermonem, quod breviora sint eorum vasa, volentes interficere unitatem Sermonis : quasi, cum ipsum interfecerint, capere possint contritionem ejus, et dividere eum in his in quibus fuerit. Hic sane Sermo veluti ad suos interfectores inquit : « Disperserunt omnia » ossa mea[2]. » Itaque si ex nobis aliquis semen est Abrahæ, et adhuc in se locum non habet Sermo Dei, ne quæso quærat interficere Sermonem, sed ex semine Abrahæ immutatus in filium Abrahæ, Sermonem Dei hactenus non perceptum capere poterit.

« Ego quæ vidi apud Patrem loquor, et vos ergo quæ » audivistis a Patre facite[3]. » Ut homines quosdam dicimus ab initio ipsosmet filii Dei spectatores fuisse, de quibus Lu-

[1] N. 6, 7. p. 314-316.
[2] Psal. XXI, 15. — [3] Joan. VIII, 38.

cas inquit : « Sicuti tradiderunt nobis hi qui ab initio ipsi» met spectatores ac ministri fuere Sermonis [1]; » sic Servatorem etiam dicemus ipsummet spectatorem esse eorum quæ sunt apud Patrem; et hanc etiam ob causam dictum illud fuisse : « Nemo agnovit Patrem, nisi Filius [2] : » cum homines, quibus Filius revelat, non sint autoptæ, hoc est per se spectatores. Ac etiam præsens contextus : « Ego quæ vidi » apud Patrem loquor [3], » palam declarat Servatorem autoptam esse eorum quæ sunt in Patre. Sed quæres num aliquando futurum sit ut Angeli ipsi visuri sint quæ sunt apud Patrem, nullo mediatore ac ministro intercedente videntes ea : nam quando viso quis Filio viderit Patrem, qui misit illum, per Filium videt Patrem : cum vero Patrem et ea quæ apud Patrem sunt videt quis, perinde atque Filius; is, quasi non aliter ac Filius, autoptes ac per se spectator Patris et eorum quæ Patris sunt erit; non amplius per Filium, qui est imago Patris, considerans res Patris. Et sane reor hoc esse finem, cum tradiderit regnum Deo Patri, et quando Deus erit omnia in omnibus [4]. Itaque Servator, quæ vidit apud Patrem loquitur; Judæi vero, qui crediderunt ei, non viderunt apud Patrem, sed audierunt a Patre, ut quæ audierint faciant : hanc ob causam inquit ad eos Dominus : « Et vos igitur, quæ audivistis a Patre facite [5]. » Sed quærat aliquis, quando Judæi, qui Domino crediderant, a Patre audierint : ad quod qui simpliciter intellexerit hæc verba : « Quæ vos audivistis a Patre facite, » dicet eos audivisse a Patre, eo quod Pater per Mosen et Prophetas sanxerit quæ in Lege et Prophetis scripta sunt facienda : quo testimonio quisquis contra eos qui ab Ecclesiæ decretis dissident usus fuerit, is docebit non alium esse Deum, qui hanc dederit Legem et Prophetas, quam Christi Patrem.

[1] Luc. I, 2. — [2] Idem, X, 22. — [3] Joan. VIII, 38. — [4] I Cor. XV, 24, 28. — [5] Joan. VIII, 38.

At vero alius his etiam verbis utens : « Omnis qui audivit a » Patre, et didicit, venit ad me[1]; » non quod Patrem quis viderit, nisi qui est apud Patrem, hic videt Patrem, dicturus est ex animabus quæ corpora induant, quasdam esse quæ antequam oriantur edoctæ fuerint apud Patrem, atque ab eo audierint, quæ etiam veniant ad Servatorem, atque ex earum numero fuisse hos Judæos quos, sibi eum credidissent, interrogat alloquiturque Dominus dicens : « Vos » igitur, quæ audivistis a Patre facite[2]. » Dicet etiam hos esse qui vocentur semen Abrahæ. Rursum huic alius contradicet dicens hæc quidem verba : « Omnis qui audivit a » Patre, et didicit, venit ad me[3], » ostendere quod qui a Patre audierit, et ab ipso didicerit, veniat omnino ad Servatorem; illa vero : « Et vos igitur, quæ audivistis a Patre fa» cite[4], » dicta ad Judæos quærentes interficere Filium Dei (quibus etiam, tanquam qui non essent filii Abrahæ, dicitur : « Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite[5] »), docere hos nondum habere fructus veniendi ad Servatorem. At vero ad hunc sic contradicentem respondebit alius, non idem esse : « Omnis qui audivit a Patre, et didicit[6], » cum his verbis : « Et vos igitur, quæ audivistis a Patre[7] : » illum namque, præterquam quod a Patre audierit et didicerit, etiam venire ad Servatorem; hos vero qui audierint quidem, sed non omnino didicerint etiam, nondum esse Abrahæ filios.

« Responderunt[8], et dixerunt ei : Pater noster Abraham » est[9]. » Videntur hi abjectius longe respondere, quam dixerit Dominus, declarantes quis ipsorum esset pater : siquidem Jesus ad Deum referens dixerat : « Et vos igitur, quæ » audivistis a Patre facite[10] : » hi vero abjectius patrem gen-

[1] Joan. VI, 45. — [2] Id. VIII, 38. — [3] Id. VI, 45. — [4] Idem, VIII, 38. — [5] Ibid. 39. — [6] Id. VI, 49. — [7] Id. VIII, 38.

[8] N. 9. p. 317.

[9] Joan. VIII, 39. — [10] Ibid. 38.

tium[1] patrem suum fatentur, dicentes : « Pater noster Abra-
» ham est[2]. » Quod si quis eos defendens, tanquam qui bene responderint, dicet, Jesu dicente : « Quæ audivistis a Pa» tre facite[3], » et voculam *Patris* referente ad Deum, eos dicere : « Pater noster Abraham est[4], » ceu modestos, et nolentes sibi tribuere quod filii Dei essent; perspicuum est hoc etiam a Servatore corrigi, ceu falso dictum, his verbis : « Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite[5]. » ....

« Dicit[6] illis Jesus : Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ » facite[7]. » Respondeant qui ex his quæ gessit Abraham elegerunt unum quoddam opus, nempe : « Credidit autem » Abraham Deo, et imputatum est illi ad justitiam[8], » et hoc existimant esse ad quod referantur hæc verba : « Opera » Abrahæ facite, » ut etiam concedatur illis fidem esse opus, quod minime concederent qui auctoritatem illam admittunt : « Fides sine operibus mortua est[9], » neque hi qui intelligunt melius esse justificari ex fide quam ex operibus legis[10]; et dicant quare non dictum sit singulariter : « Si fi» lii Abrahæ estis, opus Abrahæ facite[11], » sed numero plurium, « Opera Abrahæ facite : » quod meo judicio perinde valet ac si dictum fuisset : Omnia « opera Abrahæ facite. » Sin vero idem est ac si diceremus : Omnia « opera Abrahæ » facite, » et neque corporaliter adhærere ancillæ debet is qui uxorem habet, neque defunctæ conjugi aliam in senectute conjugem superinducere is qui, juxta Servatoris interpretationem, voluerit Abrahæ filius declarari ex eo quod Abrahæ opera fecerit; palam hinc discimus necesse nobis esse ut, allegorice intelligentes omnem Abrahæ historiam,

[1] Gen. XVII, 4, 5. — [2] Joan. VIII, 39. — [3] Ibidem, 38. — [4] Ibid., 39. — [5] Ibid.

[6] N. 10-11. p. 318-321.

[7] Joan. VIII, 39. — [8] Gen. XV, 16. Rom. IV, 3. Jac. II, 23. — [9] Ibid. II, 20. — [10] Rom. III, 28. — [11] Joan. VIII, 39.

singula quæ ipse corporaliter fecit, spiritualiter a nobis fiant; incipientes ab eo dicto : « Egredere de terra tua, et de » cognatione tua, et de domo patris tui, et veni in terram » quam monstravero tibi [1] : » id quod sane dictum est non soli Abrahæ, verum etiam cuicumque qui ipsius filius sit futurus. Est enim quædam uniuscujusque nostrum terra, atque quædam ante divinum responsum non bona cognatio; et postremo quædam domus patris nostri, antequam perveniat sermo Dei ad nos : quæ omnia nobis propter sermonem Dei damnanda sunt et omittenda, si Servatorem audimus dicentem : « Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ » facite [2] : » sic enim perveniemus, quia reliquerimus terram nostram, ad eam terram quam nobis ostendet Dominus, nempe ad terram vere bonam, vereque multam, quam a Domino Deo dari par est his qui quod jubet in illo dicto : « Egredere de terra tua, » peregerint. Quinetiam tanquam qui reliquerimus cognationem non bonam, erimus in gentem magnam, eamque majorem; quam hominum [3] tanquamque qui despexerimus domum patris illaudabilem, benedicemur, magnificato nomine nostro, et ad tantam benedictionem pervenientes, ut vel nobis quoque benedicentes a Domino benedicantur, nobisque maledicentes diris devoveantur, atque etiam omnes familiæ terræ in nobis benedicantur : quando etiam de nobis sermo ille dicetur : « Egres- » sus est, « ut dictum est de Abraham : » Et egressus est » Abraham, quemadmodum locutus ei fuerat Dominus [4]. » Existimo autem futurum ut in principio et aliquandiu Loth nos sequatur, cujus nota illud fuid : « Et ambulavit cum eo » Loth [5]; » et redeuntes in Chanaan pertransibimus regionem, usque ad locum Sichem : sic ascensione cogitationis

[1] Gen. XII, 1. — [2] Joan. VIII, 39. — [3] Gen. XII, 2, 3. — [4] Ibidem, 4. — [5] Ibid. et seq.

proficientes, donec perveniamus ad quercum altam. Videbitur etiam nobis Dominus Deus, qui visus est Abrahæ, ac promittet circa quercum altam semini intelligibili animæ nostræ dare terram. Porro ad eum qui hæc verba consideraverit : « Opera Abrahæ facite [1], » pertinet quoque aram ædificare Domino [2]; Domino, inquam, qui nobis quoque apparet, ubi est quercus alta; posteaque recedere a loco altæ quercus, quasi ad montem, et a monte ad orientem Bethel (quod si interpreteris, est Domus Dei), ubi figet tentorium suum : Bethel quidem tanquam ad mare, Angæ vero tanquam ad orientem (si interpreteris enim Angæ, sonat Festivitates) : atque is profecto ceu proficiens post hæc rursum Domino ædificabit aram; jam etiam invocare valens in nomine Domini, per ordinemque inde solvens, qui futurus est filius Abrahæ, factus aliquo modo ducendi exercitus peritior, intelligensque ad quot bella seipsum præparare oporteat, castrametabitur in solitudine; postea cum famem ortam in terra sentiet, in Ægyptum descendet, illic habitaturus, ne adversum quoque se prævaleat fames, quæ super terram prævaluerit; descendetque in Ægyptum cum conjuge sua eleganti forma, pactis quibusdam cum ipsa constitutis, quo se mansuete Ægyptii illius causa utantur, sintque illi in Ægypto oves, et vituli, et asini, et servi, et ancillæ, et muli, et cameli, de quibus singulis, alicujus sapientis et qui profunda Scripturæ docte penetrare possit, officium erit dicere : et certe generatim omnem Abrahæ historiam explorantes, et quæcumque de ipso sunt scripta, quæ unum dicunt et aliud innuunt, spirituales spiritualiter omnia facere conabimur. Vide vero annon aperte ex his quæ in hoc loco indagavimus, constet sapientis cujusdam esse, et omni virtute ornati, fieri Abrahæ filius. Quid enim opus est dicere quanta opus sit sapientia ut Abrahæ opera

[1] Joan. VIII, 39. — [2] Gen. XII, 7 et seq.

consideremus, quantaque opus sit potentia ut ea faciamus? Sed quali sapientia qualique potentia egemus, nisi Christi, qui est Dei potentia et Dei sapientia [1]? Cum ergo scriptum sit : « Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite [2], » consequenter huic dixeris : Si filii Isaac estis, facite opera Isaac : similiterque de Jacob et de singulis sanctis patribus. Contra singuli peccantes generatim quidem filii sunt diaboli, quoniam « Qui facit peccatum, ex diabolo natus est [3]; » privatе vero vel Caïn, vel Cham, vel Chanaan, vel Pharaonis, vel Nabuchodonosor, vel alicujus impiorum. Consequenter etiam his dices, unumquemque ex hac vita migrantem proficisci ad suos patres : omnibus enim hominibus decedentibus e vita, non soli Abrahamo dici censendum est : « Tu autem ad patres tuos ibis [4], » etiamsi non omnibus hominibus addatur illud, *cum pace*. At vero perfectis, hisque qui spiritualiter longævi fuerint, illud etiam additur : « In senectute bona [5] : » quandoquidem « Canities hominibus est prudentia, *et* Corona gloriationis est senectus [6]; » et gloria veris ac divinis senibus canities illæ sunt, quæ mente cernuntur, ipsos ornantes.

« Nunc autem quæritis me interficere, hominem, qui veritatem locutus sum vobis, quam audivi a Deo [7]. » Jesum qui quærunt interficere, quoniam Deus non interficitur, etiamsi interficient, hominem interficient. Quod si quærunt interficere, et nondum interficiant, insidias illi veluti homini struunt, non Deum esse existimantes cui struuntur insidiæ. Nam nullus existimans Deum esse cui struuntur insidiæ, insidias illi strueret. Cernere vero licet quosdam aliquo modo semper Sermoni struentes insidias, quoniam interficere quærunt eum et delere : tanquam hominem ipsum (hoc est humanum et mortalem) esse existimantes;

[1] 1 Cor. I, 24. — [2] Joan. VIII, 39. — [3] 1 Joan. III, 8. — [4] Gen. XV, 15. — [5] Sap. IV, 9. — [6] Prov. XVI, 31. — [7] Joan. VIII, 40.

qui vel humaniorem ipsius partem, et quod videtur, invadunt : sed ut corpus etiam Sermonis interficiant, perspicuum est eos post hæc amplius aliquid facere non posse. Quamobrem non est nobis timendum ab his qui occidunt corpus [1], nihil reliqui postea quod faciant habentes : neque timendum est ab his qui occidunt corpus, animam vero Sermonis interficere non valent : sed si quispiam est ejusmodi sermo, cujus corpus et anima perdi possint, quia sint perditione digna, timendus est Dei Sermo, qui potest et corpus et animam perdere et delere, sive in gehenna, sive quo ei lubitum fuerit; Dominus enim Jesus conficiet spiritu oris sui, et abolebit claritate adventus sui sermonem hunc sibi adversarium, et efferentem se adversum omnem qui dicitur Deus aut numen [2]. Et sane hi ad quos est sermo quærunt interficere hominem qui veritatem locutus est, quam audivit et accepit a Deo [3]. Etiamsi simpliciter locum hunc interpretemur, aperte Servator docuit quod is quem quærebant Judæi, ut morti traderent, Deus non erat, sed homo, qui etiam interfectus est. Nam Deum dicere mori, nefas est : et hanc ob causam Verbum illud, quod erat in principio apud Deum, quod etiam Deus Verbum erat [4], non mortuum fuit......

« Hoc [5] Abraham non fecit [6]. » Quod nullo modo Abrahæ facile factu erat, si non fecit Abraham, idque postea contigit, destruere atque abrogare videtur hunc contextum : « Hoc Abraham non fecit : » quibusdam ad hoc dicturis, frustra dici : « Hoc Abraham non fecit, » si id nullo modo fieri poterat ætate Abrahæ : non enim natus erat Abrahæ tempore Jesus. Sed dicerem ego (quoniam veluti in laudem dici Abrahæ opinor hæc verba : « Hoc Abraham non fecit »);

[1] Matth. x, 28. — [2] 2 Thess. II, 8, 4. — [3] Joan. VIII, 40. — [4] Id. I, 1, 2.
[5] N. 12-17. p. 321-331.
[6] Joan. VIII, 40.

juxta doctrinam Servatoris docentis, ac dicentis : « Abraham » pater vester exultavit ut videret diem meum, et vidit, et » gavisus est [1], » fuisse etiam Abrahæ tempore hominem qui veritatem, quam a Deo audisset, loqueretur; quem tamen Abraham interficiendum non curarit. Et observa quod homo, qui tropice intelligitur in Jesu, nunquam non advenerit in hanc vitam, et post tempora historiæ sui ipsius, et antea. Hanc ob causam fieri non posse existimo ut omnis « qui semel illuminatus fuerit, quique donum cœleste gus» taverit, et particeps factus fuerit Spiritus sancti, gusta» veritque bonum Dei verbum ac virtutes futuri sæculi, et » exciderit, denuo reponatur per pœnitentiam, ab integro » crucifigens sibimetipsi Filium Dei, et infamans, *vel,* ante » crucifigens, *vel,* denuo crucifigens Filium Dei, infamans» que [2], » sive antequam corporalis Servatoris nostri adventus historiis mandaretur, sive post. Non enim qui nunc post illuminationem cæteraque Dei in se beneficia peccat, Filium Dei denuo crucifigit propter peccata ad quæ recurrit, nihil perficiens illius actionis quæ communius dicitur corporalis, ad crucifigendum Filium Dei : non idem autem etiam antea fieret; et qui peccat postquam audierit divina verba, antea crucifixerat Filium Dei. Quod si cui placet admittere quod in Actis Pauli scriptum est, tanquam a Servatore dictum : « Denuo debeo crucifigi, » is quemadmodum post adventum admittit illud, « Denuo debeo crucifigi, » sic et ante adventum admittet locum habuisse, quando eadem causa est dicendi : « Jam debeo crucifigi. » Cur enim non etiam antea crucifixus est, ut crucifigendus est denuo? Vide vero annon tantum sanctorum, qui post Christi adventum fuere, sit vox illa : « Cum Christo crucifixus sum [3], » sed æque ad priores etiam pertineat, ne differre dicamus sanctos qui post Christi adventum fuere, a Mose, et Prophetis, et Pa-

[1] Joan. VIII, 56. — [2] Hebr. VI, 4 et seq. — [3] Galat. II, 19.

triarchis; vox illa quoque : « Vivo ego, non amplius ego, sed » vivit in me Christus[1], » æque etiam dicatur non solum de sanctis qui post Christi adventum fuere, verumetiam de his qui antea. Observo etiam et hoc dictum Servatoris : « Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob ; Deus autem » non est mortuorum, sed viventium[2], » num forte Abraham, Isaac, et Jacob, propter hoc sint viventes quoniam et ipsi cum Christo consepulti resurrexerunt ; non omnino tamen corporalis sepulturæ Jesu, vel corporalis resurrectionis ejus instar. Hæc hactenus de eo quod est : « Hoc Abraham non » fecit[3]. » Quid autem hoc est aliud, nisi quærere interficere hominem qui veritatem locutus fuerit, quam a Deo audierit ? Tradimus enim et docemus nunquam defuisse sanctis spiritualem Jesu adventum, atque dispensationem. Quod si hæc (perinde atque in aliis consideravimus) ad sensum anagogicum reduxeris, alius hæc omnia hujus loci similiter explanare tentabit, ad mysticum Abraham ea referens (omissa vulgari explanandi consuetudine), quærens horum singulorum consequentiam.

« Vos facitis opera patris vestri[4]. » Quod ad dictum hoc attinet, clarum non est quem patrem Judæorum, qui sibi crediderant, quique nondum agnoverant veritatem, velit dicere : ad hos enim hæc omnia loquitur, et nisi post pauca intulisset : « Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris » vestri vultis facere[5], » ne nunc quidem agnosceremus (saltem aperte) consilium loquentis. Nec mirum profecto, si ad eos Judæos qui ei crediderant, nec tamen tantum temporis in sermone ejus permanserant, ut vere ipsius facti discipuli agnoscerent veritatem, ut ab ea liberarentur, dixerit : « Vos facitis opera patris vestri[6] ; » et illud etiam quod in sequentibus subjungitur : « Vos ex patre diabolo estis[7]. »

[1] Galat. II, 20. — [2] Matth. XXII, 32. — [3] Joan. VIII, 40. — [4] Ibid. 41. — [5] Ibid. 44. — [6] Ibid. 41. — [7] Ibid. 44.

Quamvis enim inhumanum hoc dictum videatur ad eos qui ei crediderant, quique aliquo modo ab eo edocti fuerant, non tamen eousque ut vere discipuli Christi dicerentur, attamen necesse est consideremus illud a Joanne in Catholica Epistola dictum de filiis Dei, deque filiis diaboli : « Qui » committit *enim, inquit,* peccatum, ex diabolo est, quo- » niam ab initio diabolus peccat. Ad hoc apparuit Filius » Dei, ut dissolvat opera diaboli. Omnis qui natus est ex » Deo, peccatum non committit, quoniam semen ipsius in » eo manet, et non potest peccare, eo quod ex Deo natus » est. In hoc manifesti sunt filii Dei, et filii diaboli : omnis » qui non facit justitiam, non est ex Deo, et qui non diligit » fratrem suum [1]. » Quibus verbis sic habentibus, considera annon aperte dictum sit : « Omnis qui committit peccatum, » ex diabolo est. » Proinde in quantum peccatum committimus, nondum exuimus ortum ex diabolo, etiamsi credere in Jesum existimemur; et consequens est hoc dici a Jesu Judæis qui ei crediderant : « Vos facitis opera patris ves- » tri [2], » relationem habente voce *patris* ad diabolum, propter illud : « Vos ex patre diabolo estis [3]. » Quod si omnis qui committit peccatum, est ex diabolo; omnis qui non est ex diabolo, non committit peccatum. Quinetiam si ad hoc apparuit Filius Dei, ut solvat opera diaboli, quia huic non exhibuerimus nos ipsos solventi opera diaboli, nondum deposuimus esse filii diaboli; quia ab operibus agnoscimur cujus filii simus : ex quibus etiam perspicuum est, non propter opificium aliquem diaboli filium esse, neque quia sic creatus fuerit, filius quispiam in hominibus dici Dei; imo manifestum est quod qui aliquando fuerit diaboli filius, effici possit filius Dei. Id quod etiam Matthæus hunc in modum manifestat Servatorem dixisse, scribens : « Audistis dictum » esse : Diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum

[1] 1 Joan. III, 8, 9, 10. — [2] Idem, VIII, 41. — [3] Ibid. 44.

» tuum. At ego dico vobis: Diligite inimicos vestros, et orate » pro persequentibus vos, ut sitis filii Patris vestri, qui in » cœlis est[1]. » Orate enim, quia orantes pro persequentibus vos, et inimicos vestros amore prosequentes, filii efficiemini Patris cœlestis, si quis antea ex vobis non fuerit illius filius. Quoniam autem manifesti sunt filii Dei, et filii diaboli, propter id quod superius dictum est de diaboli filiis, nempe: « Qui committit peccatum, ex diabolo est[2]; » de filiis vero Dei : « Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non » committit, quoniam semen ipsius in eo manet, et non po- » test peccare, eo quod ex Deo natus est: » perspicuum est hominem omnem qui compleverit rationem, vel filium Dei vel filium diaboli esse. Aut enim committit peccatum, aut non committit : cum nihil sit inter committere peccatum et non committere peccatum, et si quidem peccatum committit, diaboli est; sin vero peccatum non committit, ex Deo natus est. Conjuncta sunt autem enuntiationi horum de filiis Dei et filiis diaboli, quæ in Epistola ipsa dicuntur de his qui sunt in Filio Dei, deque his qui non viderunt eum : « Omnis » *enim* (*inquit*) qui in eo manet, non peccat; et omnis qui » peccat, non vidit ipsum[3]. » Igitur si omnis qui in illo manet non peccat, qui peccat non manet in Filio; et si omnis qui peccat non vidit ipsum, qui vidit ipsum non peccat. Pariter hoc etiam notabis, quid sibi velit Joannes dicens : « Omnis qui peccat non vidit ipsum, » quasi his verbis, *vidit ipsum,* innuens semper aliquos esse posse qui videant Filium Dei, quique ex ipsius visione participent potentiam nunquam peccandi. Præterea dices hæc verba : « Vos facitis opera patris vestri[4], » aliquando quidem dici ad filios diaboli, aliquando vero ad filios Dei : qui peccata namque committunt, opera patris sui diaboli committunt; at vero qui præclare se gerunt, opera faciunt Patris sui

[1] Matth. v, 43 et seq. — [2] 1 Joan. III, 8, 9, 10. — [3] Ib. 6. — [4] Id. VIII, 41.

Dei. Sed probabile est futurum ut aliquis ex his moveatur, cogitans an faciendo bona et mala seorsum, idem propter bona filius Dei, et propter mala filius diaboli esse possit. Sed hoc præterquam quod absurdissimum est, non innuitur ex dictis. Enuntiat namque Joannes quod unusquisque qui ex Deo natus est peccatum non faciat, quod semen illius in seipso habeat, nec posse hunc peccare, eo quod ex Deo natus sit : « Omnis *igitur* qui ex Deo natus est, pecca» tum non committit[1] : » nec tamen scriptum est quod omnis natus ex diabolo justitiam non committit, sed : « Qui » committit peccatum, ex diabolo est[2]. » Rursus non quemadmodum dictum est : « Qui committit peccatum, ex dia» bolo est, » ita scriptum est : Qui committit justitiam, ex Deo est. Et adhibe animum ad differentias propositionum, quonam pacto cum omni diligentia a Joanne dictæ fuerint : adeo ut miretur aliquis, quomodo irreprehensibiliter et, ut quidam dicerent, dialectice, illis usus fuerit, similia non afferens de his qui sunt ex diabolo, deque his qui sunt ex Deo : similiter vero extulisset, si scripsisset, quemadmodum : « Qui peccatum committit, ex diabolo est, » ita : Qui justitiam committit, ex Deo est ; vel si quemadmodum scripserat : « Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non commit» tit, » scripsisset : Omnis qui natus est ex diabolo, justitiam non committit. Annon etiam sapientissime admodum posuit verbum *est* et vocabulum *genitus :* verbum *est,* dictum de eo qui ex diabolo est, non ponens de his qui ex Deo sunt ; et vocabulum *genitus,* scriptum de his qui sunt ex Deo, non ponens de his qui sunt ex diabolo ? Extulit enim eum qui ex Deo est, vocabulum *genitus* ponens de eo ; quod si etiam de diabolo posuisset, pejus quiddam ostensurus erat quam si dixisset : « Est ex diabolo : » atque etiamsi posuisset verbum *est* de eo qui est ex Deo, quemadmodum

[1] I Joan. III, 9. — [2] Ibid. 8.

posuit de eo qui ex diabolo est, minus ostensurus fuerat de eo qui ex Deo natus est, cum longe melius sit genitum fuisse ex Deo quam ex Deo esse. Sed dicet aliquis quasdam creaturas esse ex Deo, quæ omnino genitæ non sint ex Deo, hasque omnino inferiores esse omnibus quæ a Deo dicantur genita esse. Ac certe cum perveneris ad differentiam illam quæ est inter esse ex diabolo, et inter genitum esse ex Deo, quæres num forte aliquis sit qui etiam ex diabolo sit natus; cum omnino qui sit ex diabolo, non continuo etiam natus sit ex diabolo : et rursum num sit aliquis ex Deo, qui non etiam omnino ex Deo sit natus; cum si sit aliquis ex Deo, non omnino sit etiam natus ex Deo. Proinde formatur, delineaturque qui natus est ex Deo, si peccatum non committat, eo quod semen Dei in ipso maneat, et a potentia Dei in se existente ingenita vim habeat in posterum non peccandi. Dicitur etiam in extremo hujus Epistolæ : « Omnis qui natus est ex Deo, non peccat : sed qui genitus est ex Deo servat seipsum, et Malus non tangit eum[1]. » [Quod si is qui ex Deo natus est seipsum tuetur et servat, nec Improbus, id est diabolus, ipsum attingit], qui seipsum non servat, ne Malo illo tangatur, non genitus est ex Deo; et omnis quem tangit Malus ille, non genitus est ex Deo : tangit autem Malus ille eos qui seipsos non servant. Quoniam vero iis quæ de Abraham dicta sunt, nullo facto intervallo, hoc infertur : « Vos facitis opera patris vestri[2], » quærebamus num forte propter primum Abrahæ datum mandatum hoc scriptum sit. Primum namque divinum mandatum ad eum sic habet : « Egredere de terra tua, et de » cognatione tua, et de domo patris tui, et vade ad terram » quam ostendam tibi[3]. » Exivit ergo Abraham de domo patris sui, quod non fecisse convincuntur hi qui reprehenduntur eo quod non bene dixerint : « Pater noster Abra-

[1] 1 Joan. v, 18. — [2] Joan. VIII, 41. — [3] Gen. XII, 1.

» ham est[1]; » nam si filii Abrahæ faciunt opera Abrahæ, et si primum opus est exire de terra sua, et de domo patris sui, et proficisci ad eam terram quam illi ostendit Deus, et hanc ob causam hi ad quos est sermo reprehenduntur tanquam qui non sint filii Abrahæ, liquet eos idcirco reprehendi quia non exierint e domo patris sui, tanquam adhuc ad Malum patrem (diabolum) pertinentes, atque adhuc patris illius opera facientes. His a nobis hunc in contextum dictis, palam opinor eos convictos qui hinc ostendi existimant filios diaboli ex creatione esse.

« Dixerunt ergo illi : Nos ex stupro non sumus nati; unum » patrem habemus Deum[2]. » Quæro num forte Judæi illi qui dicuntur Domino credidisse, redarguti quod non sint filii Abraham, acerbius non respondeant illi, tecte innuentes Servatorem ex stupro natum fuisse : hoc suspicantes, ut probabile est, quod admissus non fuerit celebris atque divulgatus illius ortus ex virgine. Admodum enim præter rationem atque præter rem de qua agitur, videntur mihi hæc verba ipsi effutisse; cum neque ad superiora, neque consequenter posterioribus dictum fuisse possit, ac ne simpliciter quidem intelligi illud : « Nos ex stupro non sumus » nati, » quod ipsi dixerunt. Quinetiam quoniam patrem suum dicebat Deum Servator, neminem hominem patrem sui ipsius confitens, probabile est ipsos illi dicto : « Nos ex » stupro non sumus nati, » subjungere rursum infensos illud : « Unum patrem habemus Deum : » tanquam si dicerent : Nos, potius quam tu, habemus unum patrem Deum, qui te ortum dicis ex virgine, cum natus sis ex fornicatione; qui etiam dicis te unum solum patrem habere Deum, quia jactes te natum ex virgine; fatentibus alioqui nobis Deum patrem, non tamen negantibus hominem etiam nos habere patrem. Sed dicet aliquis hæc sic intellecta non posse esse

[1] Joan VIII, 39. — [2] Ibid. 41.

verba eorum Judæorum qui illi crediderant. Ad quod dicendum est quod cum principio dictum fuisset illis illud : « Si » vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis, » et agnoscetis veritatem [1], » perinde ac possent manere in sermone Jesu, et non manere, non difficillimum factu esse quosdam redargutos non mansisse in sermone ipsius; cumque non mansissent, acerbius et repugnanter illud dixisse : « Nos ex stupro non sumus nati; unum patrem habemus » Deum [2]. » Videntur autem mihi contentiosius quoque respondisse : cum enim antea dixissent : « Semen Abrahæ su» mus [3], » et quasi hoc manifestius confessi fuissent per illud : « Pater noster Abraham est [4], » cum ad illud responderi audivissent : « Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite, » majorem Abrahamo suum ipsorum patrem fatentur dicentes : « Unum patrem habemus Deum [5]. » Ac fortassis eo quod aliqui homines sint ex diabolo, alii vero orti ex Deo, omnes recte diceremus qui geniti ex Deo non essent, ex stupro ortos fuisse. Non enim ex sponsa, sed ex meretrice materia gignit vel creat diabolus eos qui ab ipso sunt; qui etiam immodice affecti, et affixi rebus corporalibus agglutinantur meretrici materiæ, facti cum ipsa unum corpus : cum hi qui ex Deo fuerint geniti, a meretrice materia recedant, atque etiam agglutinentur Domino, uniti Sermoni illi qui in principio erat apud Deum [6], et Sapientiæ ipsius, quam creavit principium viarum suarum ad opera sua [7]; ut sint cum ipsa unus spiritus : « Qui *enim* agglutinatur meretrici, » unum est corpus : qui vero agglutinatur Domino, unus » spiritus est [8]. »

« Dixit illis Jesus : Si Deus pater vester esset, diligeretis » utique me : ego enim ex Deo exivi, et venio [9]. » Quoniam

[1] Joan. VIII, 31, 32. — [2] Ibid. 41. — [3] Ibid. 33. — [4] Ibid. 39. — [5] Ibid. 41. — [6] Idem, I, 2. — [7] Prov. VIII, 22. — [8] I Cor. VI, 16, 17. — [9] Joan. VIII, 42.

qui naturas introducunt, utuntur hoc textu, enarrantes ipsum, [ac si dixisset Jesus :] Tanquam agnatum vobis ac fratrem agnovissetis me, atque veluti proprium dilexissetis me, si Deus pater vester esset; movenda sunt contra ipsos dubia hunc in modum : Erat quando Paulus oderat Jesum, cumque oderat cum depopularetur et persequeretur Ecclesiam Dei; veraque narrans dicebat illi primum Dei oraculum : « Saule, Saule, quid me persequeris[1] ? » Si ergo verum est illud : « Si Deus pater vester esset, diligeretis utique » me[2]; » perspicuum est quoque illud, quod cum hoc convertitur, rectum esse : Si me non diligeretis, nequaquam Deus pater vester esset. Ergo Deus pater non est eorum qui non diligunt Jesum : cumque tempus fuerit quo Paulus non diligebat Jesum, sequitur quoque tempus fuisse quo Deus pater Pauli non erat : non ergo natura Paulus erat Dei filius, sed postea factus est Dei filius : quando etiam recte assumeremus id quod sequitur, illud quod præcedit conjunctum dicens : Atqui, o Paule, Deus pater est tuus, diligis ergo Jesum. Quinetiam ante tempora fidei Pauli, cum verum esset illud : « Si Deus pater vester esset, diligeretis » utique me, » recte assumere posset Jesus dicens : Atqui, o Paule, me non diligis, non ergo pater tuus Deus est. Quando autem Deus efficitur alicujus pater, nisi quando aliquis servaverit mandata? quibus, cum antea non esset aliquis filius Patris cœlestis, efficitur ipsius filius; quando etiam Pater ducens hunc ad regenerationem, quasi pater ipsius efficitur, et habetur ipsius pater. His adjungere possumus quæ in Evangelio secundum Matthæum scripta sunt hunc in modum : « Audistis dictum esse : Diliges proximum tuum, et » odio habebis inimicum tuum. At ego dico vobis : Diligite » inimicos vestros, et orate pro his qui vos persequuntur, » ut sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est[3]. » Adhibe au-

[1] Act. IX, 4. — [2] Joan. VIII, 42. — [3] Matth. V, 43, 44, 45.

tem animum ad illud : « Ut sitis filii Patris vestri, qui in » cœlis est, » ostendens quod qui antea non est filius illius Patris, qui est in cœlis, deinde illius efficiatur filius. Cumque diligenter observaveris illud, *vestri,* quod additur vocabulo *Patris* (sic enim scriptum est : « Ut sitis filii » Patris vestri »), quæres utrum simplicius illud dictum sit, an peccantibus exemplaribus additum sit illud, *vestri*. Nihil enim quæsissemus, si scriptum fuisset : « Ut sitis filii » Patris *illius* qui in cœlis est; » et præsertim quoniam videntur hæc repugnare, ut aliquis sit filius non simpliciter Patris illius qui est in cœlis, sed sui Patris : nam si est pater ipsius, non efficitur postea filius ipsius; sin vero ipsius filius efficitur, non erat antea ipsius pater. Illud simul observabis, eo quod ex his qui censentur credere, quidam servi Dei, rursum alii dicantur filii Dei, an forte non qualecumque mandatum, sed quædam per excellentiam præclare acta faciant aliquem, qui ea obierit, effici filium Dei. Quamobrem cum in Matthæo multa sint dicta, illud observa : « Ut sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est, » quod subjungitur illis verbis : « Ego autem dico vobis : Diligite » inimicos vestros, et orate pro his qui vos persequuntur. » Elucet enim similitudo erga Deum, atque imitatio ipsius diligentis omnia entia, et nihil abominantis eorum quæ fecit, et omnibus parcentis (quandoquidem ipsius Domini animarum amantis sunt omnia) in eo qui diligit inimicos suos, et precatur pro his qui persequuntur eum. Verum quomodo convenienter subjungeretur illud : « Ut sitis filii Patris ves- » tri, qui in cœlis est, » illis verbis : « Dictum est : Ne com- » mittas adulterium : at ego dico vobis : Quicumque aspe- » xerit mulierem ad concupiscendam eam, jam adulterium » commisit in corde suo cum ea [1], » atque illis de perditione unius membrorum, ne totum corpus conjiciatur in gehen-

[1] Matth. v, 27, 28, 29.

nam? Quinetiam si post illud : « Dictum est antiquis : Non » pejerabis, sed persolves Domino juramenta tua : at ego » dico vobis : Ne juretis omnino[1], » subjungeretur, « ut sitis » filii Patris vestri, qui in cœlis est[2], » multum profecto offendiculi ex se fecisset : nunc autem ut ille Pater cœlestis exoriri solem facit super malos et bonos[3], sic unusquisque filiorum Dei dilectionem in semetipso veluti solem habens, hanc exoriri facit etiam super malos, cum suos ipsius dilexerit inimicos. Ac rursum quemadmodum pluit Deus super justos et injustos[4], ita sanctus veluti pluviam quamdam demittit precationem super eos qui deorsum degunt, eo quod illum persequebantur, pro talibus etiam orans. Hæc quidem in illud quod mihi explanandum incidit : « Si Deus pater » vester esset, diligeretis utique me[5]. »

Videamus vero et illud : « Ego ex Deo exivi, et venio[6] : » cum quo conferre illud Michææ utile videtur sic habens : « Audite, populi, sermones, et attendat terra, et omnes qui » in ea sunt, et erit Dominus testis contra vos, Dominus, in» quam, de domo sancta sua. Ecce egreditur Dominus de loco » suo, et descendet, et calcabit super excelsa terræ, et com» movebuntur montes sub illo, et valles liquescent sicut cera » a facie ignis, et sicut aqua quæ descendens per præceps » defertur[7] : » et vide an forte æquipolleat illud : « Exivi a » Deo, » cum illo : « Dominus egreditur de loco suo : » quoniam quando Filius in Patre est, in forma Dei existens, antequam seipsum inaniat, veluti locus ipsius est Deus : et si quis consideret ipsum existentem in principali illa Dei forma, videbit nondum egressum a Deo Filium ipsius, et Dominum nondum egredientem de loco suo; cum vero cum hoc statu contulerit statum illius qui seipsum inanivit, ex eo quod formam servi assumpserit, intelliget quo-

[1] Matth. v, 33, 34. — [2] Ibid. 45. — [3] Ibid. — [4] Ibid. — [5] Joan. viii, 42. — [6] Ibid. — [7] Mich. i, 2, 3, 4.

modo Filius Dei exierit, et venerit ad nos, ac veluti extra eum qui misit illum factus fuerit; etiamsi alio modo non dimiserit illum solum Pater, sed est cum ipso qui etiam est in Filio, quemadmodum Filius est in Patre. Sin vero non consideraveris alio modo esse Filium in Patre, quam erat antequam exiret a Deo, videbitur repugnare egressum esse a Deo, et egressum a Deo esse adhuc in Deo. Cæterum alii illud : « Exivi a Deo, » exposuerunt pro eo quod est, Genitus sum ex Deo : quos sequitur Filium dicere ex substantia genitum fuisse Patris, veluti diminuti, et carentis substantia Filii quam ante habebat, quando generavit Filium : tanquam si consideraret aliquis hoc etiam in prægnantibus. Consequitur autem illos dicere Patrem et Filium corpus esse, ac Patrem dividi : quæ dogmata hominum sunt eorum qui ne per somnium quidem rerum quæ animo cernuntur, et incorpoream naturam (quæ proprie est substantia) imaginati sunt : unde etiam perspicuum est hos in corporali loco Patrem esse daturos, et Filium immutato loco, ex loco ad hanc vitam devenisse, nec mutasse statum ex statu, ut nos interpretati sumus.

« Neque enim a memetipso veni, sed ille me misit[1]. » Hæc arbitror dici perinde quasi a semetipsis veniant quidam, non missi a Patre, doctrinam vel prophetiam promittentes. Atque de talibus quidem hominibus docemur a Jeremia, apud quem scriptum est : « Non mittebam Prophetas, » et ipsi currebant[2]. »........

« Quare[3] dicta mea non agnoscitis? quia non potestis » audire sermonem meum[4]. » Vos, inquit, non posse sermonem meum audire, in causa est quod dicta mea non agnoscatis. Unde primum comparanda nobis est vis audiendi di-

[1] Joan. VIII, 42. — [2] Jer. XXIII, 21.
[3] N. 18. p. 332.
[4] Joan. VIII, 43.

vinum sermonem, ut deinde omnia Jesu dicta agnoscere possimus : licet enim illi qui antea non valebat audire sermones Jesu, postea eo pervenire ut possit audire illos; quoniam quamdiu non medicaverit alicujus auditum Sermo, ac filius Dei dicens surdo, *Adaperire*[1], non potest ille audire. Simul atque autem solutum fuerit vinculum quod occasionem præbebat surditatis, tunc audire quis poterit Jesum; quando etiam cognoscere potest ipsius dicta. Alioquin dicant nobis illi qui existimant hisce verbis constitui dogma de naturis, utrum poterant illi quibus medicatus est postea, surdi adhuc existentes, audire an non? Sed cum liqueat eos non potuisse, perspicuum est licere immutari ab impotentia audiendi sermones Jesu, ad audiendum illos, et propter naturam incurabiliter habentem, quando non potest aliquis audire : suntque hæc potissimum dicenda his qui ab Ecclesiæ decretis dissident, gaudentes allegoriis, et sanationum historiam reducentibus ad curationem animæ, quam Jesus liberat ab omni morbo et ab omni mollitie. Arbitror vero ego vocabulum *audire* positum nunc esse pro intelligere quæ dicuntur; vocabulum vero *agnoscere*, pro eo qui percipiens assentitur, illustratus luce cognoscendi ea..........

«Vos[2] ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri vul»tis facere[3].» Ambiguus (4) est contextus [proinde quoque duplex ex eo elici potest sensus] : alter, quasi diabolus habeat patrem, ex quo patre (quantum ad contextum attinet) ostendantur hi esse ad quos est sermo; alter (qui etiam melior est) : Vos ex hoc patre estis, de quo prædicatur diabolus. Atque ambiguus quidem futurus erat hic contextus, si etiam omisso primo articulo, τοῦ, dictum fuisset « ex pa» tre, » et non « ex illo patre; » attamen apertius apparuisset

[1] Marc. VII, 34.
[2] N. 19, 20. p. 333-337.
[3] Joan. VIII, 44.

voluntas contextus. Et quidem qui faveret credenti esse aliquem diaboli patrem, cujus filios videatur dicere hos ad quos est sermo, verbis quæ subjunguntur usurus est sic se habentibus : « Cum loquitur mendacium, ex propriis loqui- » tur; quoniam mendax est, et pater ejus[1] : » dicetque mendacium esse diabolum, diversum vero ab hoc esse mendacii patrem : sed non recte hoc diceretur; nam magis conveniet mendacium contrario dicentis : « Ego sum veritas[2] : » dico autem contrario Christi, cui mendax est pater, qui diabolus est. Sed consentaneum est aliquem offensum iri, eo quod dixerimus Antichristum esse mendacium; vituperabilem non amplius futurum, si hypostasi et essentia nil aliud sit mendacium : contra quem cum attuleris in medium illud : « Perditio factus es, et non eris in sæculum[3] » (quod in Ezechiele dictum est de quodam qui propter vitium immutatus fuerat, ut esset ipsa perditio), tu similiter etiam proferes aliquem non esse natura mendacium, ex creatione, sed ex mutatione, et proprio proposito talem factum fuisse, et sic, ut nove dicam, naturatum. Quamobrem non fugiens quis ceu absurdum dicere Antichristum mendacium esse, dicet omnibus etiam congruere mentientibus hoc dictum : « Cum loquitur mendacium, ex propriis » loquitur[4]. » Cum enim mendacium, quod in singulis mentientibus inest, loquitur, ex propriis mendacis loquitur. Quinetiam si hæc verba : « Mendax est, et pater ejus[5], » eo referas, ut unumquemque proferentem mendacium ex suo ipsius ore, dicas esse patrem ejus mendacii quod loquitur, hujusmodi sane assignatio absurda non erit. Sed dicta hæc sunto veluti adjacentia amphiboliæ contextus nobis expositi.

Sequitur : « Et desideria patris vestri vultis facere[6]. »

[1] Joan. VIII, 44. — [2] Id. XIV, 6. — [3] Ezech. XXVIII, 19. — [4] Joan. VIII, 44. — [5] Ibid. — [6] Ibid.

Enarrantes illa verba : « Vos facitis opera patris vestri [1], » antevertimus etiam in hoc disserere; frequenter alioqui colligentes quæ nobis utilia visa fuerant ad enarrationem; proinde sine causa nunc hoc in loco non immorabimur. Quod si quis ortus fuerit ex diabolo, eo quod committat peccatum, et hunc ab illo ortum non aboleverit, hic non unum, sed plura desideria talis patris vult facere : cumque desideria quæ sunt in omnibus filiis diaboli nascantur a desideriis quæ sunt in diabolo, perspicuum est desideria illius esse prudentiam materiæ et corruptionis, quas proprie inimicas dixerit aliquis esse adversus Deum. Atque cædes quidem, et injustitias, et avaritiam, si quis dicat illius esse desideria, quæ generent desideria his similia in filiis ejus, non dissentanea loquitur : atque etiam generaliter dicere immunditias naturæ illi purissimæ contrarias existentes, esse illius desideria, a quibus desideria ingenerentur diaboli filiis ad res immundas, non gravate admittendum est : dicere etiam fornicationem, vel adulterium, vel amorem obscœnum in pueros, vel mollitiem, esse illius desiderium, facile quis etiam admiserit. Quod si dubitet quis quonam pacto hæc desideria in hominibus oriantur a desideriis quæ sunt in illo, quantum ad verba attinet, veluti quiddam universale doceatur de desideriis quæ sunt in hominibus, quod velint homines desideria patris sui facere; quia omnia quæ præter legem desiderant, antea fuerint desiderium patris sui (tale enim est quod dicitur : « Et desideria patris » vestri vultis facere [2] ») : ad hæc dicendum est diabolum desiderare ut corrumpatur, verbi gratia, hic puer, illa adulterium committat, hi fornicentur; et hæc desiderando ingenerare his qui valent illi obsequi, desiderium faciendi quæ ille cupiat effici : ut hac ratione dicat aliquis diabolum committentem fornicationem aut adulterium, prius

[1] Joan. VIII, 41. — [2] Ibid. 44.

fornicari et prius adulterium committere, quam hominem. Idem etiam dices de omni peccato : verbi gratia, diabolus argentum non desiderat, at amat argenti cupidos facere, facereque homines rerum materialium affectibus obnoxios ; quod ipsius desiderium facere volunt hi qui argentum non aliter quam voluntate amant. Quamobrem omnia quæ acturi sumus inspiciamus oportet et examinemus, ne forte quod facere volumus sit ex desideriis diaboli : ut cum viderimus diaboli desideria, desinamus velle ea facere; scientes omnem qui diaboli desideria facere voluerit, ex Deo patre haudquaquam esse posse, sed factum fuisse diaboli filium, atque etiam formatum et factum ad imaginem Mali patris, eo quod velit pejoris desideria facere, a quo profi-ciscuntur formanturque terrestris illius imagines : primus enim terrenus ille, eo quod primus delapsus fuerit a rebus melioribus, et desideraverit alteram vitam præter vitam præstantiorem, dignus factus fuit ut esset principium[1] non creaturæ, non operis, sed figmenti Domini, factus ut illuderetur ab Angelis ejus. Nostra vero principalis substantia in ea parte est quæ ad similitudinem est Creatoris; altera vero ex culpa in figmento quod e pulvere terræ est sumptum. Atque equidem si obliti veluti substantiæ melioris, quæ in nobis est, ei figmento quod est e pulvere subdiderimus nos ipsos, pars etiam præstantior imaginem terreni sumet; sin vero intelligentes quod factum est ad imaginem, et quod sumptum est e pulvere terræ, inclinaverimus ad hunc ad cujus imaginem facti sumus, erimus etiam ad similitudinem Dei; omni affectione erga materiam et erga corpora, atque etiam erga aliquem eorum qui sunt ad similitudinem, abolita. Quoniam autem ἐπιθυμία [hoc est desiderium] indifferens est in Scripturis divinis, non agnoscentibus accuratam vocabulorum significationem, a Gentibus,

[1] Job, XL, 14.

qui diligenter disseruere, traditam, qui τὸ ἀστεῖον [hoc est, quod industrium studiosumque est] nominent βούλημα [hoc est, voluntatem], eam definientes appetitum rationi consentaneum; quod vero malum est, ἐπιθυμία [hoc est, desiderium], quod dicunt esse appetitum a ratione alienum, vel vehementem appetitum; dicendum est omnem naturam genitam desideria patris sui velle facere : quemadmodum etiam omnis natura facit opera patris sui; in primis quidem illius patris sancti, ingeniti existentis, qui est Deus; illius vero in primis mali patris, qui ex nullo est patre : quippe in quo nullus pater effecerit ut subsisteret pravitas, sed aversio a Deo genuerit eam. Quod igitur nunc examinatum ad nobis est, nempe : « Et desideria patris vestri vultis fa- » cere [1], » perspicuum est ad diabolum referri, cum superius dictum sit : « Vos ex patre diabolo estis, » et subjungatur : « Ille homicida erat ab initio. » Quinetiam ad unumquemque, sive is fuerit ex diabolo, sive ex Deo, recte dicetur : « Desideria patris vestri vultis facere. » Dicuntur enim etiam Dei quædam esse desideria; isto modo sic dictis voluntatibus ipsius : unde in decimo octavo Psalmo dictum est : « Judicia Domini vera, justificata in idipsum : deside- » ria super aurum et lapidem pretiosum multum [2]. » Quod si legas : « desiderabilia super aurum, et lapidem pretiosum » multum, » ut quædam habent exemplaria, dices desiderabilia digna esse ut aliquis desideret ea; sicut laudabilia, ut laudentur; et diligibilia, ut diligantur. Ut igitur benedicta magis a Deo benedicuntur, et diligibilia magis a Deo diliguntur; sic etiam desiderabilia rationabilius multo a Deo desiderantur : candidius, et in bonam (ut diximus superius) partem accipientes ἐπιθυμίαν [hoc est desiderium], dicente etiam Servatore : « Desiderio desideravi hoc pas- » cha manducare vobiscum antequam patiar [3]. » Quod vero

[1] Joan. VIII, 44. — [2] Psal. XVIII, 10, 11. — [3] Luc. XXII, 15.

etiam in malam partem sumatur desiderium, etiamsi sufficere potest præsens contextus quem nunc tractamus; nihilominus tamen ille etiam addendus est : « Qui inspexerit » mulierem ad desiderandum eam, jam adulterium in corde » suo cum ea commisit[1]. » Porro qui desiderat, non omnino id quod abest desiderat; quemadmodum neque qui vult, is omnino absentia vult. Hoc autem præmunivimus, propter desideria Dei, et perfectorum desideria. Quisquis ergo alicujus filius fuerit, is etiam patris sui desideria vult facere; suique patris opera facit. [Sic enim etiam Servator, et Patris sui desideria vult perficere, et ejusdem opera perficit. Itemque peccati filius, et perditione filius patris sui cupiditatibus obedire vult, patrisque sui opera efficit :] omninoque in potestate nostra est, qui sumus homines, vel Dei, vel diaboli opera, et ea quæ volumus facere, sive desiderium sit Patris nostri boni cœlestis, sive diaboli, qui est inimicus illi : et si quidem facimus opera Dei, volumusque ejus desideria facere, filii sumus Dei; sin vero quæ diaboli sunt agimus, volentes quæ ille desiderat facere, ex patre diabolo sumus. Quamobrem inspiciamus non solum quæ agimus, verum etiam quæ volumus. Ut enim aliquis sit diaboli filius, sufficit vel solum velle illius desideria facere : et fortassis etiam hac de causa post illud : « Vos facitis opera » patris vestri[2], » dictum est : « Desideria patris vestri vultis » facere[3] : » ut hinc discamus nos esse diaboli filios, si vel solum velimus facere quæ diabolus desiderat. At aptissime quis ad hæc diceret sufficere etiam, ut simus filii Dei, velle desideria illius facere, etiamsi opera illius non faciamus : sed dicendum est quod necesse sit ei qui velit desideria Dei facere, ut etiam faciat opera Dei : non enim solum velle, verum etiam perficere (ut inquit Paulus) ex Deo est[4] : cum hoc bonum velle sequatur omnino operatio, veluti sua (ut

[1] Matth. v, 28. — [2] Joan. viii, 41. — [3] Ibid. 44. — [4] Philip. ii, 13.

ita dicam) conjux: « Diligentibus *enim* Deum omnia coo-» perantur in bonum[1] : » nec Deus omnino bonum velle, imperfectum sinet, qui facit omnia opera valde bona[2]. Quin ne excogitari quidem potest bonum velle, non conjuncta in tali voluntate operatione bona bono velle. Sane operatio velle conjuncta est, etiamsi plerumque rationi convenienter impediatur a providentia, quando pro aliqua universali utilitate, vel pro qualicumque utilitate, opus est interrumpi opus deterius, secundum voluntatem.........

« Ille[3] homicida erat ab initio, et in veritate non stetit, » quia non est veritas in eo[4]. » Quoniam generatim homicida est ille qui quomodocumque hominem interfecerit; qui homicida aliquando etiam est indifferens, juxta id quod etiam fecit Phinee, qui, zelo Dei accensus, Israëlitam interfecit fornicantem et Madianitam[5]; juxta quod et David etiam absque vituperatione dicetur homicida, qui in nomine Domini Dei virtutum coram acie Israëlis interfecit Goliath[6] : quærendum est quænam sit hominis vera vita, et rursum quæ sit hujus mors, veræ vitæ contraria, ut intelligamus quisnam sit vituperabilis homicida. Et quantum quidem ad historiam pertinet, dices Adam et Evam tamdiu interfectos non fuisse quamdiu non peccaverunt; mox vero periisse in ea die qua de ligno vetito comederunt : nullo alio interficiente eos, quam homicida illo diabolo, quando Evam decepit per serpentem, et Eva dedit viro de ligno, et comedit vir[7]. Quantum vero ad profundiora dogmata, si consideraveris dictum illud : « Non moriar, sed vivam, et enar-» rabo opera Domini[8], » et illud a Servatore dictum ad Sadducæos, occultissime his qui quod dictum erat intelligere quirent, in Evangelio a Matthæo tradito : « De resurrectione

[1] Rom. VIII, 28. — [2] Gen. I, 31.

[3] N. 21, 22. p. 340-345.

[4] Joan. VIII, 44. — [5] Numer. XXV, 6, 7, 8. — [6] 1 Reg. XVII, 45, 51. — [7] Gen. III, 6. — [8] Psal. CXVII, 17.

» mortuorum annon legistis quod dictum est vobis a Deo, » qui ait : Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus » Jacob ? Deus non est Deus mortuorum, sed viventium[1] ; » et in Evangelio a Luca tradito : « Quod vero resurgant mor- » tui, etiam Moses ostendit juxta rubum, cum dicit Domi- » num, Deum Abraham, et Deum Isaac, et Deum Jacob : » Deus autem non est mortuorum, sed viventium; omnes » enim vivunt illi[2] : » adhuc autem et in Evangelio secundum Marcum : « De mortuis, quod resuscitentur, non legistis in » libro Mosi, quomodo in rubo locutus sit illi Deus dicens : » Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob? » Non est Deus mortuorum, sed viventium[3] : » [si hæc, inquam, consideraveris] videbis, si nunc vivit, quia ex mortuis resurrexerit, Abraham, et Isaac, et Jacob, hos fuisse mortuos antequam viverent. Nemo autem proprie dicitur mortuus, qui ante non vixerit. Inspice vero etiam hoc : « In » Adam omnes moriuntur, et in Christo omnes vivificabun- » tur[4] » (quibus verbis neque mors media significatur hoc dicto : « In Adam omnes moriuntur; » neque indifferens vita, quæ neque bonum per se est neque malum, in illo : « In Christo omnes vivificabuntur ») : et videbis vitam hominis qui est ad imaginem : cujus vita considerata, intelliges quonam pacto homicida ille interfecerit viventem hominem ; recte dicendus homicida, non quia unum quempiam privatim interfecerit, sed propter universum genus a se interfectum : unde in Adam omnes moriuntur. Hoc vero homicidium operatus est, cum incœpisset ab initio : propter quod hujus homicidium unusquisque rem ipsam considerans, suumque proprium corpus, et cui accommodatum sit, hoc dicturus est, seipsum dicens miserum, eo quod in Adam perierit : « Infelix ego homo, quis me liberabit ex hoc cor-

[1] Matth. XXII, 31, 32. — [2] Luc. XX, 37, 38. — [3] Marc. XII, 26. — [4] I Cor. XV, 22.

» pore morti obnoxio[1]? » videns etiam quonam pacto dictum sit illud : « In pulverem mortis deduxisti me[2], » et illud : « Humiliasti nos in loco afflictionis[3], » et illud : « Corpus » nostrum humile[4]. » Est etiam occultius quiddam, propter quod homicida ille ab initio princeps sit hujus mundi, hoc est, terrestris loci ubi sunt homines quos interfecit. Atque homicida quidem interfecit nos : non vero Dei gratia consepulti sumus Christo, et consurreximus illi, conformes facti resurrectioni ejus, et in novitate vitæ ambulantes[5]. At vero homicida ille princeps est interfectorum, itemque mortuorum, nullius viventis valens princeps esse. Quod si latius consideraveris quæ scripta sunt de mortuis, veluti hoc : « In hoc enim Christus et mortuus est, et resurrexit, ut » mortuorum ac viventium sit princeps[6], » videbis quomodo per mortem Jesu ne mortuorum quidem amplius sit ille princeps. Mortuus est enim Jesus, ut mortuis etiam dominetur : atque quamdiu vivit homo, non gerit imaginem terreni; sed cum moritur, interficiturque ab homicida illo, tum perdit Dei imaginem, tum recipit imaginem terreni, et mortificatur : mortuus enim est terrenus, quomodo vivus est supercœlestis; et Deus non est Deus mortuorum, sed viventium : ergo si quidem consurreximus in novitate vitæ ambulantes, Deus est noster; quod si vero adhuc inter mortuos sumus, cum Deus non sit mortuorum, ne nostri quidem erit Deus. Cæterum institutæ disputationi de eo qui erat homicida ab initio, proximum est ut videamus aliquos quidem mortuos esse, sed non in alio præterquam in Christo: qui etiam primum resurrecturi sunt : de quibus in Epistola ad Corinthios sic dicitur : « Clanget enim tuba, et mortui » resurgent incorruptibiles, et nos immutabimur[7]. » In Epistola vero ad Thessalonicenses : « Hoc enim vobis dicimus

[1] Rom. VII, 24. — [2] Psal. XXI, 16. — [3] Psal. XLIII, 20. — [4] Phil. III, 21. — [5] Rom. VI, 4. — [6] Id. XIV, 9. — [7] I Cor. XV, 52.

» in verbo Domini, quod nos qui vivemus, qui reliqui erimus in adventu Domini, nequaquam præveniemus eos qui dormiunt : quoniam ipse Dominus cum hortatu, et voce Archangeli, ac tuba Dei, descendet de cœlo, et mortui in Christo resurgent primum, deinde nos qui vivemus, qui reliqui erimus, simul cum illis rapiemur in nubibus, in occursum Domini in aëra ; et sic semper cum Domino erimus[1]. » Itaque arbitror perfectos, et qui nequaquam amplius peccata committant, viventes esse in Christo; mortuos vero in Christo eos esse qui affecti quidem sint secundum eam fidem quæ est in Christo, quique deliberant optime vivere, haud tamen illud assecuti jam fuerint, sed adhuc etiam peccant, vel propter ignorantiam accuratæ et veræ rationis de justitia, vel propter infirmitatem judiciorum quæ victa fuerunt a carne concupiscente adversus spiritum. Ac profecto his consequens est Paulum, sibimetipsi conscium jam præclare se gessisse, dicere illud : « Nos qui vivemus, » qui reliqui erimus. » Cæterum, quos diximus mortuos, hi maxime indigent resurrectione, cum ne viventes quidem rapi possint in nubibus in occursum Domini in aëra, antequam primum resurgant mortui in Christo : quocirca scriptum est : « Mortui in Christo resurgent primum, deinde nos » qui vivemus ; » et quæ sequuntur. Inspicies autem num etiam propter homicidium suum effecerit ut essent ea quæ non erant super terram maledictam, propter opera ejecti a Paradiso deliciarum Adam. Verumtamen factus fuit homicida hic ab initio rerum existentium; qui, opinor, factus principium figmenti Domini[2] invidit hisquæ creata fuere ut essent. Sic invidia mors introivit in mundum[3] : semper homines diabolo occidente, in quibus viventibus vitam invenerit, donec omnibus inimicis positis sub pedes Filii Dei, ultimus hostis ejus mors abolebitur[4].

[1] 1 Thess. IV, 14 et seq. — [2] Job, XL, 14. — [3] Sap. II, 24. — [4] 1 Cor, XV, 25.

Videamus vero etiam de hoc: « Et in veritate non stetit[1]. » Atque omnis quidem ac solus ille qui recta firmiter habet dogmata, et propter firmitatem dogmatum perpetuo constantis est sententiæ, nullo infortunio, nullo corporali prætextu concussus, is stetit in veritate : qui vero etiamnum appetitu vehementiore rerum venerearum, vel qualicumque culpa concutitur, ita ut aliquantulum dimoveatur ab honesto; is merito non stetisse existimetur in veritate. Sed hæc oratio perveniat ad eas etiam naturas quæ sunt extra carnem et sanguinem : est enim etiam in illarum vita necessario dicendum eas quæ præclare se gesserint, stare in veritate : sin vero aliquis hunc in modum non vixerit, is non stetit in veritate. Sed observo ne forte unum quiddam et uniforme sit, stare in veritate ; varium vero ac multiplex, non stare in ea : quibusdam conantibus in ea stare, sed id assequi non valentibus, quod pedes habeant tremebundos, ut ita dicam, et vacillantes; aliis vero, etiamsi hoc modo affecti non fuerint, in periculo tamen constitutis, ne idem sibi contingat; qualis erat qui dicit : « Mei autem pene » moti sunt pedes[2] : » rursumque etiam aliis in petra labentibus, de quibus dici opinor : « Omnis qui ceciderit super » petram hanc, conteretur[3]. » Ad hoc stare in veritate Dominus adhortans Mosen, dixit ad eum : « Ecce locus apud » me, et stabis super petram[4] : » nam si petra Christus erat[5], Christusque inquit : « Ego sum veritas[6], » fortassis hoc dictum : « Stabis super petram, » idem est atque hoc : Stabis supra veritatem : id quod vix post multa tandem contingit alicui. Unde ad id etiam usque temporis quo dicta fuere hæc verba Mosi : « Ecce locus apud me est, et stabis super » petram[7], » Moses non steterat supra petram. Quod si quis diligentius inspexerit naturam humanam non facile valentem

[1] Joan. VIII, 44. — [2] Psalm. LXXII, 2. — [3] Matth. XXI, 44. — [4] Exod. XXXIII, 21. — [5] 1 Cor. 10, 4. — [6] Joan. XIV, 6. — [7] Exod. XXXIII, 21.

se mundare a falsis dogmatibus, is visurus est quemadmodum omnis homo est mendax[1], ita etiam nullum hominem stare in veritate : nam si aliquis non est amplius mendax, aut stat in veritate, hujusmodi sane non est homo; adeo ut Deus illi, suique similibus dicat : « Ego dixi : Dii estis et filii » Excelsi omnes[2]; » nec illud de eo subjungetur : « Vos autem sicut homines moriemini. » Quod si igitur quisquam etiam alius non stetit in veritate, profecto is fuit diabolus, qui ab initio fuit homicida : et causa sane cur ipse non steterit in veritate, dicta est hunc in modum : « Quia veritas » in eo non est[3]. » Hanc autem ob causam non est in eo veritas, quoniam deceptus est, falsaque opinatur; ipseque a seipso deceptus est, pejor is cæteris deceptis habitus, quod illi quidem decipiuntur ab hoc, ipse autem sibi fabricator et auctor est deceptionis. Sed dignum quæsitu est quomodo dicatur : « Veritas in eo non est : » utrumne tandem quia nullum dogma verum habet, sed omnia quæcumque opinatur falsa sint; an potius quia particeps Christi non est, ut ii qui sunt participes Christi dicentis : « Ego sum veri- » tas[4]? » Qui enim participes sunt illius, illius sunt participes in quantum est veritas; et idcirco veritas in eis est. Rursum tertio addubitabitur hoc in loco, quibusdam annotaturis num dicere oporteat non esse veritatem in eo qui qualecumque mendacium opinatur, etiamsi cum multis veris ipsum opinetur. Ut enim falsa est complexio ex innumeris quæ valde vera sint, et uno mendacio constans; sic in eo qui cum multis veris unum mendacium opinatur, talis ferme est complexio et copulatio, ut in illo dicamus veritatem non esse. Ostendo autem cum multis veris unum mendacium suspicantem; ac tria sane videbuntur habere rationem : aliquo quidem dicturo propter hoc dictum fuisse :

[1] Psalm. cxv, 11. — [2] Psalm. LXXXI, 6, 7. — [3] Joan. VIII, 44. — [4] Idem, XIV, 6.

« Veritas in eo non est[1], » quoniam particeps non sit Christi, quippe cui etiam inferat bellum : altero autem, quoniam nil vere cogitet, sed in omnibus mentitus sit; propter quod etiam diabolus sit et malus et pejor quocumque cadente, quoniam fortassis in multis sit etiam aliquid veri admixtum illis multis quibus falluntur, in hoc vero nihil sit verum. Atque etiam tertius aliquis patrocinabitur reliquo, dicens fieri non posse ut aliquod animal rationis compos ita de omnibus falsa opinetur ut de re nulla (saltem imbecilliter) cogitet verum. Nam omnino saltem hoc diabolus dogma verum habet, quod seipsum rationis compotem esse intelligit, quodque talis etiam homo est, itidemque Angelus; quodque corpus est tale, et quale corpus; et aliud quiddam a corpore diversum. Sed ut postremum non dicat, nec consideret; at saltem satis sunt prima, ut verum esse non possit de eo, quod nihil veri cogitat. Atque nos quidem hoc dictum: « In veritate non stetit[2], » intelligimus non tanquam ostendentes naturam talem, neque docentes fieri non posse ut ipse stet in veritate.........

« Cum [3] loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quo- » niam mendax est et pater ejus [4]. » Quoniam exponentes illud : « Vos ex patre diabolo estis [5], » memores hujus dicti anticipavimus dicere quæ nobis tum in hunc textum succurrerunt, quærentes quid sit mendacium, et quid sit pater ejus, expendenda quoque nunc sunt cum illis quæ a nobis dicentur. Et arbitror ego omnem spiritum malum et fallacem, mendacium esse; et unumquemque horum, cum loquitur, ex propriis loqui, non ex his quæ Dei sunt : horum autem mendax pater diabolus est. Unde vero moti fuerimus ut diceremus omnem malum spiritum mendacium esse,

[1] Joan. VIII, 44. — [2] Ibid.
[3] N. 23-30. p. 345-359.
[4] Joan. VIII, 44. — [5] Ibid.

nunc in medium adducemus. Scriptum est in libro tertio Regum : Sic dixit Michæas vocatus ab Achab prophetandi causa utrum sibi conduceret ire in Rammoth Galaad ad bellum, an non : « Vidi Deum Israëlis sedentem in solio suo, » et omnis exercitus cœli stabat juxta eum ad dexteram » ejus et ad sinistram ejus : dixitque Dominus : Quis deci- » piet Achab regem Israël, et ascendet, et cadet in Ram- » moth Galaad? cumque alius aliud diceret, egrediebatur » spiritus, et stetit coram Domino, et ait : Ego decipiam » eum : dixitque ad eum Dominus : Qua in re? et dixit : » Egrediar, et ero spiritus mendacii in ore omnium prophe- » tarum ejus [1]. » Et in secundo Paralipomenon, ipse Michæas ad Achab et Josaphat inquit : « Audite verbum Do- » mini. Vidi Dominum sedentem in solio suo, et omnis po- » tentia cœli stabat ad dextram ejus et ad sinistram ejus : » et dixit Dominus : Quis decipiet Achab regem Israël, et » ascendet, et corruet in Rammoth Galaad? cumque alius » aliud dixisset, egressus est spiritus, et stetit coram Domino, » et dixit : Ego decipiam eum : et dixit Dominus : Qua in » re? et dixit : Egrediar, et ero spiritus mendax in ore om- » nium prophetarum ejus [2]. » Aperte igitur ex his declaratur quod si est aliquis spiritus mendax, spiritus etiam similes spiritus sunt mendaces, quippe qui a patre suo mendace acceperint esse spiritus mendaces propter mendacium et propter vitium; non quia propter essentiam et naturam sint tales. Atque Spiritus quidem sanctus, vel Angelicus spiritus cum loquitur, non ex propriis loquitur, sed loquitur a Sermone veritatis et sapientiæ [3] : id quod etiam manifestat Joannis Evangelium, in quo de Paracleto docens Servator inquit : « De meo accipiet, et annuntiabit vobis [4]. » Qui vero ex propriis loquitur, mendacium loquitur : ex propriis

[1] 3 Reg. XXII, 19 et seq. — [2] 2 Paral. XVIII, 18 et seq. — [3] Joan. XVI, 13. — [4] Ibid. 15.

enim locutus est etiam ille in libro tertio Regum spiritus mendax decipiens Achab. Verumtamen observa vocabulum *mendax* similiter positum fuisse de diabolo, qui mendacium genuit, et de homine. Atque hoc quidem in loco dicitur de homine et de diabolo : « Quoniam mendax est, et » pater ejus[1] : » in Psalmis vero de homine solum ; ut illud : « Ego dixi in excessu meo : Omnis homo mendax [2]. » Verum hæc omnia in medium adduximus ut, quoad fieri potest, fugiamus esse homines, festinantes filii Dei effici : quoniam quamdiu homines sumus mendaces sumus, sicut et pater mendacii mendax est. Simile est autem nos unius et ejusdem nominis fieri participes, et participare rem ab ipso nomine significatam : nos dico, si adhuc manserimus homines, et diabolum, qui mendax est dictus.

« Ego autem quia veritatem dico, non creditis mihi [3]. » Si memores sumus ad quos loquitur, nempe ad eos qui crediderant ei Judæos [4], qui promissionem acceperant, si permansissent in sermone Jesu, tum vere discipulos ejus futuros, et agnituros veritatem liberantem eos; dubitabimus quomodo talibus dicat : « Ego autem quia veritatem dico, » non creditis mihi. » Proinde vide ne forte juxta unam considerationem fieri possit ut quis uni eidemque credat, et juxta aliam considerationem eidem non credat : verbi gratia, qui credunt in Jesum crucifixum tempore Pontii Pilati in Judæa, non credunt autem in eum qui natus est ex Maria virgine; hi in eum credunt, et in eum non credunt. Rursumque qui credunt in Jesum qui fecit in Judæa signa et prodigia quæ scripta sunt, non credunt autem in Jesum Filium ejus qui fecit cœlum et terram, in Deum credunt et non credunt. Ac rursus qui credunt in Patrem Jesu Christi, non credunt autem in Opificem factoremque hujus universi; hi in eum credunt et non credunt. Atque

[1] Joan. VIII, 44. — [2] Psal. CXV, 11. — [3] Joan. VIII, 45. — [4] Ibid. 31.

equidem qui credunt in Factorem cœli et terræ, non credunt autem in Patrem Jesu crucifixi tempore Pontii Pilati, in Deum credunt et non credunt. Ne igitur statim sit contrarietas, perinde quasi qui hoc scribit hujusmodi Evangelium, non itidem hoc perspexerit, dices quod dicens eis qui crediderant ei Judæis : « Ego autem quia veritatem dico, » non creditis mihi[1], » secundum unam considerationem credentibus, secundum aliam considerationem non credentibus hæc dixerit. Et certe consentaneum est credidisse quidem eos juxta apparentiam propter prodigia, et non credidisse dictis ipsius profundioribus. Proinde hoc dictum : « Quia » veritatem dico, non creditis mihi, » convenit cum illo : « Agnoscetis veritatem[2]; » quod perinde est ac si non agnoscerent veritatem : tanquam si diceret : Quatenus prodigia facio, creditis mihi; quatenus autem veritatem dico, non creditis mihi. Hoc autem nunc etiam in multis cernere possis admirantibus quidem Jesum, cum illius historiæ intendunt; haud ita vero credentibus, simul atque profundior ac major quam pro captu ipsorum explicata fuerit illis ratio, sed suspicantibus illam esse falsam. Quocirca intendamus ne forte nobis etiam dicat Sermo Dei Filius : « Quia » veritatem dico, non creditis mihi[3]. »

« Quis ex vobis arguit me de peccato[4]? » Sermo Dei Filius cum aperte voluntatem suam ob oculos posuisset, ita ut ne unus quidem audientium contradicere posset, etiam hæc dicit, visum perstringens eorum qui sibi non assentiebantur : Si non ostenditis ea quæ dicuntur peccata esse, jam jure a vobis exigo consensum. Magnam autem fiduciam habet Servatoris oratio in hoc dicto, nullo homine cum ea confidentia quæ nascitur ex non peccasse, dicere valente : « Quis ex vobis arguit me de peccato? » sed solo Domino nostro dicere hæc valente ad omnes qui unquam illum co-

[1] Joan. VIII, 45. — [2] Ibid. 32. — [3] Ibid. 45. — [4] Ibid. 46.

gnoverunt : qui peccatum non fecit, « per omnia tentatus » juxta similitudinem, absque peccato[1]. » Quod autem dixit, « Quis ex vobis, » sic intelligo, ut id non ad præsentes tantum, sed ad universum hominum genus dictum sit : tanquam si sic explanaretur : Quis ex vestro genere, vel, Quis, quascumque tandem sit ille homo, arguere poterit me de peccato? at certe nemo. Propter autem hoc dictum : « Imitatores mei estote, sicut et ego Christi[2], » omni modo contendendum nobis est, ut juxta vires humanæ naturæ talem recipiamus fiduciam mundæ conscientiæ erga omnes homines, ut dicamus in futurum, ac post fidei principium, ad singulos nos agnoscentes : « Quis ex vobis arguit me de » peccato[3]? » etiamsi factu facile non est, ut hoc dicamus, cum complevimus rationem. Cæterum non ad homines tantum Servator dixit hoc, sed etiam ad diabolum atque ad potentias illi subjectas, nihil valentes quod ipse peccaret ipsi objicere. Et hoc sane consequens est illi : « Venit princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam, et nihil » in me invenit[4]. » Possumus vero etiam nos ex multa diligentia per aliquod tempus fiduciam recipere ad dicendum diabolo et angelis ejus, quærentibus adversum nos occasionem cum animam efflamus : « Quis ex vobis arguit me » de peccato[5]? »

« Si veritatem dico, quare vos non creditis mihi[6]? » Dignum est ut videamus quid innuatur ex hac interrogatione : at hoc videbimus, etiamsi illi ad quos erat sermo non responderint proferentes conveniens responsum. Respondere enim posset aliquis : Hanc ob causam non credimus, quoniam non videmus quonam pacto illud quod dicit sit veritas : non videmus autem eo quod nondum mundati sint in nobis illi oculi qui vim perspiciendæ veritatis natura habent :

[1] Hebr. IV, 15. — [2] 1 Cor. XI, 1. — [3] Joan. VIII, 46. — [4] Id. XIV, 30. — [5] Id. VIII, 46. — [6] Ibid.

et quoniam tales sumus, non sumus ex Deo; quod si nondum ex Deo sumus, etiam oculi vim perspiciendæ veritatis habentes mundi non sunt, vel quia cooperti sint, vel quia sint crassi, vel quia sint turbidi propter vitium. Ac considerantes diligenter quidem quid sit proprie credere, juxta illud dictum : « Omnis qui credit quod Jesus Christus est, » ex Deo genitus est[1], » sentientesque quantum absimus ab hoc credendi modo, hæc respondeamus, obsecrantes Medicum oculorum animæ ut sua ipsius tum sapientia, tum amore quo genus humanum prosequitur, omnia faciat, quo aperiantur oculi nostri adhuc clausi ab ignominia nostra, propter vitium; juxta illud : « Cooperuit nos ignominia nos» tra[2]. » Exaudiet enim nos si confiteamur causas cur nondum credamus, et quasi male affectis atque medico egentibus opem ferens Dominus cooperabitur nobis ad percipiendum donum credendi, tertio loco apud Paulum positum, dum recenset dona; nimirum post donum sapientiæ, et post donum scientiæ, quibus subjungit : « Alii fides per eumdem » spiritum[3] : » de quo dono et alibi inquit : « Quia a Deo vo» bis donatum est, non solum ut in Christum credatis, ve» rum etiam ut pro ipso patiamini[4]. » Atque equidem si quis efficaciam credendi notarit, videbit manifesto non vulgare donum Dei esse, quod quis credat nulli alii præterquam soli vero; præsertim cum plura dogmata, eaque varia, divulgentur a multis vera se docere promittentibus. Hoc enim jam probati etiam nummularii officium est, quem si quis perfectum nominarit, haud aberrabit; cum etiam in Hebræorum Epistola scriptum sit : « Perfectorum autem est » solidus cibus, nempe horum qui propter assuetudinem » sensus habent exercitatos ad discretionem boni pariter » et mali[5]. »

« Qui ex Deo est verba Dei audit; propterea vos non

[1] I Joan. v, 1. — [2] Jerem. III, 25. — [3] I Cor. XII, 9. — [4] Philip. I, 29. — [5] Hebr. v, 14.

» auditis, quia ex Deo non estis [1]. » Qui diversarum naturarum introducunt commentum, quique dicunt filios Dei natura et a prima institutione tales existere, eosque solum capaces esse verborum Dei propter cognationem quam cum Deo habent, ex hoc etiam loco existimant se probare quod proposuerint : hoc contextu, quem mordicus etiam tenent, in suam opinionem trahentes rudes et sine judicio, nec valentes respondere ad probabilitatem voluntatis contextus, neque videntes ejus solutionem hunc in modum se habentem : Si palam est, quotquot receperunt lucem veram, quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum [2], non quia sint ex Deo recepisse eam (nam si eo quod essent ex Deo recepissent illam, haudquaquam de eis scriptum fuisset : « Quotquot autem receperunt eum, dedit eis creden- » tibus in nomen ejus potestatem ut filii Dei fierent [3]) : » liquet etiam eos qui non sunt ex Deo, potestatem non habere aliquo pacto filios Dei fieri, antequam acceperint veram lucem. Imo qui acceperint, ne filii quidem Dei adhuc sunt, sed, eo quod acceperint lucem, potestatem accipiunt filios Dei fieri, et tunc ex Deo geniti, etiam verba Dei audiunt : non amplius tantum simpliciter credentes, sed jam acutius res divini cultus intelligentes. Porro qui hujusmodi esse non contenderint, nec filii Dei fiunt, nec sunt ex eo ; et hanc ob causam neque audiunt verba ipsius, neque intelligunt voluntatem illorum ; sed manent in statu præcedenti filios Dei, nempe in statu eorum qui tantum crediderunt, servi Dei, eo quod acceperint servitutis spiritum in timore [4], nec contenderint eo procedere et proficere, ut etiam adoptionis filiorum spiritum acciperent, per quem clamant illum habentes, *Abba pater.* Quod enim generatim nullus homo ab initio sit filius Dei, palam est tum ex hoc dicto : « Eramus natura filii iræ [5] » (id quod Paulus etiam de seipso dixit), tum ex eo : « Ego autem dico vobis :

[1] Joan. VIII, 47. —[2] Id. I, 9. —[3] Ib. 12. —[4] Rom. VIII, 15.— [5] Eph. II, 3.

» Diligite inimicos vestros, et orate pro persequentibus vos, » ut sitis filii Patris vestri cœlestis [1] : » nam si Paulus natura filius iræ erat, quis superior est Paulo, quatenus ad creationem attinet, et quis non filius iræ, antequam accipiat potestatem filium Dei fieri, et antequam filius Dei efficiatur? Quod si non aliter efficitur aliquis filius Patris cœlestis, nisi diligendo suos ipsius inimicos, et orando pro persequentibus se, perspicuum est nullum hominem, eo quod natura sit ex Deo, verba Dei audire, sed quia acceperit potestatem ut filius Dei efficiatur eaque utatur commode, et eo quod dilexerit inimicos et oraverit pro se lædentibus, factus filius Patris cœlestis, tunc esse ex Deo et verba Dei audire, intelligens ea et scientiam illorum recipiens : quæ res non propria est servis, sed his qui sunt Dei filii, qui omnem quidem ortum destruxerunt, sed ortum a Deo receperunt, duce spiritu adoptionis. Pariter illud etiam diligenter considerandum est, quomodo accipi opus sit hoc dictum : « Verba Dei audit [2]; » cui simile est illud : « Oves » meæ vocem meam audiunt [3]. » Nam si vocabulum *audit* de nudo sumamus consensu, etiam animales ad tempus credentes ex Deo erunt : de quibus Servator inquit quosdam esse qui ad tempus credant [4]. Rursum si verbum *audit* sumamus pro eo quod est, servare mandata, perspicuum est vel in uno peccantem, non futurum filium Dei : quod quidem non nos premit, qui dicimus ex mutatione unumquemque filium Dei fieri; sed illos qui neque seipsos neque iisdem disciplinis imbutos facile ostendere possunt [ἀναμαρτήτους, hoc est] impeccabiles. Quod si *audit* sumamus pro eo quod est intelligere et considerare, ostendant aliquem omnes hunc in modum Novi Testamenti sermones audientem : ut illum dicamus filium Dei, si expositio illius in sacris Scripturis inversionem non recipiat : nos enim

[1] Matth. v, 44. — [2] Joan. VIII, 47. — [3] Id. x, 27. — [4] Luc VIII, 13.

etiam in his magnum quemdam et admirandum imaginates esse eum qui jam filius Dei effectus est, non indigne iis qui ex Deo sunt arguemur accepisse illud : « Qui est ex » Deo, verba Dei audit [1]. » Jam vero paradoxon etiam quidpiam quod ex contrariis emergere videtur explanari poterit. Quodnam est autem paradoxon, nisi quod aliquis filius Dei alio sit magis filius Dei, et quod alius filius Dei sit magis alio in duplo filius Dei? quod quomodo ex contrario ostendatur, sic proponemus. In Evangelio a Matthæo tradito secunda comminatio ad Pharisæos et Scribas sic se habet : « Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, quia obitis mare » et terram ut faciatis unum proselytum ; et cum fuerit fac- » tus, facitis illum filium gehennæ duplo magis quam vos » estis [2] : » igitur hac ratione, neque quidam natura sunt filii gehennæ, neque gehennæ filii ex æquo sunt illius filii, si alius duplo magis quam alius est gehennæ filius. Quod si alius duplo magis quam alius est gehennæ filius, cur non etiam perditionis, et mortis, et tenebrarum, et cæterorum, quorum qui varie peccant sunt filii? Quod si in his sic se res habet, cur non etiam filii lucis alii duplo magis quam alii erunt, et filii vitæ, et filii sapientiæ, atque etiam hunc in modum filii Dei? Quod si duplo alius magis quam alius efficitur filius Dei, cur non etiam multipliciter, et tanto multipliciter quanto multipliciter dignum est considerare esse primogenitum totius creaturæ Filium Dei super omnes qui sunt filii Dei, et non amplius habent spiritum servitutis in timore [3], sed acceperunt spiritum adoptionis? Fortassis igitur plura cum sint verba Dei, non solum quæ scripta sunt, verum etiam ineffabilia, et quæ homini dicere nefas est [4], et ea de quibus inquit Joannes : « Nec ipse, opinor, mun- » dus caperet eos qui scriberentur libros [5], » quilibet qualia-

[1] Joan. VIII, 47. — [2] Matth. XXIII, 15. — [3] Rom. VIII, 15. — [4] 2 Cor. XII, 4. — [5] Joan. XXI, 25.

cumque verba Dei audiens et intelligens, jam ex Deo est; et quanto plura verba Dei audierit, tanto magis efficitur ex Deo: quemadmodum, si ita appellandus est, aliquis auditis omnibus Dei verbis, si modo id cadat in aliquem eorum qui spiritum adoptionis accipiunt, perfecte et eximie fit filius Dei, et omnino, et totaliter, et totus ex Deo. Candidius autem sunt intelligendæ illæ voculæ, *totaliter* et *totus*, ut respondeant totis dogmatibus, toti cognitioni, et totis mysteriis, adeo ut totus et totaliter dicat se genitum ex Deo, qui noverit omnia mysteria et omnem cognitionem, feliciter etiam gestis quæ sunt perfectæ dilectionis. Vide vero an is, consequenter huic dicto: « Ex parte cognoscimus, et » ex parte prophetamus [1], » possit dicere: Et ex parte sumus filii Dei; et rursum: « Cum advenerit quod perfectum » est, » et quod ex parte est evacuatum fuerit; et perfectissime ratio qua quis esse potest filius Dei adveniet, evacuans id quo quis ex parte filius Dei est. Nec hoc sinatur intactum, num fieri possit ut aliquis ex parte sit filius præstantioris partis, nempe divinæ, et ex parte sit alterius partis contrariæ; an potius hoc impossibile sit sic se habere. Similiter inquires quomodo multi unius patris dicantur filii: utrum propter proavos et propter successores illorum; an propter talem considerationem. At vero cum acceperimus potestatem ut efficiamur filii Dei, omnia faciamus ut simus ex Deo, et verba ejus audiamus, et proficiamus etiam quia simus ex Deo, ut proficiamus etiam quia audimus verba Dei, plura ex his verbis semper manifestantes, donec omnia perceperimus verba Dei, quæ vel nunc vel in posterum percipere possunt hi qui spiritu adoptionis digni habiti fuerint. Quoties autem verba quæ a Deo dicuntur non audimus, hoc est, ea non intelligimus, toties consentaneum est nos redargui, perinde quasi non simus ex Deo: nam propter hoc

[1] 1 Cor. XIII, 9, 10.

non audit qui non audit verba Dei, quoniam ex Deo non est, et ex Deo non est propter seipsum : etiamsi aliquando acceperit potestatem fieri filius Dei, possitque diligendo inimicos, et orando pro his a quibus læditur, fieri filius Patris cœlestis.

« Responderunt ergo Judæi, et dixerunt ei : Nonne bene » dicimus nos quod Samaritanus es tu, et dæmonium ha- » bes [1] ? » Consentaneum est, propter id quod tacetur, frequenter hæc inter se quosdam de Servatore dixisse, Samaritanum illum appellantes, tanquam qui res Judaïcas adulteraret, non secus atque Samaritani : « non enim co- » utuntur Judæi Samaritanis [2], » in multis dogmatibus ab illis dissidentes. Sed profecto quæsitu dignum est quomodo, Samaritanis futurum sæculum negantibus, et ne animæ quidem permanentiam admittentibus, ausi fuerint Servatorem dicere Samaritanum, qui quamplurima docuerat, et de resurrectione, et de judicio. At fortassis hoc dicunt illum mordentes, perinde quasi non omnino eadem quæ illi decreta poneret. Verisimile est etiam aliquos existimasse eum non ex affectu de futuro sæculo, de resurrectione, et de judicio docere, sed Samaritice affectum (perinde ac nihil reliquum foret post hanc vitam), simulationis causa propter opinionem quam habebant Judæi, et ut illis placeret, de resurrectione deque æterna vita verba facere. Quin dæmonium quoque eum habere dicebant, propter ipsius sermones, qui hominum captum transcendebant, quibus Patrem proprium dicebat Deum, seque e cœlo descendisse, quodque esset panis vitæ longe melior manna, adeo ut qui ex hoc pane comederet victurus esset in æternum [3], aliaque innumera quibus Evangelia repleta sunt. Potest etiam propter suspicionem eorum circa Beelzebul dictum fuisse : « Tu » dæmonium habes, » quandoquidem quidam in Beelzebul

[1] Joan. VIII, 48. — [2] Id. IV, 9. — [3] Id. VI, 51, 52, 53 et seq.

principe dæmoniorum existimabant eum ejicere dæmonia[1], tanquam qui in se haberet Beelzebul. Atque inimici quidem dicentes ipsum habere dæmonium, illi viderint : nos vero illi credamus dicenti : « Ego dæmonium non habeo[2] : » neque enim potest dæmonium cæcorum oculos aperire, vel hæc signa facere quæ scripta sunt, quorum etiam vestigia et reliquiæ, vel usque in præsens fiunt in Ecclesiis in nomine Domini. Præterea quærat aliquis cur respondentibus Judæis, non illis qui crediderant ei, duoque crimina ei impingentibus, nempe : « Samaritanus es tu, *et*, Dæmonium » habes[3], » non ad duo, sed ad unum, nempe, « Dæmonium » habes, » respondet dicens : « Ego dæmonium non habeo[4]. » Et vide an ad hoc applicari possit illud illius parabolæ quæ est apud Evangelium Lucæ[5], nempe de eo qui cum descenderet a Jerusalem in Jericho, incidit in latrones; quem cum sacerdos et levita præteriissent, Samaritanus iter faciens venit ad eum, et viso eo misericordia motus est, et cum accessisset, obligavit vulnera ejus, infundens oleum et vinum. Nam si poterit quis de hac parabola disputans ostendere ad nullum alium, præterquam ad solum Servatorem, referri posse quæ de Samaritano dicuntur, qui semimortuum; et delapsum in latrones curavit is ostendet etiam quare Servator non negarit se Samaritanum. At vero alius, quia differant apud Paulum Judæi ab his, qui sunt sub Lege[6], considerans, et sensu anagogico pro his qui sunt sub Lege Samaritanos intelligens, inveniensque Servatorem magis quam Paulum omnibus omnia factum fuisse ut omnes lucrifaceret, dicet eo quod factus sit sub Lege his qui sub Lege erant, veluti etiam Samaritanum fuisse factum, et idcirco non negasse etiam se Samaritanum fuisse. Rursus aliquis tertius interpretationem Samaritani intelligens si-

[1] Luc. XI, 15. — [2] Joan. VIII, 49. — [3] Ibid. 48. — [4] Ibid. 49. — [5] Luc. X, 30 et seq. — [6] 1 Cor. IX, 20, 21.

gnificantis custodem, dicturus est, quamvis alia consideratione dixerint Judæi Jesum Samaritanum, ipsum tamen significatione nominis perspecta, illud se esse non negasse; scientem se custodem animarum hominum, de quo etiam dictum est : « Ecce non dormitabit, neque dormiet qui cu» stodit Israël[1], » et : « Custodiens parvulos Dominus[2]. » Hebræi etiam Somer dicunt custodem, sicque tradunt Samaritanos primum appellatos fuisse, quod missi fuerint ab Assyriorum rege ad custodiam terræ Israël, post captivitatem Israëlis, qui diversus erat a Juda : qui etiam Israël propter peccata multa in captivitatem deductus fuit Assyriorum[3].

« Respondit Jesus : Ego dæmonium non habeo, sed ho» noro Patrem meum, et vos ignominia afficitis me : ego » non quæro gloriam meam; est qui quærit, et judicat[4]. » Si lignum juxta decursus aquarum plantatum[5] hujusmodi est, ut fructum suum in tempore suo afferat, ita ut ne folium quidem ejus defluat, sed cuncta quæcumque fecerit felicem habeant successum; quid existimandum est de Servatore nostro Jesu, nisi quod (cum sit lignum vitæ quatenus est sapientia, et cum sapientia sit lignum vitæ omnibus recipientibus eam) et fructificat, et alia folia præter fructus talia habet, ut ne unum quidem ex ipsis defluat? Hanc ob causam nullum Jesu verbum (præsertim quod habitum dignum fuerit scriptione a sanctis ipsius discipulis) vulgariter intelligendum est. Quinetiam omnis diligentia adhibenda est a nobis his etiam quæ existimantur aperta; non desperantes in ejus sermone, etiamsi extemporaneus et simplex esse credatur, inveniri semper aliquid illius ore sacro dignum a recte quærentibus. Quod si aliquando non inveniamus, nos incusandi sumus, non Jesu sermo, tanquam qui non spiret ex plenitudine dogmata plena verita-

[1] Psal. cxx, 4. —[2] Psalm. cxiv, 6. — [3] 4 Reg. xvii, 27 et seq. — [4] Joan. viii, 49, 50. — [5] Psal. i, 3.

tis et sapientiæ. Quæ mihi dicta sunt volenti inquirere de eo : « Ego dæmonium non habeo[1] : » per quod omnes Evangelium legentes rem docemur quam, antequam Evangelium legeremus, non noveramus : quæ qualisnam sit jam consideranda est. Convenit juxta Scripturas multa peccantes facere præter rationem, non ob aliud nisi quia facti fuerint capaces operationis mali spiritus; vel voluntatis immundi dæmonis. Non dubitarunt igitur vel ea quæ existimantur esse levia peccata, dæmoniis tribuere illi qui dixerunt repentinam iram, similiterque detractionem dæmonium esse. Consentaneum vero est, dæmoniis in nobis imaginationes imprimentibus, in nosque operantibus innumera alia, nos juxta illorum voluntate macere : et ut inter homines nullus est absque sordibus[2], et nullus justus super terram, qui faciat bonum et non peccet[3]; sic etiam nullus est semper a dæmoniis mundus, et perpetuo factus incapax operationis horum. Quocirca allegorice interpretantes curationes in Evangelio positas, in quibus sunt etiam dæmonum expulsiones, dicemus Jesum ab illis omnibus semper dæmonas expellere, qui propterea quod curati fuerint a Filio Dei, non amplius admittunt dæmonum operationes : quamobrem solius Jesu vocem esse reor (qui solus expoliavit principatus et potestates[4], et ostentans palam, et triumphans eas in ligno, trophæum adversus omnem potentiam contrariam statuit crucem) ita dicere : Ego dæmonium neque habui, neque habeo, ac ne habiturus quidem sum : quemadmodum illud etiam dixit : « Venit princeps mundi hujus, et in me non habet quid» quam[5]. » Possumus quidem etiam nos proferre, et dicere : « Dæmonium non habeo[6], » sed refellemur perinde atque hi qui cum negaverint se insanire, ipsis factis convincuntur

[1] Joan. VIII, 49. — [2] Job, XIV, 4. — [3] Eccles. VII, 21. — [4] Coloss. II, 15. — [5] Joan. XIV, 30. — [6] Id. VIII, 49.

mentitos fuisse. Annon manifestum argumentum nos insanire, quando statum habentes insanientium clamamus, excandescentia et ira accensi? vel cum rabie agitati et tanquam hinnientes, proprias etiam conjuges instar equorum equarum amore insanientium conscendimus, post tergum ejicientes quidquid Deus dixerit de sedandis affectibus? Quinetiam quia abjecti et obscuri a mœrore detineamur, propriaque generositate eorum qui rationis sunt compotes amissa, obliviscimur ne unum quidem passerem absque Deo in laqueum cadere[1], justaque esse quarumlibet rerum quæ hominibus contingunt judicia; quid dicturi sumus, nisi nos hæc pati quia vicerit nos diabolus, et quia etiam animæ partem præstantissimam (principatum quam vocant) offuscarit turbidaritque? Quinetiam timores rerum non timendarum, gaudiaque elata de rebus nihili, quorum sunt actiones? annon dæmonum, qui impleverunt eos qui cum veritate dicere nequeunt: « Ego dæmonium non habeo[2]? » Sed consentaneum est futuros aliquos, qui sanctos Patriarchas, vel servum illum sacrum, vel admirandos Prophetas, vel potentissimos Servatoris nostri Jesu Apostolos in hanc disputationem afferentes, nos refutent, quasi hi perinde atque Jesus dicturi sint: « Ego dæmonium non habeo[3]: » ad quos dicere licet: Num hi etiam aliquando peccarunt, an falsum est illud: « Omnes enim peccaverunt, ac destituuntur gloria » Dei[4]? » num etiam verum non est illud: « Nullus mundus » est a sorde[5]? » annon dictum est cum consideratione: « Non est justus super terram, qui faciat bonum, et non » peccet[6]? » annon perspicuum est omnes Scripturas veras esse? Igitur non semper, neque ab initio poterant hi dicere, ac ne hi qui transeunt ad vitam virtute constantem: « Ego » dæmonium non habeo[7]; » sed solius hominis, qui consi-

[1] Matth. x, 29. — [2] Joan. viii, 49. — [3] Ibid. — [4] Rom. iii, 23. — [5] Job, xiv. 4. — [6] Eccl. vii, 21. — [7] Joan. viii, 49.

deratur in Servatore, vox est illa ab initio : qui etiam hanc ob causam propriissime et perfectissime solus Patrem honoravit. Nullus enim honorans aliquid eorum quæ honorantur a Deo, honorat spernentem quæ ille honoret. Alioquin quomodo dicendus est aliquis honorare Patrem, qui spiritum adoptionis nullo prorsus modo acceperit? Nam nullus habet adoptionis spiritum peccans : « Qui enim ex Deo ge» nitus est, non peccat[1]. » Præterea quomodo honorat quis Patrem, honorans gloriam quæ est ab hominibus; vel argentum, vel terrenas divitias [aut pulchritudinem quæ ex carne et sanguine constat], vel generatim quæ sunt propria materiei et interitus? Itaque perspicuum est quomodo Servatoris vox illa sit : « Honoro Patrem[2], » quam pro virili contendere nos etiam debemus dicere, tribuentes Deo et Patri honorem, nec ulli alii tribuentes ipsum, contestante nobis conscientia in Spiritu sancto[3]. Ac pulchre profecto cum advenisset temporis plenitudo, missus a Deo ut ex muliere nasceretur, fieretque sub Lege[4], quasi qui esset sub Lege dicente : « Honora patrem tuum et matrem tuam, ut » bene sit tibi[5], » nullum alium habens patrem, nisi Deum cœlestem, inquit : « Sed honoro Patrem meum[6]. » Dicemus vero etiam nos hanc vocem, si consideraverimus regenerationis lavacrum, lotique in eo, ut efficiamur filii Dei, non amplius vocabimus patrem super terram, eo quod facti fuerimus filii Patris cœlestis[7], fratresque dicentis : « Vado ad » Patrem meum, et Patrem vestrum, et Deum meum, et » Deum vestrum[8]. » Quamobrem perspicuum est, quod propriissime et perfectissime dicente Jesu : « Ego dæmonium » non habeo, sed honoro Patrem meum[9], » unusquisque nostrum imitator ejus, quoad fieri potest, et omnia potens

[1] I Joan. v, 18. — [2] Idem, VIII, 49. — [3] Rom. IX, 1. — [4] Galat. IV, 4. — [5] Exod. XX, 12. Ephes. VI, 2. — [6] Joan. VIII, 49. — [7] Matth. XXIII, 9. — [8] Joan. XX, 17. — [9] Id. VIII, 49.

in Christo Jesu eum corroborante[1], dicturus etiam est : « Ego dæmonium non habeo, sed cohonesto Patrem meum[2]. » Cæterum quis inter mortuos versans, in sepulchrisque habitans dicere poterit : « Ego dæmonium non habeo[3] ? » vel quis quippiam aliud honorans præter Deum, Verbumque ipsius, ac præter id quod a Verbo præcipitur alteri honorem tribuens (cum sit necesse honorem illi tribuere), dicturus est tanquam Jesu discipulus : « Sed honoro Patrem » meum[4] ? » cui dicto proximum est hoc : « Et vos ignomi» nia me afficitis, » quod dictum est ad eos qui illum contemptui habebant, quique illi dicebant : « Nonne bene dici» mus nos, quod Samaritanus es tu et dæmonium habes[5] ? » existimantes quod male dixerant se bene dixisse : male enim cogitantes enuntiarunt Servatorem Samaritanum, et dæmonium habentem. Nec vero existimandum est illis solis tunc dictum fuisse : « Et vos ignominia me afficitis[6], » sed his etiam qui perpetuo Christum, qui est justitia, ignominia afficiunt per ea quæ injuste agunt; atque etiam his qui ignominia potentiam Dei afficiunt, quæ est Servator (Christus enim est Dei potentia[7]), ex his quæ efficiunt in debilitate et infirmitate. Quinetiam cuicumque spernenti Dei sapientiam dicetur : « Vos ignominia me afficitis[8] : » quandoquidem Christus etiam est sapientia[9] [atque etiam pax[10]]. Quod si quispiam est ex ipso, is pacem etiam cum hominibus omnibus habeat oportet, adeo ut dicat propheticum illud : « Cum his qui oderunt pacem eram pacificus[11], » opus etiam est ut recipiat pacem superantem omnem Dei intelligentiam[12], corque custodientem sensus ejus qui eam receperit. Quod si quis bellandi cupidus mordeat etiam, incusetque ac devoret proximum, sitque etiam plenus per-

[1] Phil. IV, 13. — [2] Joan. VIII, 49. — [3] Ibid. — [4] Ibid. — [5] Ibid. 48. — [6] Ibid. 49. — [7] 1 Corinth. I, 24. — [8] Joan. VIII, 49. — [9] 1 Cor. I, 24. — [10] Ephes. II, 14. — [11] Psal. CXIX, 7. — [12] Phil. IV, 7.

turbationis, causa seditionis existentis in suo ipsius animæ principatu, huic etiam dicetur : « Vos ignominia me afficitis[1], » Christus enim pax nostra est[2]. Rursus quoniam « qui male agit odit lucem, et non venit ad lucem[3], » luxque est ille qui dixit : « Ego sum lux mundi[4]; » perspicuum est quod qui male agit, ignominia lucem afficiens, ignominia etiam Christum afficiat : auditurus etiam : « Et vos ignominia me afficitis[5]. » Et quid opus est in longum protrahere sermonem explicantem et ostendentem quinam sint qui a Jesu redarguantur, et qui sint qui audiant ab ipso : « Vos » ignominia me afficitis, » cum manifesti sint ex his quæ explicuimus, et ex his quæ his consequenter conjungi possunt?

Post hæc videamus quid sit : « Ego autem non quæro » gloriam meam : est qui quærit, et judicat[6]. » Quærit Deus (qui nobis suum ipsius Filium dedit) in singulis qui eum receperint, gloriam Christi : quam quidem inveniet in his qui sui curam egerint, quique diligenter excolunt natura sibi ingenitas ad virtutem causas : alioquin hanc non inventurus in his qui hujusmodi non fuerint : et non inveniens, judicat eos in quibus non invenit gloriam Filii sui, ad quos dicet : « Per vos jugiter nomen meum male audit inter Gentes[7]. » Addubitabit etiam aliquis propter hoc : « Est qui » quærit et judicat, » num ad Deum referri hoc opus sit, cum palam dixerit Servator : « Neque enim Pater quem» quam judicat, sed omne judicium dedit Filio suo, ut omnes honorent Filium, sicut honorant Patrem[8]. » At vide an ad hoc uti possis eo dicto : « Non possum ego facere a » me ipso quidquam : sicut audio, judico : et judicium meum » justum est; quoniam non quæro voluntatem meam, sed

[1] Joan. VIII, 49. — [2] Ephes. II, 14. — [3] Joan. III, 20. — [4] Id. VIII, 12. — [5] Ibidem, 49. — [6] Ibid. 50. — [7] Isai. LII, 5. Rom. II, 24. — [8] Joan. V, 22, 23.

» voluntatem ejus qui misit me[1]. » Nam si, ut audit a Patre Servator, sic judicat, quærens non suam, sed Patris, qui eum misit, gloriam, et hanc ob causam justum est ejus judicium; fortassis judicium quod judicat qui a Patre audit, non est audientis, sed magis proprie ejus qui dicit audienti. Sin vero etiam dicit : « Judicium meum justum est, » audi eum in eodem Evangelio dicentem : « Omnia mea tua sunt[2] : » nam si verum est quod a Servatore dictum est : « Omnia mea » tua sunt, » perspicuum est judicium etiam ipsum, de quo inquit : « Judicium meum justum est[3], » Patris esse judicium : quod si Patris est judicium, potest solvi dubium hujus dicti : « Ego autem non quæro gloriam meam; est qui quærit et » judicat[4]. » Habet autem quamdam modestiæ emphasim convenientem Servatori quod dicitur : « Ego autem non » quæro gloriam meam : » neque enim admodum decebat illum, ut gloriam exigeret, et ob hoc judicaret eos qui illi illam non reddidissent; sed oportebat uti Pater, qui gloriam Filio dederat, exigeret eam ab his qui eum illa privabant, judicaretque eos propter illum. Fortassis etiam Servator, imitator Patris cum esset, gloriam Dei quærit ab his qui didicerunt quæ sunt Dei : et nisi invenerit in aliquibus Patris gloriam, judicabit illos, tanquam qui potestatem acceperit faciendi judicium, quoniam Filius hominis est[5].....

« Amen[6] amen dico vobis : Si quis sermonem meum ser» vaverit, mortem non videbit in æternum[7]. » Quemadmodum est quædam vita, quæ nobis est indifferens, neque bonum neque malum existens, juxta quam etiam impios et animalia bruta vivere dicimus; et altera, quæ non est indifferens, non malum, sed bonum existens, de qua inquit Paulus : « Vita nostra abscondita est cum Christo in Deo[8]; » et

[1] Joan. v, 30. — [2] Idem, xvii, 10. — [3] Id. v, 30. — [4] Idem, viii, 50. — [5] Idem, v, 27.

[6] N. 31-33. p. 360-368.

[7] Joan. viii, 51. — [8] Coloss. iii, 3.

ipse Dominus noster de seipso : « Ego sum vita [1] : » ita mortem eam quæ contraria sit indifferenti vitæ, indifferentem dixeris; illam vero quæ est inimica dicenti : « Ego sum vita, » malam quamdam et asperam mortem, qua qui moritur est in morte : de qua scriptum : « Ultimus inimicus aboletur, » nempe mors [2]. » Ac profecto de hac morte censendum est Apostolum hæc loqui : « Propter hoc, quemadmodum per » unum hominem peccatum intravit in mundum, etiam per » peccatum mors, et sic in omnes homines pertransiit, eo » quod omnes peccaverunt. Usque ad Legem enim peccatum » erat in mundo : peccatum enim non imputatur, non existente Lege : sed regnavit mors ab Adam usque ad Mosen, » etiam in eos qui non peccarunt ad similitudinem transgressionis Adam [3] : » et post pauca : « Etenim si per unius » delictum mors regnavit per unum, multo magis hi qui » exuberantiam gratiæ et justitiæ accipiunt in vita regnabunt, auctore uno Jesu Christo [4]. » Quænam enim est mors quæ per peccatum introivit in mundum, nisi ultimus inimicus Christi abolendus? et quænam mors illa est quæ in omnes homines pervasit, eo quod omnes peccaverint, nisi hæc quæ etiam regnavit ab Adam usque ad Mosen? Moses autem, hoc est Lex, fuit usque ad Servatoris nostri Jesu Christi adventum [5]. Ac profecto regnavit unius delicto per unum, quousque qui exuberantiam gratiæ et justitiæ accipiunt per vitam, regnent auctore uno Jesu Christo. Hanc igitur mortem non videbit in æternum qui sermonem Unigeniti et primogeniti omnis creaturæ servaverit, natura aptum ad prohibendum ut mors non videatur. Sic igitur intelligendum est : « Si quis sermonem meum servaverit, » mortem non videbit in æternum [6], » perinde ac si hæc loquens, quia donasset lucem audientibus, diceret illis : Si

[1] Joan. xi, 25. — [2] 1 Cor. xv, 26. — [3] Rom. v, 12 et seq. — [4] Ibid. 1 — [5] Luc. xvi, 16. Rom. x, 4. — [6] Joan. viii, 51.

quis meam hanc servaverit lucem, tenebras non videbit in æternum. Nam fieri non potest ut tenebræ oriantur illi qui servat hanc lucem : atqui si hanc lucem quis perdiderit, futurum est ut mox talis videat tenebras. Isto igitur modo etiam vita facta est in Sermone, qui in principio erat apud Deum[1]. Quocirca principium, hoc est, sapientia, quæ dicit : « Deus creavit me initium viarum suarum ad opera ejus[2], » de sermone in seipsa existente, in quo facta est vita, docebit et dicet : « Si quis sermonem meum servaverit, mortem » non videbit in æternum[3] : » pariter enim servabit quis sermonem, et vitam in ipso factam, ab ipsoque inseparabilem, quæ etiam vita lux est hominum lucens in tenebris et ab ipsis non apprehensa[4]. Si igitur veluti percunctans Propheta dicat : « Quis est homo qui vivet, et non videbit mortem[5] ? » respondebimus a Servatore nostro edocti, et dicemus : Ille homo vivet, et non videbit mortem, qui servat sermonem dicentis : « Si quis sermonem meum servaverit, mortem non » videbit in æternum[6]. » Hoc in loco pariter quæro num forte vocabulum *in æternum*, intelligendum sit communiter ; ut totum sit hujusmodi : Si quis sermonem meum servaverit in æternum, mortem non videbit in æternum. Videtur enim aliquis tamdiu non videre mortem, quamdiu sermonem servat Jesu ; simul enim atque quis eum perdiderit, mortem etiam vidit. Quod si recurrere quis potest ad profundiores rationes, et considerare quomodo dicatur ab homine : « Et » in pulverem mortis adduxisti me[7], » et a Paulo : « Quis me » liberabit ex corpore hoc mortali[8] ? » videbit etiam quomodo quamdiu servatus fuerit sermo, tamdiu mors visa non fuerit ab eo qui ipsum servarit ; et quomodo, cum quis ægre attendens observationi sermonis, et circa ejus custodiam negligens factus, eum cessarit custodire, tunc mortem

[1] Joan. I, 2. — [2] Prov. VIII, 22. — [3] Joan. VIII, 51. — [4] Idem, I, 4. — [5] Psal. LXXXVIII, 49. — [6] Joan. VIII, 51. — [7] Ps. XXI, 16. — [8] Rom. VII, 24.

viderit non apud alium quam apud seipsum. Ac profecto dogma legemque sempiternam censendum est hoc esse, perpetuo dicendum esse his qui receperint sermonem : « Si » quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in » æternum [1]. » Ut autem (ut ita dicam) diutius visæ tenebræ aciem illius qui viderit obtundunt, sic mors conspecta ab eo qui sermonem non servarit, interimit et mortificat, excæcatque aciem contemplationi assuetam, adeo ut opus habeat eo qui cæcorum oculos aperit. Ac profecto existimo idcirco cæcos, quorum nota fuerunt cæci, qui in Evangelio scribuntur amisisse oculos, eo quod, sermonem cum non servassent, mortem conspexerint.

« Dixerunt ei Judæi : Nunc cognovimus quod dæmonium » habes [2]. » Complures, hique sapientes, omne genus peccati (cujus una etiam species est, peccatum in sermone) non aliunde oriri existimant, quam a pravis judiciis. At vero qui Scripturis sacris tanquam divinis crediderunt, sic disputant de hominibus præter rationem operantibus, tanquam absque dæmoniis, vel qualibuscumque potentiis contrariis peccata non perficiantur. Quamobrem Judæi etiam existimabant Jesum juxta dæmonis operationem dixisse : « Amen, amen dico vobis : Si quis sermonem meum ser» vaverit, mortem non videbit in æternum [3]. » Quod passi sunt, quia nec sermonem servaverunt, nec vim dicti viderunt. Nam mortem quamdam sciens Jesus inimicam esse rationi, qua moriuntur peccantes, hanc in æternum non videri dicebat ab eo qui sermonem ipsius servaverit; illi autem de communi morte dictum esse existimantes, aberrare arbitrati sunt (cum mortuus fuisset Abraham cæterique Prophetæ) dicentem neminem in æternum mori, qui mandata sua servarit.

« Abraham mortuus est et Prophetæ, et tu dicis : Si

[1] Joan. VIII, 51. — [2] Ibid. 52. — [3] Ibid. 51.

» quis sermonem meum servaverit, mortem non gustabit » in æternum; num tu major es patre nostro Abrahamo, » qui mortuus est? et Prophetæ mortui sunt. Quem teipsum » sum facis[1]? » Etiamsi juxta simpliciorem intelligentiam, quemadmodum et nos interpretati sumus, videatur apertum esse id quod Judæi suspicati fuerant, respondentes ad Servatoris sermonem de Abraham cæterisque Prophetis, perinde quasi illi mortui fuissent, nihilominus non sinenda est disputatio inexplorata cum collatione ostendente superiora similia. Utrum existimabant Servatorem cum nulla ratione dixisse : « Si quis sermonem meum servaverit, mor» tem non videbit in æternum[2], » et hanc ob causam manifestum quiddam ad ipsius sermonem responderunt? an potius, sicut consideravimus, non de communi morte ipsum locutum fuisse opinabantur, et animo cogitantes Abraham et Prophetas aliquando spiritualiter mortuos fuisse, sermone illius spreto (ut qui ne eum quidem talem esse qualem loquens se promittebat existimarent) inquiunt : « Nunc cognovimus quod dæmonium habes[3]? » Simile vero etiam in aliis ipsius sermonibus pluribus verbis in superioribus exquisivimus : veluti in Samaritide; quando cum dixisset ei Jesus : « Da mihi quod bibam, » post alia talia addidit : « Si scires donum Dei, et quis sit qui dicit tibi : » Da mihi quod bibam, tu utique petiisses ab eo, et dedisset » tibi aquam vivam. Et dicit illi mulier : Domine, neque » haustorium habes, et puteus profundus est; unde ergo » habes illam aquam vivam? » et rursus : « Domine, da mihi » istam aquam vivam, ut non sitiam, neque veniam huc ad » hauriendum[4]. » Haud enim probabile est Samaritidem illi respondere de aqua sub sensum cadente, vel ab ipso petere corporalem aquam, ne in posterum sitiret, vel ne veniret ad hauriendum ex fonte Jacob sub sensum cadente. Quin-

[1] Joan. VIII, 52, 53. — [2] Ibid. 51. — [3] Ib. 52. — [4] Id. IV, 7, 10, 11, 15

etiam dicente Domino : « Panis quem ego dabo, caro mea » est pro mundi vita[1], » quando « pugnabant inter se Judæi » dicentes : Quomodo potest hic nobis carnem suam dare » ad manducandum[2]? » ostendimus non adeo stupidos fuisse qui audiebant, ut opinarentur Jesum hæc loquentem invitare auditores ut accederent comesturi carnem ipsius. Consentaneumque certe est Judæos dixisse in præsenti contextu quem nunc examinamus, hæc verba : « Abraham » mortuus est, et Prophetæ[3], » quoniam didicissent quomodo « per unum hominem peccatum intravit in mundum, » et per peccatum mors; et ita in omnes homines pervasit, » eo quod omnes peccaverunt[4]. » Consentaneum vero etiam est eos vidisse mortem regnasse in eos qui peccaverunt ad similitudinem transgressionis Adæ[5], habuisse que sermonem de morte, quæ per peccatum in omnes homines pervasit, eo quod omnes peccaverunt. De his autem edocti, Jesu sermones non noverunt, quia quæ sequuntur non admiserunt : nimirum quod, « Non sicut delictum, ita et do- » num[6]. » Sed ne ratiocinari quidem poterant, quod « Si » unius delicto multi periere, multo magis gratia Dei, et » donum per gratiam, quæ fuit unius hominis Jesu Chri- » sti, in multos exuberavit. » Non intellexerunt etiam quomodo donum non est simile morti quæ fuit per unum qui peccavit : neque enim eruditi fuerant aliquando « donum » ex multis delictis *fuisse* ad justificationem[7]. » Sed ne viderant quidem etiam quod « exuberantiam gratiæ et doni » accipientes per vitam, regnabunt auctore uno Jesu Chri- » sto[8]. » Atque Abrahæ quidem et Prophetarum mortem versabant animo, audientes quod etiam Samuël, quasi per mortem sub terra existens, a Pythonissa excitatus fuisset : quæ Deos cum existimaret inferne sub terram esse, dice-

[1] Joan. VI, 52. — [2] Ibid. 53. — [3] Id. VIII, 52. — [4] Rom. V, 12. — [5] Ib. 14. — [6] Ibid. 15. — [7] Ibid. 16. — [8] Ibid. 17.

bat : « Ego vidi deos ascendentes e terra[1]. » At vero vitam Abrahæ et Prophetarum non apprehenderunt, ac ne apprehenderunt quidem Deum Abrahæ, et Isaac, et Jacob Deum non esse ipsorum mortuorum, sed viventium[2] : ac veluti suspicantes mortuos esse Prophetas, fabricantur illorum sepulchra[3] ; hanc etiam ob causam miseri habiti. Etiam igitur si Abraham mortuus fuerit, revixit in posterum non amplius visurus mortem : ab eo enim tempore quo vidit Jesu diem, exultavit et gavisus est. Atque etiam ob hanc causam arbitror Servatorem docentem Abraham vivere, cum dixissent : « Abraham mortuus est[4], » mox intulisse : « Abra» ham pater vester exultavit ut videret diem meum, et vi» dit, et gavisus est[5]. » Quod si nolit aliquis res Abrahæ sic se habere, dicat nobis utrum qui vidit aliquando Servatoris nostri diem, et hanc ob causam exsultavit et gavisus est, [etiam mortem videat ; an qui Servatoris nostri diem vidit, et exultavit, atque gavisus est] dignatus tali visione, tanquam ipsa dignus, postea privatus fuit ea re quam viderat. Nam si utrumque horum absurdum est, cum Abraham vidit Jesu diem, cum ipso pariter videre audivit etiam sermonem ipsius et servavit, nec amplius mortem videt ; nec recte Judæi dicebant : « Abraham mortuus est, » perinde quasi ipse etiam tum in morte esset. Simile etiam de Prophetis dices : nam si Deus non est mortuorum, sed viventium[6], est ut est Abraham, et Isaac, et Jacob Deus, sic etiam est cæterorum Prophetarum Deus, vivunt etiam Prophetæ ; ut qui servaverunt etiam sermonem Filii Dei, quando sermo factus est ad Oseam[7], vel sermo factus est ad Jeremiam[8], vel sermo factus est ad Esaiam[9] : nec enim alius sermo ad aliquidem horum factus est, præterquam Sermo ille qui

[1] 1 Reg. xxviii, 13. — [2] Matth. xxii, 32. — [3] Id. xxiii, 29. — [4] Joan. viii, 52. — [5] Ibid. 56. — [6] Matth. xxii, 32. — [7] Ose. i, 1. — [8] Jer. xiv, 1. — [9] Isai. ii, 1.

erat in principio apud Deum[1], Filius ipsius Dei Sermo; quem, si quis alius, Prophetæ in primis servaverunt, qui etiam, ex quo acceperunt sermonem, mortem amplius non viderunt. Æque igitur falsum est, « Nunc cognovimus quod » dæmonium habes[2], » atque hoc, « Abraham mortuus est, » et Prophetæ, » quod dixerunt Judæi. Neque enim agnoverant dæmonium habere eum qui imperabat dæmoniis; nullus enim cognoscit quod non est : neque Abraham et Prophetæ in morte amplius erant, quando dicebant Judæi : « Abraham mortuus est, et Prophetæ. » Deinde quærimus cur tandem, cum dixisset Servator de quocumque qui sermonem ipsius servat, « Mortem non videbit in æternum, » idque exigeret uti Judæi post illa verba quæ antea examinavimus, consequenter his verbis : « Mortem non videbit in » æternum[3], » dicerent : « Et tu dicis : Si quis sermonem » meum servaverit, mortem non videbit in æternum, » illi non hoc faciant, sed respondeant quod Servator non dixerit. Neque enim dixerat Servator : « Si quis sermonem meum » servaverit, mortem non gustabit in æternum[4], » quod isti proferunt tanquam a Domino nostro dictum. Et vide an quia differentia sit inter videre mortem et gustare mortem, a cæteris pariter Evangelistis dictum fuerit, eos qui prope Jesu essent non gustaturos mortem, quoad usque vidissent Filium hominis venientem in regno suo. Matthæus quidem sic habet : « Amen dico vobis : sunt quidam hic stantes, qui » non gustabunt mortem, donec viderint Filium hominis » venientem in regno suo[5]. » Marcus vero : « Amen dico » vobis : sunt quidam inter eos qui hic stant, qui non gus» tabunt mortem donec viderint regnum Dei venisse cum » potentia[6]. » At Lucas sic : « Vere sunt quidam hic stan» tes, qui non gustabunt mortem donec videant Filium

[1] Joan. I, 2. — [2] Id. VIII, 52. — [3] Ibid. 51. — [4] Ibidem, 52. — [5] Matth. XVI, 28. — [6] Marc. IX, 1; al. VIII, 39.

» hominis venientem in gloria sua[1]. » Ut enim in corpore diversi sunt sensus, gustus et visus; sic juxta sensus qui a Salomone divini dicuntur[2], alia erit animæ potentia, quæ vim videndi habet et contemplandi; alia, quæ gustandi et adipiscendi qualitatem eorum ciborum qui animo percipiuntur. Et quoniam quatenus Dominus panis est vivus qui e cœlo descendit[3], sub gustum cadit, nutriens animam; cadens etiam sub visum, quatenus sapientia est, cujus pulchritudinis amatorem se esse fatetur ille qui dicit : « Amator factus sum illius pulchritudinis[4] ; » nobis etiam illud præcipiens : « Ama eam, et servabit te[5] : » hanc ob causam in Psalmis dictum est : « Gustate, et videte quod suavis est » Dominus[6]. » Et ut Dominus sub gustum et sub visum cadit, sic etiam adversaria ejus mors sub gustum et sub visum cadit. Mortem sub gustum cadere illud docet : « Sunt » quidam hic stantes, qui non gustabunt mortem[7], » et quæ sequuntur; quod vero sub visum etiam cadat, illud : « Si » quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in » æternum[8]. » Proinde gustat mortem, nec solum gustat, verum etiam morte veluti cibo expletur qui contraria verbis vitæ æternæ profert. Promissio etiam est neminem stantem in loco qui mente cernitur, quem demonstrat Jesus, gustaturum mortem. Observa enim tres Evangelistas dixisse pariter : « Sunt quidam hic stantes; *vel :* Sunt quidam » qui hic steterunt : » de quibus etiam scripserunt quod gustaturi non essent mortem donec vidissent Filium hominis venientem in regno suo, vel in gloria sua, vel donec vidissent regnum Dei advenisse cum potentia. Et quoniam, quasi fieri possit ut qui stat cadat, dictum est : « Qui stare se » existimat, videat ne cadat[9], » hanc ob causam observa

[1] Luc. IX, 27. — [2] Sap. VII, 7. — [3] Joan. VI, 51. — [4] Sap. VIII, 2. — [5] Prov. IV, 6. — [6] Psal. XXXIII, 9. — [7] Matth. XVI, 28. — [8] Joan. VIII, 52. — [9] 1 Cor. X, 12.

non de omnibus stantibus, sed de quibusdam scriptum fuisse : « Amen dico vobis, sunt quidam hic stantes[1]. » Atque stans quidem aliquis non gustat mortem, nimirum servans illud stare : qui vero sermonem perceperit et servat, mortem non videbit. Quamobrem si differentia quædam est gustandi mortem et videndi mortem, Judæi veluti auditores parum intelligentes confundentesque Domini sermonem, pro eo quod est, « Non videbit mortem, *dixe-* » *runt,* Non gustabit mortem, » verbo delapsi in sensum deteriorem. Quæres etiam numquid quemadmodum dicimus videre mortem, et gustare mortem, ita etiam sit in cæteris sensibus, vel audire mortem, vel odorare mortem, vel tangere mortem; et si manus Apostolorum contrectaverunt de verbo vitæ[2], numquid manus Pseudoapostolorum et operariorum dolosorum, qui transfigurantur in Angelos justitiæ[3], contrectaverint de verbo mortis; et si oves Christi audiunt vocem ejus[4], numquid etiam quæ non sunt ejus oves, ad quos dicitur : « Vos non estis ex » ovibus meis[5], » audiant vocem mortis. Proinde vide ne forte etiam sit odor mortis in his vibicibus, quæ ex peccato proveniunt, de quibus dictum est : « Fœtuerunt, et cor» ruptæ sunt vibices meæ[6] : » et odor mortis in Lazaro, antequam a mortuis resurgeret; quem nolentes odorare Apostoli dicebant Servatori : « Domine, jam fœtet; qua» triduanus enim est[7]. » At vero quod ad mortis odorem attinet, qui mente cernitur, et ad odorem vitæ, Apostolicum illud observemus necesse est : « Christi bonus odor » sumus Deo in omni loco : in his qui servantur, et in his » qui pereunt; istis quidem odor mortis in mortem, illis » vero odor vitæ in vitam[8] : » bonus enim odor Christi

[1] Matth. XVI, 28. — [2] 1 Joan. I, 1. — [3] 2 Cor. XI, 13, 15. — [4] Joan. X, 27. — [5] Ibid. 26. — [6] Psalm. XXXVII, 6. — [7] Joan. XI, 39. — [8] 2 Cor. II, 15, 16.

sunt in omni loco, et haudquaquam malus odor, homines in Christo. Verumenimvero quoniam ut corporalis bonus odor animalia quædam perimere dicitur; sic etiam, propter præcedens vitium, bonus Christi odor his qui sunt ex morte fit in mortem ipsorum, cum interim his qui sunt ex vita fiat in vitam. Hæc nobis visa sunt esse adjacentia disputationi de gustando mortem, vel de videndo mortem. Post hæc [Judæi] non videntes quantum præstaret Christus Patriarchis et Prophetis, ac ne Messiam quidem esse credentes talia tantaque docentem, addubitant dicentes : « Num tu » major es patre nostro Abraham, qui mortuus est [1] ? » Non vident autem quod qui genitus est ex Virgine non solum Abrahamo ipso, verum etiam quocumque ex mulieribus genito sit major; itemque omnibus Prophetis, prophetatus ab ipsis; atque omnibus qui mortui fuerint, quia ipsos vivificaverit : nec hoc, quia seipsum talem fecerit, sed quia isthuc a Patre acceperit. « Ut enim Pater vitam habet in » semetipso, sic dedit etiam Filio, ut vitam habeat in se» metipso [2] : » Filio non valente a seipso facere quidquam [3], nec quærente voluntatem suam facere, sed ejus qui misit illum [4]. Dicunt etiam : « Quem teipsum facis [5] ? » quippe qui non viderant vocem ejus : quoniam non seipsum fecerat Jesus quod est : quam ob causam etiam videtur mihi ad hoc respondere, docens quis ipsum fecisset id quod erat : « Si ego glorifico meipsum, gloria mea nulla est ; est Pater, » qui me glorificat [6]. » .....

[1] Joan. VIII, 53. — [2] Id. V, 26. — [3] Ibid. 19. — [4] Ibid. 30. — [5] Id. VIII, 53. — [6] Ibid. 54.

TOMUS VIGESIMUS OCTAVUS[1].

§ I.

De Lazaro.

Deest principium.

« Dicit[2] Jesus : Tollite lapidem[3]. » Quoniam hoc in loco superimpositum speluncæ lapidem non ipse Jesus tollit, sed dicit : « Tollite lapidem ; » in Genesi vero, ubi lapis erat ingens super ore putei, et ubi congregabantur omnes greges, et revolvebant lapidem ab ore putei, et collecti potum præbebant ovibus, et rursum restituebant lapidem super ore putei in locum suum[4]; et ubi (quia nondum hoc factum fuisset, propterea quod nondum congregata fuissent jumenta) Jacob intuitus Rachelem filiam Laban fratris matris suæ, et oves Laban fratris matris suæ, cum accessisset ipse revolvit lapidem ab ore putei, et potum præbuit ovibus Laban fratris matris suæ[5] : volumus utrosque lapides inter se conferre, ut quod consentaneum est rationi consideremus : nempe quare hoc in loco non ipse Jesus sustulerit a spelunca lapidem, sed dixerit : « Tollite lapidem ; » in Genesi vero ipse Jacob revolverit lapidem ab ore putei. Et animum adhibe an dicere possimus non oportuisse ut Jesus tangeret lapidem speluncæ superimpositum, quoniam spelunca monumentum erat, sed præcipere tantum his qui muneri obeundo præerant, ut tollerent lapidem ; justum vero esse ut ipse Jacob hunc superpositum ori putei, et

[1] Tom. IV, p. 369 et seqq. — [2] N. 2-6. p. 370-379.
[3] Joan. xi, 39. — [4] Gen. xxix, 2, 3. — [5] Ibid. 10.

obstantem quominus oves biberent (a quibus futurum erat ut adjuvarentur nobilia, et pars Jacob) acciperet; cumque ad hunc lapidem accessisset, revolveret eum ab ore putei, ut potum daret ovibus Laban fratris matris suæ. Ac profecto opus erat ut ad puteum ipse accederet Jacob, extra speluncam vero staret Jesus. Vide vero an inspicere possis quamobrem superpositus speluncæ lapis non revolvatur, sed tollatur; a puteo autem non omnino tollatur, sed revolvatur. Oportebat quidem omnino a monumento lapidem tolli, nec rursum volvi; alterum vero revolvi tantum a puteo: superius enim dictum est quod.................................. gloriam Dei, considerantes magnitudinem ejus fidei, quæ est ad justitiam, credamus. Quod si aliquis ex eorum numero qui se credidisse existimant, nondum gloriam Dei vidit, is discat se argui non credidisse, eo quod nondum vidit gloriam Dei: mentiri etenim ille non novit, qui non solum uni Marthæ, verum etiam cuicumque dicit: « Si cre» dideris, videbis gloriam Dei [1]. »

« Sustulerunt ergo lapidem [2]. » Ut lapis speluncæ impositus tardius tolleretur, soror defuncti fecit: quæ veluti his quibus jusserat Jesus dicens: « Tollite lapidem [3], » obstitit, cum dixisset: « Jam fœtet; quatriduanus enim est: » et sane ni coërcita fuisset Marthæ infidelitas, dicente illi Jesu: « Nonne dixi tibi quod si credideris videbis gloriam Dei [4]? » haudquaquam qui audierant: « Tollite lapidem, » sustulissent lapidem. Age enim ponatur, cum diceret Jesus: « Tol» lite lapidem [5], » defuncti sororem nec respondisse, nec dixisse: « Jam fœtet; quatriduanus enim est, » quid secuturum fuerat, quia scriptum fuisset: « Dicit Jesus: Tollite » lapidem, » nisi: « Sustulerunt igitur lapidem [6]? » Nunc autem quæ dicuntur a sorore defuncti, inter hoc dictum:

[1] Joan. xi, 40. — [2] Ibid. 41. — [3] Ibid. 39. — [4] Ibid. 40. — [5] Ibid. 39. — [6] Ibid. 41.

« Tollite lapidem, » et inter illud : « Sustulerunt igitur la» pidem, » impedimento fuere quominus tolleretur lapis. Ac ne ullo quidem modo, etiam si sero, sublatus fuisset, nisi respondens Jesus ad illius incredulitatem dixisset : « Nonne » dixi tibi quod si credideris videbis gloriam Dei ? » Quamobrem bonum est, si cum quid cuique jusserit Dominus, is nihil interposuerit inter ejus jussionem et operis impletionem : opinorque sane ei qui ejusmodi est convenire ut se imitatorem Christi factum esse dicat. Ut enim Christo « dixit » Deus, et facta sunt ; mandavit, et creata sunt [1] : » sic fideli cum dixit Christus, fidelis fecit ; cum Christus mandat, ille mandatum implevit, nihil moræ interponens : vel sibi damnificus erit inobedientia, quia intercedat tempus inter imperium et imperii expletionem. Existimare enim debemus tempus illud quod interponunt aliqui, postea mandata facientes, tempus esse inobedientiæ præcepti. Hanc etiam ob causam qui jubetur a patre in Evangelii parabola proficisci in agrum et operari [2], quia non confestim fecit, sed quando pœnitentia motus abiit, non fecit voluntatem patris per id tempus quod intercessit, antequam pœnitentia moveretur. Quocirca memores simus necesse est illius dicti : « Ne » percuncteris reverti ad Dominum, neque differas de die » in diem [3] ; » et illius : « Ne dixeris : Rediens redi et cras » dabo tibi, cum possis beneficium conferre [4]. » Itaque necessario nobis existimandum est accusationem esse Marthæ, quod tardius scriptum fuerit : « Sustulerunt igitur lapi» dem [5] ; » cum alioquin res postularet ut cum dixisset Jesus : « Tollite lapidem [6], » deinceps sequeretur : « Tulerunt ergo » lapidem. »

« At Jesus sustulit oculos sursum, et dixit [7] » quæ scripta sunt. De oculis Jesu, deque eorum habitu erga quosdam,

[1] Psal. xxxii, 9. — [2] Matth. xxi, 28, 29. — [3] Eccles. v, 8. — [4] Prov. iii, 28. — [5] Joan. xi, 41. — [6] Ibid. 39. — [7] Ibid. 41.

diligens observatio inquisitioque est adhibenda. Verbi gratia, in Evangelio Lucæ dicturus beatitudines, hisque conjunctam doctrinam, « elevatis oculis in discipulos suos dicebat [1] : » nunc autem « sustulit oculos suos sursum, et » dixit : » a primo namque dicto monemur discipulos suos inferne non esse ; quam ob causam elevantur magistri oculi in eos in quos dignum erat ut suos ipse oculos attolleret. Hoc autem quod nunc tractamus edocemur Jesum intelligentiam humanam transtulisse a consuetudine quam habebat cum his qui inferne degebant, eamque in sublime elevasse et exaltasse, evehens eam per precationem ad Patrem super omnia existentem. Quinetiam Paulus cum sui similibus (quandoquidem imitator Christi est [2]) exemplo et imitatione precationis Christi precaturus, necessario attollere debet oculos animæ sursum, eosque abducere a rebus præsentibus, nempe a memoria, a considerationibus, atque cogitationibus, sicque Deo dicere precationis verba magna, eaque cœlestia, de rebus magnis, deque supercœlestibus. Verum si quis opposuerit Publicanum, qui ne oculos quidem attollere voluerit, quique percusserit pectus suum dicens : « Deus, propitius esto mihi peccatori [3], » huic est respondendum : quemadmodum neque omnibus neque semper assumendus est dolor qui est secundum Deum [4], quique operatur pœnitentiam ad salutem haud pœnitendam, sed ei soli et omni qui dignum aliquid tali dolore commiserit, ob eumque dolorem resipuerit (isque sane assumendus est cum mensura et non exuberans, ne exuberantiori dolore absorbeatur a Satana [5]) ; ita fortassis non convenire ut velint omnes semper attollere oculos, ut etiam non convenit semper stare procul. Cæterum unusquisque seipsum de rebus hujuscemodi judicet probetque homo, et sic non

[1] Luc. VI, 20. — [2] 1 Cor. IV, 16, et XI, 1. — [3] Luc. XVIII, 13. — [4] 1 Cor. VII, 10. — [5] 2 Cor. II, 7. — [6] 1 Cor. XI, 28.

solum ex illo pane comedat et ex calice bibat, verum etiam oculos elevet, superne eos attollens, precemque fundat subjiciens seipsum Deo, humiliansque illi. Quod si existimamus quomodocumque viventi licere, perinde ac Publicano, nolle oculos ad cœlum levare, commode dicemus volenti levare oculos suos, itidem ei standum esse procul a templo, quod quale aliud erit, nisi Ecclesia Dei viventis? quæ etiam a Paulo dicitur domus Dei, dum dicit: « Quod si tardius venero, ut noris quomodo oporteat te in domo Dei versari, » quæ est Ecclesia Dei viventis, columna et basis veritatis[1]. » Ut igitur non decet omnem uti illo pane et bibere ex illo calice, et esse procul a domo Dei et ab Ecclesia, sic non decet omnem nolle elevare oculos. Peccat autem aliquis si, cum deceat eum levare oculos, non levat eos : rursumque itidem peccat si, cum eum dedeceat levare oculos, eos levat. Atque Publicanus quidem in Evangelio nec oculos levare volebat[2], decenter faciens, quos jure levaret discipulus Jesu assistens, cui etiam mandatum datur dicens : « Attollite oculos vestros, et contemplamini regiones, quoniam albæ jam sunt ad messem[3]. » Quin Propheta quoque inquit : « Levate in altum oculos vestros[4] : » et in Psalmo CXXII, qui Graduum est cantus quartus, tanquam qui decenter levaverit oculos suos ad Deum, inquit Propheta : « Ad te » levavi oculos meos, qui habitas in cœlo. Ecce sicut oculi » servorum ad manus dominorum suorum, et sicut oculi » ancillæ ad manus dominæ suæ, ita oculi nostri ad Domi» num Deum nostrum, donec misereatur nostri[5]. » Quod si apertius etiam docere opus est quem quidem deceat imitari Jesum superne oculos attollentem, dum etiam ipse attollit oculos suos; et quisnam hoc facere non debeat, sed Publicani imitatione, non solum procul a templo stare, verum

[1] I Tim. III, 15. — [2] Luc. XVIII, 13. — [3] Joan. IV, 35. — [4] Isai. XL, 26. — [5] Psalm. CXXII, 1, 2.

etiam non velle oculos attollere, in medium adducemus ex Daniele quæ scripta sunt de iniquis senibus amatoribus Susannæ, hunc in modum se habentia : « Et averterunt mentem suam, et declinarunt oculos suos, ne in cœlum suspicerent, neque memores essent judiciorum justorum [1]. » Adducemus etiam in medium quæ de Susanna scribuntur hoc modo dicta : « At illa flens suspexit in cœlum, quoniam » cor ejus fidebat Domino [2]. » Observa enim in istis, quod qui averterant mentem suam declinarunt oculos suos, ne in cœlum suspicerent; ea vero quæ Domino fidebat, consequenter fiduciæ quam habebat in Domino, suspexerit in cœlum. Decebat enim precaturam, ob fiduciam continentiæ, suspicere in cœlum superneque oculos attollere : seniores vero decebat nolle oculos levare, atque etiam procul, perinde ac Publicanus, stare, verberareque pectora sua, et dicere : « Deus, propitius esto mihi peccatori [3] ; » si supponatur, postquam averterant mentem suam, declinaverantque oculos suos ne suspicerent in cœlum neque recordarentur justorum judiciorum, eos resipuisse, atque post dolum intentatum mulieri, impotes facti factos precari. Cæterum erigentis oculos sursum, eosque decenter erigentis in cœlum officium quoque erit sustollere manus sanctas, præsertim quando absque ira et disceptationibus emittit precem [4]. Sic enim nostris etiam oculis sursum per cogitationem et contemplationem erectis, atque etiam manibus ipsis erectis per actiones sustollentes atque exaltantes animam, Moseos more ita sustollentis manus [5] ut etiam diceret, « Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum [6], » Amalecitæ et omnes invisibiles inimici vincentur; Israëlitæ vero, nempe cogitationes nostræ, vincent. Hactenus de eo quod est : « Sustulit oculos Jesus sursum, et dixit [7], »

[1] Dan. XIII, 9. — [2] Ibidem, 35. — [3] Luc. XVIII, 13. — [4] I Tim. II, 8. — [5] Exod. XVII, 11. — [6] Psalm. CXL, 2. — [7] Joan. XI, 41.

in quem locum diximus quæ nobis sunt visa conducere.

« Pater, gratias ago tibi quoniam audisti me. Ego autem » sciebam quod semper me audis; sed propter turbam quæ » circumstat dixi, ut credant quod tu me miseris [1]. » Si orantibus viris probis in carne viventibus, nec secundum carnem militantibus [2], tale quiddam promisit Deus pro eorum prece : « Etiam adhuc loquente te, dicam : Ecce adsum [3], » quid censendum est de Servatore et Domino? nonne hoc : « Antequam loquaris tu, dicam : Ecce adsum?» simul enim « sustulit oculos sursum et dixit. » Quid dixit? si fieri potest ut conjectemus in talibus, consequenter huic dicto : « Ante» quam loquaris tu, dicam : Ecce adsum, » ut majus sit quod dicitur ad Servatorem, quam quod scriptum fuerit in promissione quæ est ad sanctos, nempe : « Adhuc te loquente, » dicam : Ecce adsum [4]. » Quid, inquam, dixit? Proposuerat Servator precari, sed præoccupante illius precationem illo qui ei dixerat : « Antequam loquaris tu, dicam : Ecce ad» sum, » pro precatione quam animo conceptam dicturus erat Patri, qui præoccuparat preces, gratias agit; et (perinde quasi exauditus fuisset) propter ea quæ animo tantum conceperat, non tamen protulerat, precando inquit : « Pater, gratias ago tibi quod audisti me [5]. » Precaturus ergo erat pro Lazari resurrectione, et præoccupans illius precationem solus ille bonus Deus et Pater [6], audivit quæ dicenda erant in precatione, pro quibus in frequenti auditorio circumstantis ipsum turbæ, precum vice remittit gratiarum actionem Servator : duo pariter faciens, et gratias agens pro his quæ de Lazaro assecutus fuerat, et circumstantem sibi turbam confirmans. Volebat enim Jesus ut hi admitterent se a Deo missum, ad hanc vitam advenisse. Agnovit autem se exauditum, quoniam spiritu norat Lazari

[1] Joan. XI, 41, 42. — [2] 2 Cor. X, 3. — [3] Isai. LVIII, 9. — [4] Ibid. — [5] Joan. XI, 41. — [6] Matth. XIX, 17.

animam remissam ab animarum loco, corpori ejus restitutam. Nec enim censendum est quod Lazari anima adesset corpori post suum excessum, et quod quasi celeriter præsens, cum clamasset Jesus dixissetque : « Lazare, prodi foras[1], » audierit, conjunctaque corpori fuerit. Alioquin si quis hoc de Lazari anima suspicatur, absurditatemque admittat de anima a corpore liberata, perinde quasi mortuo assideat, dicat quomodo auditus fuerit Jesus a Patre, manente adhuc mortuo Lazari corpore, et anima quidem separata (ut aliquis eorum qui hoc asserunt diceret), assidente autem corpori. Ut enim hoc concedatur, non tamen Jesum auditum esse dicere possumus, si audiendus erat, quod anima in corpore versaretur. Simile opinor factum fuisse quando archisynagogi suscitavit filiam, precibus etiam pro hoc habitis[2]. Petiit enim ut rediret anima inhabitaretque corpus rursum. Cæterum an simile sit, necne, quod attinet ad viduæ filium qui efferebatur[3], inquires tu ipse, ut invenias consequentiam locorum omnium : nec enim alioquin tales digressiones decet nos facere. Fortasse vero cognovit etiam Jesus, talis tantusque, Lazari animam ipsam, vel adductam ab his quibus hoc opus obeundum præceptum fuit, vel ab ipsa paterna voluntate quæ Jesum exaudierat : qui cum vidisset ipsam ingredientem per locum unde ablatus erat lapis, dixit : « Pater, gratias ago » tibi quod audisti me[4]. » Sed quoniam antehac alia etiam innumera petierat et fuerat consecutus, hanc ob causam non propter Lazarum modo, sed etiam propter alia priora gratias agit dicens : propter Lazarum quidem : « Pater, gratias ago tibi quod audisti me ; » propter priora vero : « Ego » autem noram quod semper me audis : id quod totum » dixi, *inquit*, turbæ circumstantis causa, ut credant quod

[1] Joan. XI, 43. — [2] Luc. VIII, 54. — [3] Idem, VII, 12. — [4] Joan. XI, 41.

» tu me miseris[1]. » Sed de hoc contextu, ac Lazari resurrectione, hactenus quidem. Cæterum sensus hujus loci anagogicus, ex his quæ explicuimus haud est difficilis. Petiit enim Jesus ut qui peccaverat post amicitiam quam erga se habuerat, mortuus factus Deo, divina virtute rediret denuo ad vitam; votique compos factus est, viditque in hujusmodi homine vitales motus, pro quibus gratias agit Patri. Circa hujuscemodi autem mortuum stabat turba nondum credentium Jesum a Deo missum fuisse, nec Sermonem hunc divinitus ad homines accessisse. Atque utinam hæc turba circumstans miretur quod aliquis adeo fœtidus factus ob peccata ad mortem, mortuusque virtuti, denuo ad vitam redierit; cumque mirata fuerit, credat Sermoni ipsam aliquando vivificaturo, quod divinitus ad homines advenerit.

« Et hæc cum dixisset, voce magna clamavit : Lazare, » veni foras : et prodiit qui mortuus fuerat, manus et pedes » habens revinctos fasciis funereis : et facies illius sudario » erat obvincta. Dicit eis Jesus : Solvite eum et sinite » abire[2]. » Precaturus Jesus cum sustulisset oculos, exauditus fuit, et precum loco gratias egit, quia diligenter perspexisset Lazari animam corpus ingressam fuisse, egentem superventura sibi (ob jussionem Jesu) strenuitate et vigore ad exeundum e monumento. Quocirca postquam Patri gratias egisset, voce magna clamavit, robur impositura in Lazaro, magna voce opus habente, quia nondum acumine præditus esset audiendi clamorem invitantem se extra monumentum. Atque hoc sane opus dignum Jesu esse dicendum est, ut non solum pro mortui vita oret, verum etiam in illo insonet, vocetque illum in monumento existentem et in spelunca ad prodeundum foras. Sed notemus necesse est aliquos etiamnum Lazaros esse, qui post con-

[1] Joan. XI, 42. — [2] Ib. 43, 44.

tractam cum Jesu amicitiam infirmati sunt et periere; qui etiam in monumento et in mortuorum loco manserunt cum mortuis mortui, et postea oratione Jesu, qui illos e monumento ad prodeundum foras voce sua magna vocavit, vivificati : cui qui paret, egreditur vinculis mortificatione dignis ob priora peccata circumdatus; et faciem etiamnum obvinctam habens, neque videns, neque ambulare valens, neque aliquid operari propter mortificationis vincula, donec Jesus jusserit solventibus eum, penes quos etiam facultas est sinendi eum abire. Et sane quisquis dicere valet : « An » experimentum quæritis in me loquentis Christi[1]? » is tentet talis fieri, ut sibi Christus voce magna clamans dicat : « Lazare, prodi foras[2] : » sibi, inquam, qui postquam mortuus fuit, invocavit quidem, sed non acute; et idcirco etiam opus habebat Jesu clamore. Proinde cogita eum qui a Christo recessit, ad gentilem relapsus vitam post acceptam veritatis cognitionem, et postquam illuminatus fuerit gustaveritque donum supercœleste, particeps factus Spiritus sancti, atque gustaverit bonum Dei verbum virtutesque futuri sæculi[3]; cogita, inquam, talem in inferno esse cum umbris et mortuis, in loco ac regione mortuorum et monumentis. Simul atque igitur pervenerit Jesus ad hujuscemodi hominis monumentum, et extra illud stans pro tali oraverit et exauditus fuerit, postulans illius voci, illius sermonibus innasci robur, voce magna clamat illum quem sic adamabat ad ea quæ procul absunt a Gentilium vita, et a monumento atque spelunca eorum vocans : quando Jesu sectatori licet agnoscere quonam pacto talis propter Jesu quidem vocem prodeat, sed adhuc suorum peccatorum spiris ligatus et strictus, atque ob pœnitentiam quidem atque quia audierit Jesus vocem vivens; sed nec pedibus (quia nondum liberatus sit peccati vinculis) liberis ingredi,

[1] 2 Cor. XIII, 3. — [2] Joan. XI, 43. — [3] Hebr. VI, 4, 5.

nec res eximias libere operari valens, manus et pedes revinctos habens vinculis mortuorum sepulchralibus. Ac talis profecto propter in se existentem mortificationem, præter vincula etiam manuum et pedum, faciem quoque ignorantia coopertam et obvinctam habet. Deinde quoniam non tantum voluit Jesus hunc vivere, nec amplius in monumento manere, extra monumentum cum venisset Lazarus ligatam (ut superius dictum est) faciem habens atque impeditus, quatenus ligatus erat, e monumento prodire, dicit illis qui huic muneri obeundo idonei erant Jesus : « Solvite eum et » sinite abire[1]; » existimo quod non approbans rationem conversionis, postquam peccaverat; nec adhuc valens juxta illam vivere, quod detinerentur animæ illius potentiæ (nempe eundi, operandi et contemplandi), talis prodiit e monumento adhuc manus et pedes revinctos habens fasciis sepulchralibus, faciemque suam sudario obvinctam. Sed postquam dicente Jesu Christo tanquam Domino : « Solvite eum » et sinite abire, » his qui solvere illum poterant, ob jussionem Jesu solutus fuit pedibus et manibus, ac deposuit quod impositum faciei suæ operimentum fuerat, instituit iter tale ut etiam ipse eo perveniat ut sit unus ex accumbentibus cum Jesu.

Adhuc[2] quæro an impleverit Jesus hoc dictum : « Sed » vado ut a somno excitem eum[3], » quod illi subjungitur : « Lazarus amicus noster dormit. » Itaque inspicio an forte expletum fuerit hoc dictum : « Vado ut a somno excitem » eum, » cum Jesus voce magna clamans dixit : « Lazare, » prodi foras[4]; » nam vox magna et clamor non absurde dicetur excitasse eum. Inspicio etiam an possis enuntiare in hoc magis impletum fuisse illud : « Vado ut a somno ex-

[1] Joan. XI, 43.
[2] N. 8-10. p. 380-382.
[3] Joan. XI, 11. — [4] Ibid. 43.

» citem eum, » quam cum Pater, audita Jesu precatione, Lazari animam fecit ad corpus ejus redire, quod in monumento repositum erat. Dicturus est enim aliquis Patrem cum audisset orantem Filium, Lazari animam ex mortuis excitasse, Jesum vero voce magna cum clamasset, ac dixisset : « Lazare, prodi foras, » id quod antea promiserat implesse : « Sed vado ut a somno excitem eum. » Atque hoc quidem qui astruit, differre dicens hoc dictum : « Lazarus » amicus noster dormit [1], » ab hoc : « Lazarus mortuus est, » dicet ad vocabulum *dormit,* Jesum promisisse, dicentem : [« Sed vado ut a somno excitem eum ; » et ad verbum hoc, *mortuus est,* non respondisse illud] : « Vado ut suscitem » eum ex mortuis. » At vero qui solvit discrepantiam quæ in his esse videtur, et dat Lazari ex mortuis resurrectionem commune opus fuisse tum Filii precantis, tum Patris exaudientis, utetur testimonio Domini ad Martham dicentis : « Ego sum resurrectio; et vita [2] » addetque illud etiam : « Ut enim Pater suscitat mortuos et vivificat; sic etiam » Filius quos vult vivificat [3]. »

« Multi igitur ex Judæis qui venerant ad Mariam, cum » vidissent quæ fecisset Jesus, crediderunt in eum [4]. » Et sane quemnam eorum qui demersi admodum fuere vitio, tanquam mortificatione et fœtore, quique summa mutatione facta deposuerunt (imperio et cooperatione Filii Dei), non solum multum fœtorem ex peccato contractum, verum etiam vincula vires animæ detinentia, nempe vires eundi et operandi, atque etiam præterea vim contemplandi ; quemnam, inquam, non moverunt hæc ad credendum, atque etiam ad vere credendum prædicationi Jesu? Perculsi enim qui glorificabantur se, multa diligentia adhibita, exerceri in verbo Dei, plenitudinem vero ejus non perceperant, crediderunt videntes Jesum in talibus tantum potuisse; præsertimque

[1] Joan. XI, 14. — [2] Ibid. 25. — [3] Id. V, 21. — [4] Id. XI, 45.

credituri erant qui propter mortuum et omnino desperatum, quem et ipsi deploratum habebant, ad Mariam venerant officii gratia plorantem ob fratris casum; quorum etiam causa potius quam ejus qui mortuus fuerat, cum venisset ad defuncti speluncam, « sustulit oculos sursum, et » dixit : Pater, gratias ago tibi quod audisti me : ego au» tem noveram quod semper me audis [1]. » Quod enim horum gratia magis quam Lazari hujuscemodi gratiarum actionem reddiderit, perspicuum est ex his verbis : [« Sed » propter populum qui circumstat dixi, ut credant quia » tu me misisti [2]. » Lazarus ergo ei curæ fuit], nempe propter circumstantem turbam; ut multi Judæorum qui ad Mariam venerant, quique viderunt quæ fecisset Jesus, in ipsum crederent.

Sed audi etiam de his, verum non tantum corporaliter. « Quidam autem ex eis abierunt ad Pharisæos, et dixerunt » illis quæ fecisset Jesus [3].» Nonnihil ambigui habet hic contextus, utrum qui inde ad Pharisæos concesserant dixerantque ipsis quæ fecisset Jesus, essent ex ea Judæorum multitudine qui crediderant in eum, conspectis his quæ fecisset, hoc agentes ut etiam eos flecterent qui hostili animo erga Jesum erant affecti, nuntiantes quæ Lazaro evenissent; an alii præter illos multos qui crediderant, ceu edito miraculo non moti ad credendum in Jesum, imo potius, quantum in seipsis erat, Pharisæos atque zelum malum in seipsis existentem excitantes contra Jesum per ea quæ de Lazaro nuntiabant : id quod videtur magis mihi significare voluisse Evangelista. Quocirca subjungitur : « Collegerunt igitur » pontifices et Pharisæi [4], » et quæ sequuntur. Multos igitur dicens, intellexit eos qui conspectis his quæ circa Lazarum egerat crediderant, quemadmodum pauciores dixit esse qui hujusmodi non essent, dicens : « Quidam autem

[1] Joan. XI, 41, 42. — [2] Ibid. 42. — [3] Ibid. 46. — [4] Ibid. 47.

» ex ipsis abierunt [1], » et quæ sequuntur. Adhibe vero animum his etiam quæ dicturus sum, nempe an ad hujus approbationem movere nos possit quod dictum non fuerit : Multi igitur ex Judæis, nempe hi qui venerant ad Mariam et viderant quæ fecisset Jesus, crediderunt in eum ; sed scriptum sit : « Multi igitur ex illis Judæis qui venerant ad Mariam et viderant quæ fecisset Jesus, crediderunt in eum [2]. » Moveor præsertim ob anagogen, num forte omnes [οἱ θεασάμενοι, τουτέστι θεωρήσαντες καὶ συνιέντες, hoc est] qui viderant, et contemplati fuerant, et intellexerant quæ fecisset Jesus, crediderint in eum ; cum contra de his qui abierunt ad Pharisæos et dixerunt illis quæ fecisset Jesus, non dicatur quod viderint et contemplati fuerint. Et fortasse quia laudi datur his qui crediderunt vocabulum videndi, seu contemplandi, hi qui abierunt ad Pharisæos non habent vocabulum videndi, seu contemplandi. Quandoquidem si etiam hi qui in eum crediderunt contemplati fuissent, scriptum esset quosdam ex his ad Pharisæos concessisse, dixisseque ipsis quæ contemplati fuissent fecisse Jesum, vel se contemplatos fuisse quod fecisset Jesus : nunc autem vocabulum contemplandi haudquaquam dictum est de hisce, sed de his qui crediderant, et venerant etiam ad Mariam et viderant quæ fecisset Jesus ; propter quos etiam opinor eum dixisse : « Sed propter circumstantem turbam » dixi, ut credant quod tu me miseris [3]. » Pariter etiam huc mentem adhibe, num possis eos solos qui ad Mariam venerint, quique contemplati fuerint quæ fecisset Jesus, quique in ipsum crediderint, dicere (quia multi essent) fuisse turbam circum Jesum stantem ; cujus causa dixit illud : « Pater, gratias ago tibi quoniam audisti me ; ego autem sciebam quod semper me audis [4]. » Nam si hæc dixit turbæ circumstantis causa, ut crederent quod Pater illum misis-

[1] Joan. XI, 46. — [2] Ibid. 45. — [3] Ibid. 42. — [4] Ibid. 41, 42.

set, et propter hoc loquens dixit ut turba circumstans credat, haudquaquam ad Patrem locuturus fuerat, perinde atque aliquis homo futurorum ignarus, si futurum erat ut aliquis ex ipsis non crederet : « Sed propter turbam circum- » stantem dixi, ut credant quod tu me misisti[1]. » Proinde vide ne forte qui venerant ad Mariam, et contemplati fuerant quæ fecerat, et crediderant in eum, soli sint turba circumstans Jesum; cæteros vero neque contemplatos fuisse quæ fecerat Jesus, neque circa eum stetisse.

§ II.

De insidiis Pharisæorum et Caïaphæ prophetia.

« Collegerunt[2] ergo pontifices et Pharisæi concilium, ac » dicebant : Quid facimus, quia hic homo multa signa edit? » si permiserimus eum sic, omnes credent in eum; ve- » nientque Romani et tollent tum locum nostrum tum » gentem[3]. » Quod attinet ad contextum, Pharisæi et pontifices videbant facillimum factu esse ut, ob magnitudinem prodigiorum ac virtutum quas fecisset Jesus, totus Judæorum populus traduceretur ad credendum in eum, et traductus despiceret cultum illius loci corporalem, tum leviticum, tum sacerdotalem : adeo ut res hujuscemodi prætextus fieret, quia non foverent Judæi locum, ut Romani haberent, causa Servatoris, tum locum dictum, quod ab illis plurimi fiebat, tum gentem Judæorum totam nolentium omnino servare confessionem quod essent Judæi ipsi. Deinde quoniam cultum divinum, et locum, et gentis multitudinem omnibus præferebant quæ præ his majoris esse momenti censebantur; hanc ob causam consilium agitant contra Jesum, ne sinant eum vivere. Arbitrorque eos simili modo dixisse : « Hic homo[4], » tanquam ad destruendam

[1] Joan. xi, 42.
[2] N. 11-17, p. 382-397.
[3] Joan. xi, 47, 48. — [4] Ibid. 47.

gloriam ejus : nec enim credebant his quæ superius dixerat (nempe quod esset ipse Deus), cum lapidare eum voluerunt tanquam pro blasphemia; dicentes illi : « Tu homo » cum sis, facis teipsum Deum[1] : » quando etiam sua benignitate respondit, docens omnem ad quem sermo Dei factus est, dici Deum a Deo; cum non valeat solvi vel dissolvi Scriptura Prophetica quæ hoc enuntiat. Licet etiam ex his quæ Pharisæi et pontifices dixerunt, considerare illorum apertam malitiam et cæcam : apertam quidem, quoniam attestabantur illi eum multa fecisse signa, posseque huic qui tot signa egerat insidias strui; perinde quasi sui causa nihil posset contra factas sibi insidias : id quod ipsum etiam nihilominus cæcitatis erat, cum ejusdem esset qui multa fecisset miracula, insidias etiam superare nolentium eum sic dimittere. Nisi forte credebant eum facere miracula, et item suspicabantur ea non fieri virtute divina, ita ut hanc ob causam omnia ipse non posset, neque se eripere ex illorum insidiis. Atque illi quidem cogitabant non dimittere eum, existimantes futurum ut hanc ob causam impedimento essent credentibus in eum et Romanis qui ablaturi erant ab eis tum locum tum gentem. Verum quia « Dominus dissipat concilia gentium, et reprobat cogita- » tiones populorum [2], » nihilominus etiamsi non dimiserunt eum, et Deus eum excitavit, et dimisit, et omnes gentes servierunt ei, et Romani venientes tulerunt illorum locum : (ubi enim quod illi vocant, Sanctuarium?) atque etiam tulere gentem, ablatis illis e loco; vix concedentes illis stare ubi vellent, etiam in dispersione. Quod si audere necesse est in sensum anagogicum horum verborum, dicemus horum qui ex circumcisione sunt locum Gentes accepisse, quia « illorum lapsu salus venerit Gentibus, quo ipsis *Ju- » dæi* æmularentur[3], » et pro Gentibus Romanos fuisse

[1] Joan. x, 33, 35. — [2] Psalm. xxxii, 10. — [3] Rom. xi, 11.

dictos; hoc est, pro subditis, eos qui rerum potiebantur: proinde gens a Gentibus ablata fuit; qui enim populus non erat factus est populus[1]; et qui ex Israël erant non amplius sunt Israëlis; quique semen erant eo non pervenerunt ut filii fierent. Quarum rerum causa multa fuere Jesu miracula; et quia dimisit illum Pater superiorem factum pontificum et Pharisæorum, qui concilium adversus eum collegerant, concilio. At vero pontifices et totus Judæorum corporalis cultus, Pharisæique et tota Legis doctrina, juxta litteram insidias molitur veritati (Jesu), vultque figuram subsistere, veritatis manifestationem impediens; et non secus ac caro, etiam hanc ob causam concupiscit adversus spiritum[2]. Sed fortior cum sit spiritus concupiscens adversus carnem, et verus Servatoris nostri principatus sacerdotii spiritualisque illius doctrina, pontificum Pharisæorumque concilium adversus eum insidias struentium dissolvit. Hæc autem etiamnum fieri censendum est, ut est cernere in his qui spiritualem Christi doctrinam per corporalem Judaïsmi conspirationem dissolvere volunt.

« Unus autem quispiam ex his, nomine Caïaphas, cum » esset pontifex anni illius, dixit eis: Vos nescitis quidquam, » nec perpenditis expedire nobis ut unus homo moriatur » pro populo, ac non tota gens pereat. Hoc autem a semet» ipso non dixit; sed, cum esset pontifex anni illius, vatici» natus est Jesum moriturum esse pro gente; et non tan» tum pro gente, sed ut etiam filios Dei qui erant dispersi » congregaret in unum[3]. » Non si quis prophetat ideo propheta est. Caïaphas igitur, « pontifex cum esset anni illius, » prophetavit *quidem* Jesum moriturum pro gente; et non » pro gente tantum, sed ut filios Dei qui erant dispersi » congregaret in unum, » haud tamen propheta erat. Quod si etiam Balaam prophetavit quæ in Numerorum libro sunt

[1] I Petr. II, 10. — [2] Galat. V, 17. — [3] Joan. XI, 49 et seq.

scripta, dicens : « Verbum quod immiserit Deus in os meum, » hoc loquar [1], » et quæ sunt ab eo loco : « Ex Mesopotamia » accersivit me [2], » et sequuntur: perspicuum est quod propheta non erat; augurem enim fuisse scriptum est. Ac profecto si quis propheta est, is quidem prophetat; sin vero quis prophetat, non continuo etiam est propheta. Tanquam si de re alia quapiam meliore dicerem : Si quis est justus, jus etiam persequitur; at si quis jus persequitur, non tamen statim justus est : id quod intelliges notans dictum illud : « Juste quod justum est persequeris [3]; » quandoquidem hæc vocula, *Juste*, non frustra præposita fuerit illis voculis, « quod justum est persequeris. » Facillimum enim factu esse reor ut jus quis persequatur, sed non juste. Etenim qui faciunt opus aliquod ex se bonum ut ab hominibus glorificentur, verbi gratia, in pauperes benefici, rem quidem justam fecerunt, haud tamen ex habitu justitiæ, sed ob vanam gloriam. Ac, mea quidem sententia, juxta comparationem dicti hujus : « Juste quod justum est persequeris, » dicetur etiam hoc : Modeste id quod modestum est persequeris; et : Viriliter id quod virile est persequeris; et : Sapienter id quod sapiens est persequeris : ac deinde similiter in cæteris virtutibus. Hæc autem diximus ut conferremus cum propheta augurem, qui similis illi cum sit, non tamen est propheta. Hanc etiam ob causam continenter in Prophetiis de Prophetis dici arbitror : « Dicit Jeremias propheta [4], » et si quid his est simile. Porro qui nominum vim tenent inquiunt non continuo, si quis quid fecerit quod ad medicinam spectet vel rem quampiam quæ ad sanitatem conducat, illum medicum esse; neque si quis quid fecerit quod ad artem ædificandi pertineat, domorum fabricatorem esse. Insuper ex his quæ de Caïapha scripta sunt, qui de Servatore prophetavit, dicere possumus

[1] Num. XII, 38. — [2] Id. XXIII, 7. — [3] Deuter. XVI, 20. — [4] Jer. XXVIII, 5, 6, 15; XXXIV, 9; XLII, 4.

animam quoque pravam suscipere prophetandi munus. Accusatur enim ab Evangelistis Caïaphæ pravitas, qui erat pontifex anni illius, quando Servator noster dum pro hominibus pateretur perfecit œconomiam. Matthæus etenim inquit : « Tunc profectus unus de Duodecim, qui dicebatur » Judas Iscariotes, ad principes sacerdotum dixit : Quid » vultis mihi dare, et ego vobis illum tradam ? At illi con- » stituerunt ei triginta argenteos [1] : » et paulo post inquit : « Ecce Judas unus ex Duodecim venit, et cum eo turba » multa cum gladiis et fustibus, a principibus sacerdotum » et senioribus populi [2]. » Atque in his quidem principibus sacerdotum intelligimus etiam inesse Caïapham, quod de illo testatum sit eum pontificem esse anni illius [3]. Aperte autem post hæc Matthæus inquit : « At illi comprehensum » Jesum abduxerunt ad Caïapham principem sacerdotum, » ubi Scribæ et seniores convenerant [4] : » post pauca etiam infert : « Principes autem sacerdotum et concilium quæ- » rebant falsum testimonium contra Jesum, ut morti eum » traderent ; et non inveniebant, etiam cum multi falsi testes » accessissent : postremo autem advenerunt duo falsi testes, » et dixerunt : Hic dixit : Possum destruere templum Dei, » et in triduo ædificare illud. Et surgens princeps sacerdo- » tum ait illi : Nihil respondes ? Cur isti adversum te testi- » ficantur ? Jesus autem tacebat. Et princeps sacerdotum » dixit illi : Adjuro te per Deum vivum ut dicas nobis an » tu sis Christus Filius Dei. Dicit illi Jesus : Tu dixisti. Ve- » rumtamen dico vobis : jam hinc videbitis Filium hominis » sedentem a dextris potentiæ, et venientem in nubibus » cœli. Tunc princeps sacerdotum disrupit vestimenta sua, » dicens : Prolocutus est blasphemiam : quid insuper ege- » mus testibus ? Ecce nunc audistis blasphemiam ejus ; quid » vobis videtur ? At illi respondentes dixerunt : Reus est

[1] Matth. XXVI, 14. — [2] Ibid. 47. — [3] Joan. XI, 49. — [4] Matth. XXVI, 57.

» mortis [1]. » Deinde rursum post alia : « Et cum accusaretur » a principibus sacerdotum et senioribus, nihil respon- » dit [2]. » Rursumque post pauca : « Principes autem sacer- » dotum et seniores persuaserunt multitudini ut peterent » Barrabam, Jesum vero perderent [3]. » Postea post resur- rectionem Servatoris, abeuntibus Maria Magdalena et altera Maria, « ecce quidam ex custodia venerunt in civita- » tem, ac nuntiarunt principibus sacerdotum omnia quæ » acciderant : et congregati cum senioribus, consilio capto, » pecuniam numerosam dederunt militibus dicentes : Di- » cite, Discipuli ejus nocte venerunt et furati sunt eum, » nobis dormientibus : et si hoc auditum fuerit sub præside, » nos persuadebimus ei, et securos vos faciemus [4]. » At Lucas scripsit quod « ingressus *fuerit* Satanas in Judam, cui » cognomen erat Iscariotes, qui erat ex numero Duodecim, » abiitque et locutus est cum principibus sacerdotum ac » magistratibus, quomodo eum traderet illis [5]. » Deinde post pauca : « Dixit, *inquit*, Jesus iis qui venerant ad se princi- » pibus sacerdotum, ac magistratibus Templi, et seniori- » bus : Quasi ad latronem existis cum gladiis et fustibus [6]. » Et post pauca : « Comprehensum autem eum duxerunt, et » induxerunt in domum principis sacerdotum [7] : » et adhuc post pauca : « Stabant autem principes sacerdotum et Scri- » bæ acriter accusantes eum [8] : » rursumque post pauca : « Ut illuxit, convenerunt seniores populi principesque sa- » cerdotum, et Scribæ, duxeruntque illum in concilium » suum [9]. » Porro Marcus inquit : « Judas Iscariotes, unus ex » numero Duodecim, accessit ad summos sacerdotes ut pro- » deret eum illis : hoc autem illi audito gavisi sunt, et pol- » liciti sunt ei pecuniam se daturos [10] : » et post pauca : « Ad-

[1] Matth. XXVI, 59 et seq. — [2] Id. XXVII, 12. — [3] Ibid. 20. — [4] Id. XXVIII, 11 et seq. — [5] Luc. XXII, 3, 4. — [6] Ibid. 52. — [7] Ibid. 54. — [8] Id. XXIII, 10. — [9] Id. XXII, 66. — [10] Marc. XIV, 10, 11.

» huc loquente Jesu, accedit Judas Iscariotes, qui erat unus » e Duodecim, et cum illo turba multa cum gladiis et fustibus, a summis sacerdotibus, et scribis et senioribus[1] : » et post pauca : « Abduxerunt Jesum ad summum sacerdotem » Caïapham, et convenerunt ad illum omnes summi Sacerdotes et Scribæ et seniores[2] : » deinde rursum post pauca : « Et surgens summus sacerdos interrogavit Jesum, dicens : » Non respondes quidquam ? quid isti adversum te testificantur ? At ille tacebat, neque quidquam respondebat. Rursum » summus sacerdos interrogabat eum secundo dicens : Es tu » ille Christus Filius illius Benedicti ? At Jesus respondens » dicit illi : Tu dixisti ; ego sum : et videbitis Filium hominis » sedentem a dextra potentiæ, et venientem cum nubibus » cœli. At summus sacerdos dilaceratis statim vestibus suis » [dicit : Quid præterea opus habemus testibus ? Audistis » blasphemiam[3]]. » Deinde post pauca : « Et diluculo consilio inito summi sacerdotes cum senioribus et scribis ac » toto consessu, vinctum Jesum abduxerunt in aulam, tradideruntque Pilato[4]. » Deinde post pauca : « Accusabant » eum summi sacerdotes de multis : ipse vero nihil respondit[5]. » Joannes vero inquit : « Adducunt Jesum a Caïapha » in Prætorium[6]. » Hæc autem diutius exposuimus, ut multis omnium Evangelistarum testimoniis ostenderemus effusionem vitiositatis Caïaphæ, et quod adversum Jesum contendens nihilominus prophetarit. Atque quod prophetarit, manifeste docuit nos Joannes[7].

Sed quæres an qui prophetat, is omnino e Spiritu sancto prophetet, etiamsi aliquibus non videatur hoc dictum quæstionem postulare. Verum quomodo non est hoc quæsitu dignum, si David post peccatum in Uriam commissum, timens ne ab se auferretur Spiritus sanctus, inquit : « Spiritum san-

[1] Marc. XIV, 43. — [2] Ibid. 53. — [3] Ibid. 60 et seq. — [4] Idem, XV, 1. — [5] Ibid. 3 et 5. — [6] Joan. XVIII, 28. — [7] Idem, XI, 51.

» ctum tuum ne auferas a me[1]? » Quod si quis etiam admittat illud : « Spiritus sanctus disciplinæ effugiet dolosum, » et recedet a pravis consiliis[2], » aperte videbitur ostendere Spiritum sanctum animam dolosam fugere, etiamsi in ea ante dolum et peccatum habitaverit. Sic autem quæsitu dignum est illud de Spiritu sancto, an in peccatrice quoque anima esse possit, ut aliquis dicturus sit in ipsis quoque peccatoribus esse Spiritum sanctum : quandoquidem « nemine valente dicere Dominum Jesum, nisi in Spiritu san» cto[3], » multi tamen peccatores affecti inveniantur erga Jesum, tanquam erga Dominum........ Dicet [autem aliquis] malos etiam spiritus posse testimonium præbere Jesu, et prophetare de eo non secus atque ille qui dixit : « Novimus » te quis sis; nempe ille sanctus Dei[4] : » et ut illi qui rogabant eum ne præciperet illis in abyssum abire[5], et dicebant : « Venisti ad perdendum nos[6]? » Quin in Apostolorum quoque Actis hæc scripta sunt : « Contigit ut euntibus » nobis ad precationem, puella quædam spiritum Pythonis » habens nobis occurreret, quæ quæstum magnum præsta» bat dominis suis divinando : hæc subsecuta Paulum et » nos, clamabat dicens : Isti homines servi Dei excelsissimi » sunt, qui annuntiant nobis viam salutis[7]. » Proinde qui his testimoniis utitur, dicet nihil distare a prophetia orationem spiritus divinatoris, testimonium præbentis Apostolis, et admonentis audientes ut viam salutis, quæ annuntiabatur, crederent. Quoniam autem in medium adduximus quæ dixit Balaam, adhibe mentem an de illo quoque dici possit, divinitus eum non fuisse locutum, sed ab Angelo : « Stetit enim, *inquit,* Angelus Dei in via, dum transiret » ipse, ascenditque Balaam super asinam suam, et duo sui » pueri secum. Vidensque asina Angelum Dei stantem e

[1] Psalm. L, 13. — [2] Sap. I, 5. — [3] 2 Corinth. XII, 3. — [4] Marc. I, 24. — [5] Luc. VIII, 31. — [6] Marc. I, 24. Luc. IV, 34. — [7] Act. XVI, 16, 17.

» regione in via, gladiumque districtum in manu ejus, de-» clinavit asina de via et ivit in campum. At Balaam verbe-» ravit asinam virga ut rediret in viam : stetit autem An-» gelus Dei in angusta semita vinearum, eratque ex utraque » parte maceria[1]. » Deinde post pauca : « Videns asina An-» gelum Dei, succubuit sub Balaam[2]. » Deinde post pauca : « Dixit Angelus Dei illi : Cur jam ter verberasti asinam tuam? » En ego egressus sum, ut te impedirem; aberrat enim via » tua coram me, et videns me asina declinavit jam ter; quæ » si non declinasset coram me, nunc te interfecto ipsam » incolumem servassem. Et dixit Balaam Angelo : Domine, » peccavi, quoniam non novi quod tu adversum me in via » stares : et nunc si tibi displicet, revertar. Aitque Angelus » Dei ad Balaam : Vade cum viris illis; sed tantummodo » verbum quodcumque locutus fuero ad te, hoc observa-» bis loqui[3]. » Observa enim quod Angelus sit qui dicit : « Verbum quodcumque locutus fuero ad te, hoc obser-» vabis loqui. » Verum dices paulo post Deum ipsi Balaam apparuisse, dixisseque illi Balaam : « Septem aras paravi, » et imposui in unaquaque vitulum et arietem. Et Deus » sermonem indidit ori Balaam, et dixit : Reversus ad Balac » sic loqueris[4]. » At vero tu attende quomodo utraque vera sunt, et quod ab Angelo dicitur, nempe : « Quodcumque » locutus fuero ad te, hoc observabis loqui[5], » et quod Scriptura pronuntiat : « Indidit Deus sermonem ori Balaam, et » dixit[6]. » Cæterum veru transfiximus hæc verba : « Factus » est spiritus Dei in ipso[7]; » quod neque his simile quidquam in cæterorum editionibus invenerimus. Rursumque e diverso post pauca : « Occurrit, *inquit,* Deus Balaam, et » indidit sermonem in ore ejus, et dixit : Revertere ad Balac » et hæc loqueris[8]. » In hæc autem omnia audens aliquis,

[1] Num. XXII, 22, 23, 24. — [2] Ibid. 27. — [3] Ibid. 32 et seq. — [4] Idem, XXIII, 4, 5. — [5] Id. XXII, 35. — [6] Id. XXIII, 5. — [7] Ibid. 6. — [8] Ibid. 16.

dicet de Saüle etiam dictum fuisse : « Spiritus Dei malus » suffocabat eum[1]. » Quinetiam cum exisset spiritus mendax factus est in ore omnium prophetarum Achab, dicente Domino : « Quis decipiet Achab [2] ? » et exeunte spiritu mendaci, et dicente : « Ego decipiam eum. » Atque hæc quidem his in locis examinata sunt, cum alioquin valeat unusquisque a semetipso consequenter his testimoniis quæ in medium protulimus, considerare quomodo prophetaverit Caïaphas. Vide vero an forte hæc etiam dicenda sint de prophetia ejus, quoniam non sanctus erat, etiamsi prophetarit, non tamen ex afflatu Spiritus sancti prophetasse Caïapham. Ut autem quæsitu dignum est quomodo prophetaverit Caïaphas, sic etiam in primo Regum quæres quomodo prophetarint nuntii Saülis missi ad Davidem, et post ipsos Saül. Scriptum est enim : « Et nuntiatum est Saüli hisce verbis : » Ecce David est in Avoth, in Rama. Et misit Saül nuntios » qui adducerent Davidem, et viderunt cuneum propheta- » rum, et Samuëlem stantem antistitem super eos : factus- » que est spiritus Domini super nuntios Saülis, ut et ipsi » prophetarent. Nuntiatumque est Saüli, et misit alios nun- » tios, qui etiam ipsi prophetarunt. Et excanduit ira Saül, » concessitque etiam ipse in Armathæam, et venit usque » ad puteum magnum, et ad viam quæ est in Sophem ; et » interrogans ait : Ubi est Samuël et David ? Et dixerunt : » Ecce in Avoth, in Rama. Et concedit illinc in Avoth in » Rama : factusque est spiritus Domini super eum, et eundo » ibat atque prophetabat, donec cum venisset in Avoth in » Rama, exutis vestimentis suis prophetavit coram Sa- » muële : et procidit nudus tota illa die et tota nocte. Hinc » dicitur : Num et Saül inter Prophetas [3] ? » Hæc vero necessario apposita fuisse reor, ut clareret peccatores quoque prophetare, et utrum ex Spiritu sancto, an ex alia poten-

[1] 1 Reg. xvi, 14. — [2] 3 Reg. xx i, 20, 21, 22. — [3] 1 Reg. xix, 19 et seq.

tia non mentiente (quantum ad testificandum veritati attinet) hi prophetent. Rursumque in primo Regum inveniuntur idolorum vates ostendentes de Arca denuntiantesque Philistæis quod si buculæ lactentes in viam ambulaverint Jesu Bethsamusæ, sciant sibi a Deo factam fuisse plagam[1]. Ac ne illud quidem de muliere habente spiritum Pythonis, deque Samuële in his locis reticendum est : ex quibus didicit Saül futurum ut postero die cum filiis interficeretur[2] : quorum locorum accuratam intelligentiam is visurus est qui disserere potest de diversis potentiis, tum bonis, tum malis, atque de his etiam quæ inter has mediæ sunt, si quæ sunt. Rursus qui velit Caïapham prophetasse vi potentiæ malæ, dicturus est nil mirum esse si mala potentia hæc dixerit, quandoquidem inveniatur diabolus non omnino ignorare Jesum dictum fuisse in his quæ ab Evangelistis sunt scripta, Filium Dei esse, cum ipse loqueretur ad Dominum. Dicet autem malitiam etiam quamdam inesse in potentia operante ut hæc de Servatore prophetarentur : quippe cui scopus esset non fideles facere auditores, sed summos sacerdotes pharisæosque, qui convenerant in concilium adversus Jesum, irritare, ut ipsum interficerent : quæ operatio non erat ex Spiritu sancto.

Vide vero annon concitare velit auditores sive Caïaphas, sive is qui illi vim prophetandi suppeditabat, ad interficiendum Jesum hisce verbis : « Vos nescitis quidquam, neque » cogitatis quia expedit nobis ut unus homo moriatur pro po- » pulo, et non tota gens pereat[3] ; » utrum qui dicit : « Expedit » nobis, » quæ verba sunt prophetiæ ipsius pars, vera narrat, an mentitur? Si vera narrat, servatur Caïaphas cum his qui in concilio adversus Jesum contendunt, quia mortuus est Jesus pro populo, consequunturque omnes hi utilitatem : si vero absurdum est dicere Caïapham eosque qui concilio

[1] 1 Reg. vi, 9. — [2] Id. xxviii, 19. — [3] Joan. xi, 49, 50.

aderant adversus Jesum, servari, assecutosque eos fuisse utilitatem, quia mortuus fuerit Jesus ; perspicuum est non dici Spiritum sanctum talia operatum fuisse : Spiritus enim sanctus non mentitur. Qui vero velit Caïapham atque potentiam in ipso operantem vera narrare dicendo : « Expedit » nobis ut unus homo moriatur pro populo [1], » profundius intelliget hoc dictum : « Expedit nobis, » propter rationem finis, uteturque eo testimonio : « Ut per gratiam Dei, *vel*, » sine Deo, pro omni gustaret mortem [2] : » et notabit illud, « pro omni, » et illud, « sine Deo, pro omni. » Utetur pariter etiam illo : « Qui est Servator omnium hominum, præ- » sertim fidelium [3] ; » et illo : « Hic est ille agnus Dei, qui » aufert peccatum mundi [4], » proprie intelligens auferri peccatum mundi, non partis ejus. Cæterum qui verum esse dicit : « Expedit nobis ut unus homo moriatur [5], » dicet totum præsentem locum veram prophetiam esse incipientem ab illo : « Vos nescitis quidquam [6]. » Nihil enim norant summi sacerdotes et Pharisæi nescientes Jesum veritatem esse, sapientiam, justitiam, et pacem : « Ipse enim est pax » nostra [7]. » Quinetiam non cogitabant hi nihil scientes, quonam pacto conduceret etiam illis ut unus hic, quatenus homo est, moreretur pro populo. Jesus enim, qui mortuus est, homo est : quocirca ipse etiam inquit : « Nunc autem » quæritis me interficere, hominem, qui locutus sum ve- » ritatem [8]. » Et quoniam homo quidem est, qui mortuus est ; non erat autem homo veritas, sapientia, pax, et justitia, et de quo scriptum est : « Deus erat sermo [9] ; » non mortuus est ille Deus sermo, et veritas, et sapientia, et justitia : si quidem imago invisibilis Dei, primogenitus omnis creaturæ [10], incapax est mortis. Pro populo autem moritur

[1] Joan. XI, 50. — [2] Hebr. II, 9. — [3] I Tim. IV, 10. — [4] Joan. I, 29. — [5] Id. XI, 50. — [6] Ib. 49. — [7] Ephes. II, 14. — [8] Joan. VIII, 40. — [9] Idem, I, 1. — [10] Coloss. I, 15.

hic homo omnibus animantibus purior, qui peccata nostra tulit et infirmitates [1], quia posset universum totius mundi peccatum in se receptum solvere, et consumere, et delere, quoniam « peccatum non fecit, neque inven» tus est in ore ejus dolus [2], » neque agnovit peccatum. Hanc etiam ob causam opinor Paulum sic dixisse : « Eum » qui non novit peccatum pro nobis peccatum fecit *Deus,* » ut nos efficeremur justitia Dei in ipso [3] : » peccatum enim, dixit, ipsum fecit, qui peccatum non novit, quia cum ipse nihil peccati commisisset, omnium in se peccata receperit; et si audacius loqui audendum est, multo magis quam cæteri sui Apostoli, purgamentum mundi factus fuerit, rejectamentaque omnium dicentium : « Quasi purga» menta mundi facti sumus; omnium rejectamenta usque » nunc [4]. » Quod autem frequenter invalescentibus rebus quibusdam asperis, veluti peste, vel fame, vel nocuis ventorum agitationibus in hominum genere, solvantur hæc; abolito, verbi gratia, spiritu illo malo qui hæc operabatur, eo quod aliquis seipsum pro communi salute dederit, multorum auctorum narrant historiæ, tum Græcorum, tum Barbarorum, hanc nostram intelligentiam neque respuentium neque reprobantium : quæ veræ sint, necne, non est præsentis temporis accurate exquirere. Verumtamen nullibi gentium, nullis historiis aliquando mandatum est, ac ne mandari quidem potest, fuisse aliquem qui se reciperet pro toto mundo mortem obiturum, ut totus mundus purgaretur illius sanctitate; alioquin perdendus, ni pro eo servando mortem oppeteret : quippe quod solius sit Jesu posse omnium peccati onus in se recipere per crucem pro omnibus « sine Deo [5], » atque ingentibus suis viribus illud portare. Calluit enim hic solus ferre languorem, ut inquit Esaias

[1] Isai. LIII, 4. — [2] 1 Petr. II, 22. — [3] 2 Cor. V, 21. — [4] 1 Cor. IV, 13. — [5] Hebr. II, 9.

propheta dicens : « Homo in plaga existens, et sciens ferre » languorem[1]. » Atque hic sane peccata nostra accepit[2], et ægre affectus est propter iniquitates nostras, in seque facta est punitio quæ nobis debebatur, ut pacem recipiamus, dum erudimur castigati. Isto namque modo hoc intelligo : « Eruditio pacis nostræ super eum[3]. » Fortasse autem nos, quia « livore ejus sanati sumus, » livore ex cruce illi obveniente sanati dicemus : « Mihi autem absit gloriari, nisi in » cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus » crucifixus est, et ego mundo[4]. » Traditus est a Patre propter peccata nostra hic Jesus : qui etiam propterea « ad oc» cisionem ductus est, ut agnus coram tondente mutus[5]. » Hujus in humilitate, qua « humilem præbuit seipsum, factus » obediens usque ad mortem, mortem autem crucis[6], » judicium sublatum est : sic enim hoc intelligo : « In humili» tate judicium ejus sublatum est[7] ; » perinde ac diceret : In humilitate ejus judicium sublatum est ; et fuit sic, propter iniquitates populi Dei, ductus ad mortem. Mortuus est igitur hic homo pro populo, et propter hunc non tota gens periit. Ac vide num populi nomen referre possis ad eos qui sunt ex circumcisione, Gentis vero ad cæteros. Mortuus etenim est hic homo, non tantum pro populo, sed etiam ne tota gens pereat : tanquam si dixisset, Ne qui vocantur gens inter Judæos, et omnes Gentiles pereant.

His proximum est : « Hoc a semetipso non dixit[8]. » Hoc dicto nos discere opinor quædam nos homines a nobismetipsis proferre, nullo spiritu nos ad id impellente : alia vero veluti insonante ac suggerente nobis spiritu quopiam quæ dicamus, etiamsi omnino a nobis non alienemur, et inconsequenter affecti erga ipsa quæ dicimus, videamur illa assequi. Contingit autem ut assequentes ea quæ dicimus, non

[1] Isai. LIII, 3. — [2] Ibid. 4. — [3] Ibid. 5. — [4] Gal. VI, 14. — [5] Isai. LIII, 7. — [6] Phil. II, 8. — [7] Isai. LIII, 8. — [8] Joan. XI, 51.

assequamur voluntatem et consilium eorum quæ dicuntur : quemadmodum nunc Caïaphas pontifex, qui nec a semetipso locutus est, nec sensum locutus est ut prophetiam, quia prophetiam eorum quæ loquebatur non intellexit. Quin apud Paulum etiam sunt quidam Legis doctores, « neque » intelligentes quæ dicunt, neque de quibus affirmant[1]. » At vero sapiens non est hujusmodi, de quo loquitur in Proverbiis Salomon ille : « Sapiens intelliget quæ ex ore suo » prodibunt, et in labiis suis portabit agnitionem[2]. » Ac meum profecto est judicium, casum aliquoties in causa esse prophetandi : ut nunc Caïaphæ in causa fuit quod pontifex esset anni illius, quo moriturus erat Jesus, non tantum pro populo, sed ne tota gens pereat. Cum enim alii quoque pontifices essent, ut perspicuum est ex his quæ in medium protulimus, nullus prophetat nisi pontifex anni illius quo passurus erat Jesus summus pontifex. Itidem casus fecit nuntios Saülis ad Davidem missos, ipsumque Saülem, prophetare : fere enim quia quæsierunt David, obvenit ut prophetarent, sed eo modo quo scriptum est. Quin et Balaam assumpta parabola sua non dixisset : « Ex Mesopotamia accersivit me[3], » et quæ sequuntur, ni vidisset Israëlem castrametatum fuisse : et semper aliam partem exercitus videns, ex novitate rei conspectæ movebatur ad dicendum pro Israële.

Moriturus ergo erat Jesus pro gente quæ diversa erat a filiis Dei dispersis, ut perspicuum est hoc dicto : « Futurum » erat ut Jesus moreretur non tantum pro gente, sed etiam » ut filios Dei qui dispersi erant congregaret in unum[4]. » Quinam vero alii, præter gentes, filii Dei dispersi essent, nunc tempus est quærere : de quibus, qui naturas introducunt, dicturi sunt illos qui judicio eorum sunt spirituales, filios esse Dei, spiritualiter non dijudicantes omnia. Hoc

[1] 1 Tim. I, 7. — [2] Prov. XVI, 23. — [3] Num. XXIII, 7. — [4] Joan. XI, 51, 52.

enim dicere consequens est eos qui naturas esse existimant, intelligentes hoc vocabulum, *spirituales*, præter voluntatem Apostoli dicentis : « Spiritualis omnia dijudicat, et ipse a » nullo dijudicatur[1] : » quibus verbis efficitur ut qui omnia non dijudicet, vel non sit spiritualis, vel nondum sit spiritualis. Quin si quis dijudicatur, ab aliquo, quoniam spiritualis a nullo dijudicatur, vel non est spiritualis, vel nondum spiritualis. Vide vero annon melius dicendum sit effici aliquem spiritualem, qui antea non esset, qui proprie jam filius etiam Dei est. Quinam igitur sint qui nunc dicuntur filii Dei, si non sunt hi qui spirituales sunt judicio eorum qui naturas introducunt, tempus est considerare : et vide an filios Dei dispersos, alios a gentibus, intelligere possis eos esse qui jam justi erant in Deo, cum hæc tum dicerentur; sive Patriarchas qui jam antea e vita excesserant, vel Prophetas, vel quosdam alios Dei electos, sive etiam eos qui per id temporis sani erant : quasi enim aliqui sani essent et non ægrotantes, inquit : « Non opus habent qui sani » sunt medico, sed ægre affecti[2] : » et quasi essent etiam aliqui justi, dicit : « Non veni vocare justos, sed peccatores » ad pœnitentiam[3]. » Moriturus itaque Jesus erat pro gente, ut non periret; pro filiis vero Dei qui in dispersione erant, ut congregarentur in unum sermonem fierentque unus grex, unus pastor : quando, mea sententia, Servatoris precatio implebitur dicentis : « Ut ego et tu unum sumus, ut » et ipsi unum sint[4]. » Sin vero de Israëlis non natura, sed genere altius aliquid dicendum sit; de quo cum in dispersione esset scriptum est : « Primogenitus meus filius Is- » raël[5], » hoc etiam ipse notabis, quasi hi sint filii Dei dispersi, pro quibus moriturus sit Jesus, ut eos in unum congregaret.

[1] 1 Cor. II, 15. — [2] Matth. IX, 12. — [3] Marc. II, 17. Matth. IX, 13. — [4] Joan. XVII, 21. — [5] Exod. IV, 22.

« Ab illo ergo die consultarunt una, ut interficerent » eum[1]. » Pontifices et Pharisæi, qui concilium collegerant, et consideraverant quid facere deberent Servatori nostro (cum Caïaphas pontifex quæ superius exposuimus dixisset, et hujus sermonibus fuissent incitati), consultarunt una ut interficerent Dominum. Quocirca quæres quo spiritu prophetarit Jesum moriturum pro gente; et utrum sanctus Spiritus hac etiam in re operatus sit, auctorque fuerit consilii adversus Jesum; an ille quidem non fuerit, sed alius spiritus, valens in impio etiam loqui, sibique similes adversum Jesum movere, nihilominus etiam videret aliquid erga Jesum, ut pro viribus superius exquisivimus. Atque omnino qui respondere voluerit Spiritum sanctum auctorem videri fuisse ut pontifices et Pharisæi moti ex sermonibus Caïaphæ una consultarent interficere Jesum, dicet non alienum esse talé opus a sanctitate, quoniam ne Jesus quidem rem se indignam fecerit, in ruinam et resurrectionem multarum gentium[2] quæ erant in Israël, veniens et dicens: « Ego » in judicium in hunc mundum veni, ut non videntes vi» deant, et videntes cæci fiant[3]. » Ut enim opus habemus sermone sapientiæ, quo defendamus quomodo rem se indignam ille non fecerit, qui se huic mundo accessisse in judicium fatetur; sic etiam in hoc, ut ostendamus pontifices et Pharisæos ex Caïaphæ verbis una consultasse ut interficerent Jesum. Atque de eo quidem quod est: « In judicium » ego in hunc mundum veni, » in explanationibus illius loci pro viribus disseruimus; nunc vero, quod attinet ad id de quo agitur, hæc dicentur : nempe quod quemadmodum sacram Scripturarum intelligentiam, ob eorum utilitatem dictam qui ex ea juvari quærunt, calumniantur hi qui eam in deteriorem partem intelligunt, quo ansam habere videantur impiam confirmandi doctrinam eorum qui loquuntur

[1] Joan. xi, 53. — [2] Luc. ii, 34. — [3] Joan. ix, 39.

in altitudinem injustitiam[1]; sic Pontifices etiam et Pharisæi non recte intelligentes factam a Caïapha de Servatore nostro veram prophetiam, nempe quod expediret nobis ut unus homo moreretur pro populo, et tota gens non periret; sed aliam intelligentiam esse rati in voluntate consilii Caïaphæ, ab illo die una consultarunt ut Jesum interficerent. Hæc autem dico sequens hanc intelligentiam, ut Spiritus sanctus sit ille qui prophetarit in Caïapha : non omnino confirmans hoc ita se habere; sed lectoribus judicium relinquens utrum admitti oporteat de Caïapha, quod quasi repente Spiritu sancto sit motus.

§ III.

De Jesu secessu.

«Jesus[2] ergo jam non propalam ambulabat inter Judæos, » sed abiit illinc in regionem deserto vicinam, in civitatem » quæ dicitur Ephraïm, ibique versabatur cum discipulis » suis[3]. » Hæc et his similia scripta fuisse censeo, volente Jesu nos advertere ne iracundius ac inconsideratius insiliamus in certamen mortis, pro veritate testimonium præbituri. Etenim honestum quidem est, si inciderit certamen pro confitendo Jesum, confessionem non differre neque tardare mortem pro veritate oppetere : at non minus quam hoc honestum est, tali tantæque tentationi occasionem non dare, sed omnimodo vitare eam, non solum quia tantæ rei exitus incertus sit nobis, verum etiam ne nos occasio simus ut magis peccatores magisque impii evadant illi qui nondum sanguinem nostrum quidem re ipsa effudisse rei sunt facti; si quæ in nobis sunt facientes, declinaverimus eos qui insidias nobis vel ad mortem usque moliuntur; sed puniendi alioquin majori graviorique pœna nos-

[1] Psal. LXXII, 8.
[2] N. 18-20, p. 397-403.
[3] Joan. XI, 54.

tri causa, si nostri amantes, rebus illorum posthabitis, exposuerimus nos ipsos interficiendo, nulla nos necessitate urgente. Nam si etiam qui alicui occasio peccati factus fuerit, is pœnas dabit ob ea quæ sui causa peccaverint aliqui homines; quomodo non etiam pœnas daturus est qui cum declinandi facultatem habeat, ne proditor ille Christiani sit hominis et insidiator cultus divini erga Jesum, non declinaverit; imo potius concitaverit; etiamsi, quod ad promptitudinem attinet fortitudinemque, hac in re honore ac laude sit dignus apud Deum, quem pie colit, apudque Servatorem, quem confessus fuerit? Porro quod nostri causa hæc scripta fuerint, quo Jesum haberemus exemplar cujus in hujuscemodi rebus imitatores essemus, docet Scriptura dicens : « Quærebant igitur eum comprehendere, » et nullus in eum conjecit manum, quod nondum venisset » hora ejus [1]. » Ut enim, juxta hunc textum, nullus in eum conjecit manum, præsentem et non fugientem, quia nondum venisset hora ejus; sic etiamsi non secessisset in eo tempore, quo nondum instabat hora ejus, eum haudquaquam detenturi fuissent, et similiter nullus in eum conjecit manum. Quocirca intelligendum est non tantum illud : « Si persecuti vos fuerint in una civitate, fugite ad aliam [2], » et ea quæ sequuntur; sed etiam hoc, quod quando una consultaverunt pontifices et Pharisæi ut Jesum interficerent, id quod rationi erat maxime consentaneum servans, Servator non amplius propalam ambulabat inter Judæos : sed neque in aliam urbem secessit turbis plenam, sed in quamdam urbem seorsum positam. Scriptum est enim : « Jesus » igitur jam non propalam ambulabat inter Judæos; sed » abiit illinc in locum deserto proximum, nempe in civi» tatem quæ dicitur Ephraïm [3]. » Nec sane solus eo concessit, verum ne ullam occasionem se quærentibus daret, dis-

[1] Joan. VII, 30. — [2] Matth. X, 23. — [3] Joan. XI, 54.

cipulos etiam secum assumpsit; « illicque versabatur cum » discipulis. » Tale quiddam est etiam quod in Evangelio a Matthæo tradito scriptum est; quando « audiens Joannem » traditum esse, secessit in Galilæam, relictaque Nazareth, » profectus habitavit Capharnaüm civitatem maritimam, in » finibus Zabulon et Nephtalim [1]: » et cum tempus appeteret ut comprehenderetur, observavit ne ultro illud pateretur, neque in Jerosolymis inveniretur vel in Templo, ubi frequenter docuit, neque in ullo alio simili loco: « Exivit » *enim* cum discipulis suis trans torrentem Cedron, ubi » erat hortus in quem intravit ipse, et discipuli ejus [2]. » Sic autem secessit per id temporis, et in publico non ambulabat, ut pontifices et Pharisæi volentes illum comprehendere egerent Juda, propterea quod discipulus ipsius cum esset, probe sciret loca secessus illius. Quocirca tunc « Judas » cum accepisset cohortem et ex principibus sacerdotum » ac Pharisæis ministros, illuc venit cum laternis et facibus » et armis [3]. » Cæterum hoc loco Evangelii declaratur quod si quidem noluisset capi, haudquaquam detentus fuisset: detentus autem fuit, cum humilem præbuit seipsum et factus obediens detinentibus vel usque ad crucem [4]. Quando igitur exivit et dicit his qui ad hortum venerant: « Quem » quæritis [5]? » et responderunt ipsi: « Jesum illum Nazare-» num; » cum illis dixisset: « Ego sum, » virtute sua divina « abiere retro, humique ceciderunt. » Deinde post hoc cum voluisset recipere dispensationem atque œconomiam per passionem, « rursum interrogavit eos: Quem quæritis? at » illi dixerunt: Jesum Nazarenum. » Et post pauca, « cohors » et tribunus militum et ministri Judæorum comprehende-» runt Jesum *volentem* et ligaverunt ipsum [6] » se præbentem vinculis. Nam si pati noluisset, rursum dixisset: *Ego sum*,

[1] Matth. IV, 12, 13. — [2] Joan. XVIII, 1. — [3] Ibid. 3. — [4] Phil. II, 8. — [5] Joan. XVIII, 4 et seq. — [6] Ibid. 12.

et abiissent hi, tot quot essent, retro, omnesque humi prostrati fuissent. Ut autem talibus rebus docet nos secedere in persecutionibus et in insidiis quæ adversum nos struuntur; sic etiam alibi reperias eum secedere ab his quæ bona mundus ducit, ut per hæc etiam doceat nos mundi dignitates fugere, excellentiasque in ipso existentes. « Jesus *enim* » cum aliquando cognovisset futurum ut venirent et rape- » rent eum ut illum regem facerent, secessit in montem[1], » sed non cum discipulis, sed *solus*, ne his occasionem quidem præbens, tanquam ipsum amantibus et volentibus cum cæteris ipsum facere regem, ut jam mundane ipsorum etiam rex esset.

Hæc quidem in textum et in doctrinam quæ est ex Evangelica littera de secessu. At vero in anagogen talia dicuntur, Jesum olim propalam inter Judæos obambulasse, quando sermo Dei per Prophetas inter eos versabatur : Jesu enim erat propalam vox illa : « Hæc dicit Dominus, » sed nunc non amplius Jesus inter Judæos propalam obambulat, sed inde abiit, nec est Dei sermo inter Judæos : indeque digressus, nempe a Judæis, venit in locum deserto vicinum, de quo dicitur : « Multi filii desertæ, magis quam ejus quæ » virum habet[2], » et ad quam dicitur : « Lætare, sterilis, quæ » non paris : erumpe et clama, quæ non parturis. » Est autem deserto vicina civitas Ephraïm, ad quam venit Jesus non amplius propalam obambulans inter Judæos. Sonat autem Ephraïm, si interpreteris, Fertilitas : fuitque Ephraïm frater Manasse, hoc est populi natu grandioris, maximeque oblivioni traditi. Simul atque enim derelictus est populus oblivioni traditus, orta est ex Gentibus fertilitas : nempe cum *flumina* quidem quæ sunt in Israële « vertit *Deus* in » desertum; et venas aquarum *illic existentium,* in loca » siticulosa; et terram *eorum* frugiferam, in sterile solum,

[1] Joan. vi, 15. — [2] Galat. iv, 27.

» propter incolarum vitiositatem: *Gentium vero* desertum » vertit in stagna aquarum; terramque *eorum* siticulosam, » in venas aquarum : ibique collocavit famelicos, et extru- » xerunt urbem celebrem, *nempe Ecclesiam, ubi* semina- » vit agros[1] » juxta semen quod cecidit in terram præclaram et bonam et facientem fructum centesimum[2] : et « plantavit vineas, » cujus palmites erant discipuli Domini, qui etiam « fecerunt fructum copiosum, et benedixit » eis, et multiplicati sunt valde[3]. » Quinetiam ne hos quidem qui a ratione alieniores erant parvos esse cogitavit ille qui homines et jumenta servat[4]; scriptum est enim : « Et jumenta eorum non minuit[5]. » Ac Judæi quidem « im- » minuti sunt, et afflicti fuere a tribulatione malorum et » dolore; effuditque *(Deus)* contemptum in principes *pro- » pter Abraham;* et errare fecit eos in invio, et non in » via. » Deus igitur post Judæos, populum gentilem « paupe- » rem exemit ex mendicitate, tractavitque familias velut » oves, quos videbunt *mox Angeli* et lætabuntur, et omnis » iniquitas obturabit os suum. » His in Psalmo sexto supra centesimum mystice prophetatis subjungitur : « Quis sapiens » et custodiet hæc, et intelliget misericordias Domini? » benefico enim existente Domino in Gentiles, sapiens hæc custodiet, intelligens beneficia Domini. « Jesus igitur non am- » plius in publico obambulabat inter Judæos, sed inde abiit » in locum *totius orbis Ecclesiæ* deserto vicinum; *nempe* in » urbem Ephraïm, *quæ dicitur frugifera civitas;* illicque » versabatur cum discipulis[6] : » estque ad hunc usque diem Jesus cum discipulis suis in urbe, quam vocant Ephraïm, deserto vicinam; nam adest fertilitati : et in ortu sane hujus Ephraïm dicet illius genitor Dominus noster frumenti erogator, qui seipsum humilem præbuit factus obediens

[1] Psal. CVI, 13 et seq. — [2] Luc. VIII, 8. — [3] Psalm. CVI, 37. — [4] Psalm. XXXV, 7. — [5] Psal. CVI, 38 et seq. — [6] Joan. XI, 54.

usque ad mortem, mortem autem crucis[1] : « Auxit me Deus » in terra afflictionis meæ[2]. »

« Instabat autem pascha Judæorum, et ascenderunt multi » Judæorum Jerosolymam ex regione ante pascha, ut puri- » ficarent se. Quærebant ergo Jesum, et colloquebantur in- » ter se in templo stantes : Quid videtur vobis, quod non » venerit ad diem festum[3]? » Non idem censendum est esse pascha Domini, et pascha Judæorum : nam pascha secundum Legem ad Dominum pertinet; ad eos vero qui sunt exleges, pascha Judæorum........... Et sane in templo ipso stantes colloquebantur inter se de Jesu : « Quid videtur » vobis, quod non venerit ad diem festum[4]? » At non ubi hi stabant diem festum agebat Jesus, sed in cœnaculo magno scopis purgato et mundato, ubi desiderio desideraverat pascha manducare cum discipulis antequam pateretur[5]. Dices igitur eos etiamnum in templo stare quærentes Jesum, innixos veluti sacris Scripturis; sed quia quærentes ignorent eum qui venit, huic quidem maledicere, diversum vero ab hoc confiteri Christum. Adhibe vero mentem, an dicere possis alios quoque Judæos esse qui ascendant Jerosolymam, veniantque ad urbem Dei ex regione quæ est extra Jerosolymam, veniantque ut purificati diem festum tum agere possint cum pascha immolatus fuerit Christus, non fermento veteri, neque fermento malitiæ et versutiæ, sed in panibus fermento carentibus, hoc est, sinceritate et veritate[6]. Hujusmodique sane quærent Jesum in templo Scripturarum, stantes, et inter se dubitantes an venturus sit Jesus ad diem festum.

« Dederant autem Pharisæi et pontifices mandatum, ut » si quis cognovisset ubi esset, indicaret, ut comprehende- » rent eum[7]. » Vide ut dictus est secessisse : quo nos etiam

[1] Philip. II, 8. — [2] Gen. XLI, 52. — [3] Joan. XI, 55, 56. — [4] Ibid. 56. — [5] Luc. XXII, 12, 15. — [6] I Cor. V, 8. — [7] Joan. XI, 57.

discamus in tempore idem facere. Ac profecto attende neque pontifices neque Pharisæos nosse ubi sit Jesus; et quod nescientes dent mandatum ut si quis agnoverit ubi sit, indicet illis, ut comprehendant eum. Atque etiam aliter dices, quod qui Jesu insidias moliuntur, nesciunt ubi sit; quam ob causam alia dant mandata a mandatis Dei, docentes doctrinas hominumque mandata [1]. Et sunt ipsorum mandata quæ Pharisæi præbent et pontifices corporalium Judæorum, adversus Jesum : volunt enim quosdam indicare sibi Jesum, ut illum mancipium acceptum prodant. Dices etiam omnem curiose perscrutantem Christianismum, quo subvertat illud et accuset, Pharisæum quemdam esse, et non bonum pontificem, rerum ratione carentium dantem mandata, quibus existimat se docere Jesum, ut ipsum sibi indicatum comprehendat, et contumeliis affectum occidat.

[1] Matth. xv, 9. Marc. vii, 7.

TOMUS TRIGESIMUS SECUNDUS [1].

§ UNICA.

De cœna Domini.

Deo [2] nobis per Jesum Christum iter ex animi sententia largiente, gradimur per Evangelii sancti viam magnam, eamque viventem, ut ad ipsius etiam finem perveniamus, si per eam a nobis agnitam ambulaverimus. Atque utinam cum nunc veluti secundam et trigesimam stationem, in his quæ dicenda sunt, ingredi conemur, nobis adsit columna illa lucidæ nubis Jesu, quæ nos præcedat cum opus erit, rursusque stet cum oportebit; donec, o Ambrosi homo sacer, idemque frater, totum copiosis commentationibus explanaverimus Evangelium; non succumbentes ob longitudinem viæ prolixæ, neque defatigati ob nostram infirmitatem, sed conantes incedere per vestigia columnæ veritatis. Utrum autem velit Deus mentem nostram iter perficere Scripturæ totius Evangelii a Joanne traditi explanationibus, annon, ipse novit. Tantum domi existentes in corpore [3], et ab ipso peregrinantes, ut præsentes adsimus apud Dominum, extra Evangelium non eamus, ut operibus sermonibusque beatitudines ferentibus, in paradiso deliciarum Dei fruamur.

« Et cœna facta, cum diabolus jam immisisset in cor Judæ » Simonis Iscariotæ ut proderet eum, sciens Jesus omnia

[1] Tom. IV ed. Benedd. p. 404 et seqq. — [2] N. 1-17. p. 404-449.
[3] 2 Cor. v, 6, 8.

» dedisse sibi Patrem in manus, seque a Deo exisse et ad
» Deum abire, surgit a cœna et ponit vestimenta; cumque
» accepisset linteum præcinxit se : deinde misit aquam in
» pelvim, et cœpit lavare pedes discipulorum, et extergere
» linteo quo præcinctus erat [1]. » In homiliis quas in Lucam edidimus, parabolis inter se collatis, inquisivimus quid in divinis Scripturis significaret prandium, quidque rursus in his significaret cœna. Dicatur ergo etiam nunc quod prandium sit ille primus cibus qui iis qui introducuntur convenit, atque etiam antequam finiatur dies spiritualis, qui in hac vita obtingit; cœnam vero esse ultimum illum cibum qui rationabiliter apponitur his qui plus profecerunt. Nisi dicat etiam aliquis prandium esse intelligentiam veterum Scripturarum, cœnam vero mysteria quæ in novo Testamento sunt recondita. Hæc autem in procemio dicta mihi fuere exquirenti quomodo facta cœna surgit Jesus, et missa aqua in pelvim cœpit lavare pedes discipulorum. Arbitror enim ego eos qui cum Jesu cœnant, cibum cum ipso percipientes in ultimo hujus vitæ die, purificatione quidem aliqua opus habere; cum tamen non opus habeant ut primæ partes corporis animæ (ut ita loquar) illorum laventur, sed, ut aliquis diceret, illa illis tantum lavanda sint quæ sunt ultima et extrema, et quæ in terra necessario versantur; hancque purificationem primum quidem a nullo præterquam a solo Jesu fieri posse, deinde vero etiam a discipulis suis, quibus dixit : « Debetis et vos mutuo lavare pedes :
» exemplum enim dedi vobis ut, quemadmodum ego feci
» vobis, sic et vos faciatis [2]. » Quin Evangelista etiam videtur mihi, excitans mentem nostram ad intelligentiam spiritualem præsentis loci, non observasse hoc in loco corporalem lavandi consequentiam et ordinem; quandoquidem qui opus habent lavari, ante cœnam anteque cœnæ accu-

[1] Joan. XIII, 2 et seq. — [2] Ibid. 14, 15.

bitum pedes lavent; sed id temporis cum sermone consumpsisset, scripsisse Jesum, qui jam accubuerat cœnandi causa, a cœna surrexisse, ut discipulorum qui jam cœnarant Magister et Dominus inciperet pedes lavare; namque ante cœnam loti erant et facti mundi toti, propter illud : « Lavamini, mundi estote, auferte vitia ab animabus vestris, coram oculis vestris[1], » et quæ sequuntur; post quod lavacrum secunda etiam aqua egebant ad solos pedes, hoc est, ad eas solas corporis partes quæ infimæ sunt. Nam fieri non posse arbitror ut anima nihil sordium contrahat, ne in extremis quidem partibus, et quæ infimæ sunt; etiam si quoad homines perfectus quis esse videatur. Atque multi quidem etiam post baptismum peccatorum pulvere caput replent, vel ea quæ hoc sunt paulo inferiora; qui vero germane ipsius Jesu discipuli fuerint, adeo ut eo perveniant ut etiam cum eo ipso cœnent, solos pedes habent qui egeant lavari ἀπὸ τοῦ λόγου [hoc est, a Filio Dei et ratione]. Et certe qui videt diversitates peccatorum, quique peccata considerat quantum ad accuratam et constantem rationem (quæ nec peccata existimantur esse apud multos), is visurus est quænam sint illa ob quæ opus habeant pedes lavari a Jesu. Sin vero talia sunt pedum inquinamenta, quid facturi sumus nos qui nunquam ad cœnandum cum Jesu pervenimus, quique non pedes tantum habemus inquinatos? dicente Jesu Petro tum nescienti, sed agnituro postea mysterium lavationis pedum qui a Jesu mundantur : « Nisi lavero te, non habebis partem mecum[2] : » quod quem sensum habeat inquires; utrumne hunc : Nisi lavero te, nullam omnino bonam partem habiturus es; an illum : Ne mecum quidem præceptore ac Domino habiturus es partem, nisi te lavero; sed cum me inferioribus, inter quos sunt ii qui post baptismum nec cœnarunt mecum, nec pedes habue-

[1] Isai. I, 16. — [2] Joan. XIII, 8.

runt a me lotos; vel si cœnarunt, a me tamen loti non fuerunt. Illud autem noto propter hæc verba : « Ecce ego sto » ad ostium, et pulso : si quis mihi aperuerit ostium, ingre- » diar ad eum, et cœnabo cum eo, et ipse mecum[1]; » ne forte Jesus cum ullo non prandeat : neque enim eget introductione et primis disciplinis, neque prandet aliquis cum eo; sed qui cum illo comedit, tantum cœnat : « Plusquam *enim* » Salomon[2], *inquit,* hoc in loco[3], » de quo scriptum est : « Et » erat prandium Salomonis[4] » hoc, quod in Regum tertio recensitum est. Ausim etiam hoc dicere tanquam consequens huic dicto : « Nisi lavero te, non habebis partem me- » cum[5], » Jesum Juda pedes non lavisse, nimirum quod illi jam diabolus immisisset in cor ut Jesum traderet præceptorem et Dominum, cum invenisset eum non indutum omnem Dei armaturam, nec habentem fidei scutum, quo valet quis omnes Mali illius sagittas ignitas extinguere[6] : intelligo enim hoc quod scriptum est : « Cum jam diabolus immi- » sisset[7], » sicut etiam Scriptura hac de re in septimo Psalmo docet, nimirum feriente diabolo, qui veluti sagittarius sagittas ignitas confecit iis qui omni custodia cor suum non servant. Est autem Psalmi contextus talis : « Nisi con- » versi fueritis, gladium suum vibrabit, arcum suum teten- » dit, et paravit illum, et in eo paravit vasa mortis, sagittas » suas ardentibus effecit. Ecce parturiit injustitiam, conce- » pit laborem, et peperit iniquitatem[8]. » Atque omnis quidem fatebitur verba hæc : « Ecce parturiit injustitiam, con- » cepit laborem, et peperit iniquitatem, » referri posse ad diabolum : ad quorum etiam verborum similitudinem non existimare dictum fuisse illud : « Nisi conversi fueritis, gla- » dium suum vibrabit, arcum suum tetendit, et paravit

[1] Apoc. III, 20. — [2] Matth. XII, 42. — [3] Luc. XI, 31. — [4] 3 Reg. IV, 22. — [5] Joan. XIII, 8. — [6] Ephes. VI, 11, 16. — [7] Joan. XIII, 2. — [8] Psal. VII, 13, 14, 15.

» illum, et in eo paravit vasa mortis, » absurdum est. Nam vasa mortis nemo alius arcu suo quem tetendit paravit, nisi ille cujus invidia mors intravit in orbem [1]. Ex iis igitur sagittis quas ardentibus confecerat diabolus, immisit in cor Judæ Simonis Iscariotis, jam sic in cœna saucii ut etiam illi placeret celeriter convivatorem prodere : quoniam cœnæ hujus cibus, vinumque quod in ipsa erat, cor non poterat (diaboli enim erat sagitta saucium) penetrare. Nec aperte in his apparet quis esset ille a quo cœna fiebat, ut in superioribus : « Fecerunt illic, *inquit,* cœnam illi, et Martha » ministrabat, eratque Lazarus unus ex recumbentibus cum » ipso [2]. » Atque de Juda quidem scriptum est : « Cum jam » diabolus immisisset in cor Judæ Simonis Iscariotæ ut pro» deret eum [3] ; » sed huic consequenter dices de singulis cor a diabolo saucium habentibus : Cum jam misisset diabolus in cor illius ut fornicaretur; et in cor illius ut fraudaret; et ut perditæ opinionis admittat idololatriam alicujus ex his qui videntur esse in dignitate : et isto modo in cæteris peccatis etiam dices, quæ diabolus mittit in cor quod non habet fidei scutum ; quo fidei scuto non unam, aut duas, sed omnes Mali sagittas ignitas extinguere quis potest [4].

Appropinquante igitur œconomia passionis, in qua proditurus eum erat Judas Simonis Iscariotes a diabolo saucius factus, « Cœna jam facta, sciens, *inquit,* Jesus om» nia sibi dedisse Patrem in manus, seque a Deo exiisse, et » ad Deum abire, surgit a cœna [5]. » Igitur quæ antea non erant in manibus Jesu dantur a Patre in manu illius, nec aliqua quidem et aliqua non, sed omnia : quæ spiritualiter David videns inquit : « Dixit Dominus Domino meo : Sede » ad dextram meam, donec inimicos tuos subdam scabel» lum pedibus tuis [6]. » Etenim inimici Jesu pars quædam

[1] Sap. II, 24. — [2] Joan. XII, 2. — [3] Idem, XIII, 2. — [4] Ephes. VI, 16. — [5] Joan. XIII, 2, 3, 4. — [6] Psal. CIX, 1.

omnium erant quos noverat Jesus, quantum ad præscientiam, sibi datos fuisse a Patre. Ut autem videamus apertius quid sit : « Omnia dedit ei Pater in manus [1], » inspiciamus hoc dictum, « Quemadmodum enim omnes in Adam mo-» riuntur, sic etiam in Christo omnes vivificabuntur [2] : » nam quamvis dederit illi omnia Pater in manus, atque in Christo sint omnes vivificandi, non confunditur tamen justitia Dei, quin distributio fiat ex dignitate uniuscujusque : quod declaratur ex his quæ mox huic dicto, « sic in Christo » omnes vivificabuntur, » subjunguntur, nempe : « Unus-» quisque autem in suo ordine [3]. » Rursusque varie ipsos considerabis ordines eorum qui in Christo sunt vivificandi, quando impletur illud : « Omnia dedit ei Pater in manus [4], » illud notans : « Primitiæ Christus : deinde hi qui sunt Chri-» sti, in adventu ejus : deinde finis [5]; » qui finis cum Christo in adventu ejus instabit, « cum tradiderit regnum Deo » et Patri, prius omni principatu et omni potestate ac vir-» tute abolitis. » [Hæc autem sunt, ut arbitror, cum quibus lucta est, ut jam non sit principatus, non potestas, non etiam virtus, cum quibus est lucta et colluctatio : ob eamque causam jam luctæ nullus erit relictus locus, omni principatu, potestate et virtute deletis.] Movet autem me ut credam principatum omnem, et potestatem omnem et virtutem omnem quæ destruuntur [6], ea esse adversus quæ nobis sit pugna, eo quod his quæ Paulus dixit mox subjungatur : « Oportet enim eum regnare, donec posuerit omnes » inimicos sub pedes suos : deinde novissimus hostis abo-» leatur mors [7] : » quod profecto cum hoc dicto : « Om-» nia dedit illi Pater in manus ejus [8], » convenit : id quod apertius exponens Paulus inquit : « Cum autem dicat omnia

[1] Joan. XIII, 3. — [2] I Cor. XV, 22. — [3] Ibidem, 23. — [4] Joan. XIII, 3. — [5] I Cor. XV, 23, 24. — [6] Ephes. VI, 12. — [7] I Cor. XV, 25, 26. — [8] Joan. XIII, 3.

» illi subjecta esse, palam est excipiendum esse eum qui » subjecit illi omnia [1]. » Sin vero omnia subjecta fuere præter eum qui subjecit illi omnia, perspicuum est quod et is de quo scriptum est : « Coram Domino omnipotente col» lum fregit [2], » erit ex his qui subduntur illi; victus ut cedat Sermoni, Filio Dei, et ut subdatur imagini Dei, et sit subsellium Christi pedum. Œconomiam igitur aspiciens ad bonum finem jam tendentem, propter illud : « Cum jam » immisisset diabolus in cor Judæ Simonis Iscariotis ut eum » proderet [3], » noverat omnia sibi Patrem dedisse, dedisseque in manus omnia capientes, ut omnia essent illi mancipia : vel, omnia dedisse sibi Patrem in manus noverat; hoc est, in actiones suas et recte facta, nam « Pater, *inquit,* » meus ad hoc usque temporis operatur, et ego operor [4]. » Cæterum propter illa quæ a Deo exierant facta extra Deum, et extra eum qui noluisset principaliter exire a Patre, exivit a Deo Jesus, ut quæ exierant venirent in manus via et ordine Jesu, et disponerentur ad Deum ire sequentia Jesum; et quia sequerentur Jesum, futura apud Deum, ex quo dictum est Petro : « Quo ego vado non potes me nunc sequi; » sequeris autem postea [5] : » adhuc enim habebat Petrus quod non permitteret illum sequi λόγον, [et Filium Dei]. Simile vero esse, sed juxta quamdam justam analogiam et rationem, illud quod dicendum est singulis illis omnibus quæ Pater Filio dedit in ipsius manus (singulis enim omnibus dicetur illud : « Sequeris autem me postea »), considerare te oportet : verum si simul non sequantur, cum dicitur : « Sequeris autem me postea, » vox *postea,* singulis qui secuti fuerint conveniens, non ad idem tempus refertur : id quod etiam mihi considera de his quæ destruuntur, sive cum destruxerit omnem principatum, sive omnem potes-

[1] 1 Cor. xv, 27. — [2] Job, xv, 25. — [3] Joan. xiii, 2. — [4] Idem, v, 17. — [5] Id. xiii, 36.

tatem, sive omnem virtutem, et generatim donec posuerit omnes inimicos suos sub pedes suos, atque ultimus hostis abolebitur mors [1]. « Sciens *igitur* Jesus omnia dedisse sibi » Patrem in manus, seque a Deo exisse, et ad Deum abire [2], » et sciens quantum in hæc moti sumus, ut exposuerimus in medium adducentes opinionem nostram in hoc dictum : « A Deo exivit, *et in hoc,* ad Deum vadit; surgit, *inquit,* » a cœna; » quod pariter considerabimus cum sequentibus. Et vide an possis in his dicere, summopere quidem illum oblectatum fuisse cœnando cum discipulis suis; afflictim vero et necessario, propter discipulos, a cœna surgere, eatenusque a cœnando eum cessare, quatenus pedes mundet discipulorum non valentium habere partem secum, nisi ipse illorum pedes laverit.

Sed diligenter quid dicatur post hæc verba, « surgit a » cœna, » consideremus. « Ponit, *inquit,* vestimenta, cum- » que accepisset linteum, præcinxit se [3]. » Dicamus etiam in hoc contextu ad eos qui nolunt a verbis ascendere, et mente considerare animæ cibos in his verbis positos : Quid obstabat quominus indutus ipse discipulorum pedes lavaret? At vero nisi aliquo modo viderimus ut dignum est ipsius Jesu, vestimenta quibus circumdabatur cœnans cum discipulis, et se exhilarans, considerabimus quod ornamentum circa se habebat caro factus Filius Dei Sermo. Hoc autem formatum in quadam textura, et tela dictionum ad dictiones, et vocum ad voces deponit, fitque nudior cum figura servili, quod declaratur per illud : « Cum accepisset » linteum, præcinxit se, » ut et non omnino nudus esset, et cum lavisset, tela ad id accommodatiore discipulorum abstergeret pedes. Et vide in his, quomodo magnus et glorificatus Sermo factus caro seipsum minuat, ut lavet pedes discipulorum : « Mittit *enim, inquit,* aquam in pelvim [4]. »

[1] 1 Cor. xv, 24, 25, 26. — [2] Joan. xiii, 3. — [3] Ibid. 4. — [4] Ibid. 5.

Atque Abraham equidem « cum respexisset oculis suis, vi-
» dit : et ecce tres viri steterunt juxta eum; quos cum vidis-
» set occurrit eis de ostio tabernaculi, et incurvavit se versus
» terram, et dixit : Amabo, Domine, si hanc gratiam a te
» impetrare possum, ne, quæso, prætereas servum tuum [1]. »
Non ipse accipit aquam, non promittit se pedes eorum qui
veluti hospites advenerant lavare; sed inquit : « Sumatur,
» quæso, aqua, et laventur pedes vestri [2]. » Sed ne Joseph
quidem aquam attulit ut lavaret undecim fratrem pedes,
sed homo de domo Joseph « eduxit ad eos Simeon, et tulit
» aquam ut lavarent pedes suos [3]. » At vero ille qui dixit :
« Ego veni, non tanquam qui recumbit, sed tanquam qui
» ministrat [4]; » quique dicebat juste : « Discite a me quia
» mitis sum et humilis corde [5], » ipse mittit aquam in pel-
vim : norat enim neminem sic posse lavare pedes discipu-
lorum, [ut quod abluerentur, ipsi cum eo partem haberent,
quemadmodum ipse posset. Aqua autem, mea quidem sen-
tentia, tale verbum erat, abluens discipulorum pedes] qui
venerant ad pelvim appositam sibi a Jesu. Deinde quæro cur
tandem non scriptum sit : Lavit pedes discipulorum, sed
dictum fuerit : « Et cœpit lavare pedes discipulorum [6]. »
Utrum enim consuetudo talis est Scripturarum, juxta quam
non jure, comparatione consuetudinis multorum, præponi
videtur illud, *cœpit;* an cœpit quidem Jesus lavare pedes
discipulorum, haud tamen tum cessavit illorum pedes la-
vare; lavit enim postea, atque ipsum lavare complevit, quo-
niam inquinati fuerant, juxta illud : « Omnes vos offende-
» mini causa mea nocte hac [7], » et juxta illud quod Petro
est dictum : « Non cantabit gallus donec ter abnegaris me [8]. »
Cum enim hæc peccata commissa fuerunt, tunc opus ha-

[1] Gen. XVIII, 2, 3. — [2] Ibid. 4. — [3] Id. XLIII, 23, 24. — [4] Luc. XXII, 27. — [5] Matth. XI, 29. — [6] Joan. XIII, 5. — [7] Matth. XXVI, 31. — [8] Joan. XIII, 38.

buerunt discipulorum pedes inquinati, ut rursum lavarentur : quos lavare cœpit quando surgit a cœna, ac lavare complevit cum eos mundasset non amplius inquinandos. Hunc etiam in modum cœpit extergere pedes discipulorum; illos complens abstergere, cum complevit etiam lavare.

« Venit ergo ad Simonem Petrum, et dicit ei ille : Domine, tu mihi lavas pedes? Respondit Jesus, et dixit ei : » Quod ego facio tu nunc nescis, scies autem postea. Dicit ei Petrus : Nequaquam laveris pedes meos in æternum. » Respondit ei Jesus : Si non lavero te, non habes partem » mecum. Dicit ei Simon Petrus : Domine, non tantum pedes meos, sed et manus, et caput. Dicit ei Jesus : Qui lotus » est, nihil opus habet præterquam pedes lavare, sed est » mundus totus : et vos mundi estis, sed non omnes : sciebat » enim quisnam esset proditor ipsius : [propterea dixit : Non » estis mundi omnes]. » His quæ nunc a Petro sunt dicta opportune utemur exempli causa, sicubi opus fuerit, propterea quod facile factu sit ut aliquis propter imprudentiam optimo proposito dicat quæ sibi minime sint utilia. Nam si Petro utile erat ad habendam partem cum Jesu, ut sui pedes lavarentur ab ipso, et Petrus nesciens utile hoc esse prius quidem illud, veluti addubitans, dixit verecunde : « Domine, tu mihi lavas pedes? » ac denuo : « Non lavabis » mihi pedes in æternum, » et quæ Petrus dicebat prohibebant opus quod eo eum eveheret ut haberet partem cum Servatore; perspicuum est, etiamsi sano proposito et venerando ad Præceptorem hoc dixerit, nocenter sibi dixisse. Itaque hac specie peccatorum vita eorum repleta est, qui dum ad fidem veniunt, res quidem proponunt sibi præstantes, propter ignorantiam tamen, quæ in contrarium ducunt dicunt vel etiam faciunt. Atque hujusmodi profecto sunt qui dicunt : « Ne tetigeris, neque gustaveris, neque

[1] Joan. XIII, 6 et seq.

» contrectaveris de omnibus quæ sunt in corruptionem et » abusum[1] » hominum, juxta quamdam divina longe inferiorem doctrinam earum rerum, per quas homo quasi moritur. Quid autem dicere oportet de his qui in hæresibus fluctuant, quique omni vento circumferuntur[2] per versutiam hominum divulgantium salutaria esse quæ perniciem afferunt, ac tanquam in honorem Jesu falsa de ipso opinantium? Petrum itaque sæpenumero Scriptura talem notavit ferventiorem ad promittendum quæ sibi videbantur meliora; quemadmodum etiam in eo quod dixit absque ulla examinatione, ac veluti spernens prophetiam Jesu de discipulis dicentis : « Omnes vos offendemini mea causa nocte » hac[3], » et causam ostendentis in eo quod ait : « Scriptum » est enim : Percutiam pastorem, et dispergentur oves gre» gis : » absque ulla enim examinatione, et quasi spernens enuntiationem Jesu, dixit ad hoc : « Etiamsi omnes offen» dantur tua causa, ego tamen nunquam offendar[4]; » id quod tum temporis temerarium existens in animo ipsius, etiam in causa fuit ut graviore præ cæteris lapsu peccarit ipse, Jesum ter negando ante galli cantum. Hanc ob causam talem sui ipsius temeritatem priorem diligentius cum perspexisset, maximum ex ea fructum percepit, adeo ut postea factus sit fortissimus, atque ad quidquid accidisset æquanimiter ferendum paratissimus : quod declaretur ex eo quod Paulo dicente illi coram omnibus : « Si tu Judæus » cum sis, Gentiliter vivis et non Judaïce, quomodo Gentes » cogis Judæorum more vivere[5]? » et quæ sequuntur, hic cum fortitudine tacuit [et patientissime quod in illo loco cum ratione factum fuerat non docuit], qua de re accommodatius quis in Epistola ad Galatas disputabit. Quin in Apostolorum quoque Actis constantia ipsius ad eamdem ima-

[1] Coloss. II, 21, 22. — [2] Eph. IV, 14. — [3] Matth. XXVI, 31. — [4] Ib. 33. — [5] Galat. II, 14.

ginem transformati patebit singula observantibus, et mentem adhibentibus. Igitur hoc etiam in loco, Jesu, qui a cœna surrexerat, et posuerat vestimenta, quique præcinxerat se eo linteo quod acceperat, quique posuerat aquam in pelvim, atque incœperat lavare pedes discipulorum et abstergere linteo quo erat præcinctus, cum omnes exhibuissent pedes, consequenter opinioni quam jam ante de Jesu conceperant, videntes quod talis non sine causa, nec, ut multi dicerent, gravare volens discipulos, lavat ipsorum pedes; sed utile aliquid perficiens, quod expectabant in posterum cognoscendum : considerantes ne forte hæc agerentur symbolum existens alicujus rei, solus Petrus id quod in promptu erat et apertum intuitus, nullo alio consilio adhibito, veluti honorans Jesum, non præbuit illi suos pedes lavandos, sed primum quidem tentavit illum pudore perfundere dicens : « Domine, tu mihi lavas pedes[1] ? » deinde cum debuisset parere dicenti : « Quod ego facio tu nescis » nunc; scies autem postea, *inquit* : Non mihi lavabis pe» des in æternum. » Alioquin etiam cum cæteri discipuli commisissent seipsos Jesu fidei, de re nulla illi contradicentes, hic ex his quæ dicit, etiamsi recte se verba facere putabat, non solum Jesum incusat, tanquam qui sine causa discipulorum pedes lavare incœperit, verum etiam condiscipulos. Nam si ipse, opinione sua, dum prohibere vellet, officiosum se præbuit, illis idipsum non considerantibus, etiam illos accusavit qui præter officium pedes suos lavandos Jesu præbuissent. Atque equidem si cogitasset, rei quæ cum ratione efficitur non contradicendum, cogitassetque rationabile esse id quod fiebat dum lavarentur discipulorum pedes a Jesu, haudquaquam repugnasset facto. Quamobrem apparet sine judicio eum cogitasse voluntatem Jesu de lavandis pedibus discipulorum rationi consen-

[1] Joan. xiii, 6, 7.

taneam non fuisse. Quod si opus est Scripturam perscrutari usque ad ea quæ minima esse putantur, quæret aliquis cur tandem, cum in numerandis Apostolis primum locum obtineat Petrus (fortassis quia cæteris honorabilior, quoniam etiam vere omnium ultimus Judas ob malum affectum in ultimum locum projectus jacet), cum Jesus incœpisset lavare pedes discipulorum et abstergere linteo quo erat præcinctus, non a Petro incœperit, [sed ab illo?] (5) Ad quod respondendum est : Ut medicus plurimis infirmis subministrans juxta artem medicinæ, initium medendi facit ab his qui urgentur, quique pejus affecti sunt; sic discipulorum sordidos pedes lavantem, incœpisse a magis sordidis; atque equidem fortassis ad Petrum postremo venit, quia minus cæteris indigeret ut sibi lavarentur pedes : fortassis etiam status pedum suorum, qui proxime accedebat ad munditiem, efficit ut contradicere cogitaret.

Porro si examinemus quod dixit Jesus, nempe : « Qui lo- » tus est nihil opus habet præterquam pedes lavare, sed est » mundus totus : et vos mundi estis, sed non omnes[1], » fortasse talem suggerit intelligentiam, perinde quasi discipuli lotos jam haberent pedes a Jesu, et quod post illam lavationem non amplius opus haberent lavari; quodque Petrus etiam mundus jam existeret, antequam illius pedes lavaret Jesus. Quod si contra hæc quærat aliquis cur cum dixisset : « Qui lotus est non opus habet ut lavetur, sed est mun- » dus totus, » lavet tamen Jesus pedes discipulorum, qui alioquin opus non habebant sibi eos lavari; huic illud dicendum est : « Omni habenti dabitur, et adjicietur[2]; » unde habentibus discipulis munditiem, Jesum, ut adjiceret munditiei illorum, illorum pedes etiam lavare; illos alioqui non lavaturus ni loti fuissent atque omnino mundi : ita tamen ut dicamus neminem ex his qui isto modo sunt mundi, etiam

[1] Joan. XIII, 10. — [2] Matth. XXV, 29.

si perfectus quis sit inter filios hominum, absente mundiția (ut ita loquar) Jesu, mundum reputandum esse. Et hæc quidem ultimo expono, quæ succurrerunt post priora superius dicta, servantibus nobis ordinem eorum quæ in mentem venerunt et intelligentiam : verbi gratia, cum prius conspexerimus sordidatos pedes discipulorum eguisse ut a Jesu lavarentur, nunc idcirco illum illorum pedes lavisse dicimus, quia essent comparatione hominum mundi, sed non etiam apud Deum ; nec enim sine Jesu aliquis fit apud Deum mundus, etiamsi coram se existimetur aliquis aliqua diligentia seipsum mundum fecisse. Jam in his qui hominum comparatione mundi sunt facti, quique loti sunt Jesu baptismo, quique etiam ab ipso lotos pedes habent, inhabitare potest etiam Spiritus sanctus, virtusque ex alto, ceu vestimentum. Atque Petrus quidem non considerans rationem voluntatis Jesu, qui incœperat lavare pedes discipulorum et abstergere linteo quo erat præcinctus, dicit illi : « Domine, tu mihi lavas pedes[1] ? » dubitative, et veluti pudore illum afficere volens, hoc dicens : at vero « Jesus respondit, et dixit illi : Quod ego facio tu nunc nescis, scies autem postea ; » docens mysterium hoc esse. Sed quid erat illud quod faciebat Jesus lavando pedes discipulorum ? An operabatur lavando ipsorum pedes et abstergendo linteo quo erat præcinctus, ipsos speciosos, cum futurum esset ut Apostoli bona evangelizarent ? Nam quando lavit pedes discipulorum Jesus, tunc opinor illud prophetice dictum de Apostolis suis completum fuisse : « Quam speciosi sunt pedes evangelizantium bona[2] ! » Quod si pedes discipulorum lavans pulchros eos facit, quid dicturi sumus ingenerari a vera pulchritudine his qui toti sunt baptizati a Jesu in Spiritu sancto et igni ? Proinde pedes evangelizantium bona pulchri fuerant, ut loti et mundati et abstersi Christi ma-

[1] Joan. XIII, 6, 7. — [2] Isai. LII, 7.

nibus, incedere possent per sanctam viam, atque iter facere per illum, qui dixit : « Ego sum via [1]. » Solus enim et omnis cujus pedes laverit Jesus, viam perambulat hanc viventem et ad Patrem ducentem; nec capit hæc via pedes inquinatos et pedes qui nondum sunt mundi. Atque Moses quidem opus habebat solvere calceamentum ex pedibus suis [2], quoniam is locus ad quem pervenerat et in quo stabat, terra sancta erat; similiter et Jesus Nave filius [3]. At vero Jesu discipulis, ut per hanc viventem animatamque viam perambulent, non solum satis est in via calceos non habere, cum hoc Jesus discipulis suis præceperit [4]; sed ad hanc ipsam viam conficiendam opus etiam habebant lavari a Jesu, qui deposuit vestimenta : fortassis ut mundos illorum pedes existentes, mundiores faceret; fortassis etiam, ut immunditiam quam in pedibus suis habebant discipuli in suum ipsius reciperet corpus, mediante linteo eo quo solo præcinctus erat : fert ipse namque infirmitates nostras [5]. Vide igitur quod lavaturus pedes discipulorum nullum aliud tempus elegerit, nisi quando jam diabolus immisisset in cor Simonis Judæ Iscariotis [6], ut proderet eum, et quando facienda erat pro hominibus œconomia : ante hanc etenim non opportunum erat discipulos habere pedes a Jesu lotos; quis enim loturus fuerat pedum illorum sordes intra hoc tempus usque ad passionem? Sed ne tempore quidem passionis : neque enim alius erat Jesus, qui illorum lavaret pedes. Ac ne post œconomiam quidem : jam enim aderat hora Spiritus sancti ad discipulos venturi jam factos mundos, et lotos habentes pedes, eosque promptos et pulchros ad evangelizandum in Spiritu sancto bona. Tale igitur illud est : « Quod ego facio tu nunc nescis; scies autem postea [7]. » Quod ego lavem pedes vestros, nota est quod animarum ve-

[1] Joan. XIV, 6. — [2] Exod. III, 5. — [3] Josue, V, 16. — [4] Matth. X, 10. — [5] Isai. LIII, 4. Matth. VIII, 17. — [6] Joan. XIII, 2. — [7] Ibid. 7.

strarum purificentur gressus, ut sint pulchri evangelizaturis vobis bona, et mundis pedibus ingressuris in hominum animas. Hoc autem mysterium tu nunc quidem nescis, quia nondum percipis cognitionem ejus opportunius in te futuram, simul atque ego lavero pedes tuos; postea vero cognosces, dum hoc intelliges illuminatus cognitione non parva, neque facile contemnenda. Cæterum hæc loquente Jesu Petro, discipulus respondet responsum non peritum, sed sententiam proficiscentem quidem ab affectu, et erga Jesum honoris et reverentiæ plenam, sed tamen qua falleretur. Quocirca quoniam utilis Petro non erat ejus responsio, non sinit eam ille veram esse, qui nocua utilitati dicentis et vere eventura prohibet, pro sua bonitate. Atque Petrus quidem inquit : « Non lavabis mihi pedes in æternum[1], » enuntiavitque, cum Jesus illius pedes lavare decrevisset, nunquam futurum ut lavaretur ab ipso, ac ne hoc quidem ullo unquam sæculo futurum; sed ille qui videbat Petro conducibilius esse ut hac in re mentiretur quam ut vera diceret, utilitatem ostendit in eo quod non opus erat ut qui hoc dixisset vera loqueretur, dicens : « Nisi lavero te, non ha» bes partem mecum[2]. » Atque equidem si Petrus, qui enuntiarat : « Non lavabis mihi pedes in æternum[3], » vera dicens hac in re non habiturus erat cum Jesu partem (alioqui habiturus mentiens), eo quod temerarie præveniens locutus fuisset, quid aliud agere opus erat, nisi mentiri ? ne hoc quod verum Petrus diceret, impedimento ipsi Petro esset, quominus haberet partem cum Jesu, qui ostendit illum mendacem lavando pedes ejus : scriptum est enim : « Omnis » homo mendax[4]. » Opportune autem utemur hoc dicto ad eos qui audacius ac sine delectu id se facturos dicunt quod minime illis conducat, præsertim si desistere nolint ab eo quod male promiserint : ostendentes enim illis quia nulla-

[1] Joan. XIII, 8. — [2] Ibid. — [3] Ibid. — [4] Psalm. CXV, 11.

tenus habituri sint partem cum Jesu si vocem temerariam in promittendo servaverint, futurum vero ut bonam spem habere possint si quod prius dixerant spreverint, abducemus eos a persistendo in his quæ male judicassent, etiam si aliquando cum juramento tale fiat, propter multam temeritatem; dicemusque : Quemadmodum prohibetur Petrus, qui dixit : « Non lavabis mihi pedes in æternum [1], » persistere in eo quod dixerat, ut habeat partem cum Jesu; sic tu qui peccasti propter temeritatem, atque etiam promisisti nullo delectu, melius facturus sis, si desistens a permanendo in hoc quod male judicasti, ad hoc agendum quod magis est consentaneum transeas. Qui autem hoc dictum observaverunt : « Quod ego facio tu nunc nescis; scies au» tem postea [2], » et illud : « Nisi lavero te, non habes partem » mecum, » nolentes illud huicque similia ad tropologiam referre, pudefacti admittant talem Evangelicarum disputationum formam, vel nolentes ostendant qui consentaneum esset eum qui propter venerationem (ut isti dicturi sunt) qua Jesum prosequebatur dicebat : « Non lavabis mihi pedes » in æternum, » a Magistro audire, sic non habiturum se partem cum Filio Dei, perinde ac maximo peccato obnoxium, quod sui pedes ab ipso loti non fuissent. Nam dicere : Si hoc delictum commiseris, non habebis partem mecum, locum habet id quod dicitur, de peccatis apertis : at vero dicere : « Nisi lavero te, non habes partem mecum, » haudquaquam est consentaneum, si (quod nefas est dictu) Magister hæc videtur respondisse, quod est absurdissimum, discipulo Petro ipsum honoranti, præbere nolenti corporeos pedes suos lavandos ab eo qui statuerat lavare pedes ipsius mansuetissime. Hanc ob causam præbeamus pedes nostros Jesu etiamdum surgenti a cœna, et ponenti vestimenta, et linteum accipienti, et præcingenti se, et mittenti aquam in pelvim, et incipienti

[1] Joan. XIII, 8. — [2] Ibid. 7, 8.

lavare pedes nostros non secus atque si essemus sui discipuli, et extergere linteo quo præcingitur nostri causa, factus in medio nostri tanquam qui ministrat[1]. Nam nisi hoc fecerimus, non habebimus partem cum eo, neque erunt pulchri pedes nostri : præsertim cum æmulemur charismata meliora[2], volentes inter eos annumerari qui bona evangelizant[3]. Cæterum quando liberior est Petrus in loquendo importune, rogatus pedes suos præbere Jesu, cum audisset : « Nisi lavero te, non habes partem mecum[4], » mensuras petitionis ejus vult superare, non tantum solos pedes a Jesu lavandos exhibens, verum etiam manus, quas non amplius Jesus lavari volebat, cum panem comederent, despiciens eos qui dicerent : « Discipuli tui non abluunt ma» nus cum panem edunt[5]. » Exhibuit etiam præter manus, caput, quod non amplius volebat Jesus lavari, quippe quia in eo imago et gloria Dei jam esset : sufficit enim nobis, si eo pervenerimus, ut occasionem habeamus æque ac discipuli, præbendi illi pedes, quos solos lavat et abstergit; nam « qui lotus est non opus habet lavari, sed est mundus to» tus[6] : » si quis vero non est mundus totus, is se non lavit. Sed quærat aliquis, si lotus non opus habet lavari, sed est mundus, et erant discipuli Jesu mundi, tanquam loti, quomodo mittit aquam in pelvim, et cœpit lavare pedes discipulorum Jesus? Cæterum hac de re cum supra disseruerimus ex parte anticipantes, nunc etiam hæc illis addemus, nimirum hæc verba, Opus habemus, posita esse de rebus necessariis, sine quibus aliquis vivere non potest; ut si dicamus in rebus corporalibus hominem non pluribus opus habere, sed his solum quæ dicit Apostolus : « Habentes au» tem cibum et operimentum, his contenti sumus[7] : » quæ vero ad divitias et delicias conferunt, ex abundanti molli-

[1] Luc. XXII, 27. — [2] I Cor. XII, 31. — [3] Isai. LII, 7. — [4] Joan. XIII, 8. — [5] Matth. XV, 2. — [6] Joan. XIII, 10. — [7] I Tim. VI, 8.

bus et delicatis superesse, non tanquam necessaria et sine quibus non possint vivere, sed tanquam superflua. Sic igitur et in divinioribus opus quidem nobis est his quæ introducunt ad vitam, hisque quæ faciunt in eo nos esse qui dicit : « Ego sum vita[1] : » quæ vero sunt supra hæc de quibus dicitur : « Deliciare in Domino, et dabit tibi petitiones cor- » dis tui[2], » et quæcumque considerantur propter paradisum deliciarum, et propter divitias, et propter gloriam, quæ sunt in sinistra sapientiæ, juxta dicentem : « Longitudo enim vi- » tæ et anni vitæ in dextera ejus : et in sinistra ejus divitiæ » et gloria[3], » supra necessitatem esse dicentur. Ac fortasse tale est, cum alicujus qui lotus fuerit lavantur pedes a tali Magistro ac Servatore : nam donum Dei excellit necessitatem, quemadmodum etiam esse in gloria solis, vel lunæ, vel astrorum, in sacra mortuorum resurrectione[4] : atque qui mundus est quidem et lotus, opus non habet ut lavetur, sed lavatur propter illud quod superius assignavimus, nimirum quod « omni habenti dabitur et adjicietur[5] ; » et ut inquit Joannes : « Et mundus mundetur adhuc, et sanctus » sanctificetur adhuc[6]. » Cæterum illud : « Vos mundi es- » tis[7], » refertur ad Undecim, cui subjungitur illud : « Non » omnes, » propter Iscariotem : noverat enim eum a quo tradebatur non esse mundum; primum quidem, quod pauperes illi non essent curæ, fur cum esset, et quod marsupium habens, quæ immittebantur auferret[8] ; deinde quod cœna facta cum jam diabolus immisisset in cor ipsius Judæ Simonis Iscariotæ, ut proderet Jesum, non repulit ferientem[9]. Quocirca loti Undecim etiam mundiores facti fuere cum illorum pedes lavisset Jesus : et Judas non mundus (« Sordidus *enim, inquit,* sordescat adhuc[10] ») factus est

[1] Joan. XI, 25. — [2] Psal. XXXVI, 4. — [3] Prov. III, 16. — [4] I Cor. XV, 41 42. — [5] Matth. XXV, 29. — [6] Apocal. XXII, 11. — [7] Joan. XIII, 10. — [8] Id. XII, 6. — [9] Id XIII, 2. — [10] Apocal. XXII, 11.

sordidior et immundior, quando post buccellam intravit in illum Satanas[1].

« Postquam ergo lavit pedes eorum, receptisque vestibus » suis iterum accubuit, dixit eis : [Scitis quid fecerim vo- » bis ?] Vos vocatis me Magistrum ac Dominum, et bene » dicitis ; sum etenim : si ergo lavi pedes vestros Dominus » et Magister, vos quoque debetis invicem alii aliorum lavare » pedes : exemplum enim præbui vobis, ut quemadmodum » ego feci vobis, vos quoque faciatis[2]. » Probabile est eos qui considerassent magnitudinem potentiæ Jesu, quique intellexissent quid factum fuisset a Jesu, qui lavavit pedes discipulorum, ut ultimas ac viles ipsorum partes ac corpora humi versantia, quorum nota erant illa corpora, mundaret, admiratos opus e lavatione proveniens, haudquaquam ausuros fuisse rem talem etiam ipsos facere, tenuiores se esse existimantes, quam qui possent lavare pedes interiores et occulti hominis, vel eorum qui hæc amplectuntur Dei dogmata ; nisi Jesus per ea quæ exposita sunt, ad hoc adhortatus fuisset eos, figura cœnantis reassumpta, quando docturus erat ea quæ dicuntur ad eos qui jam cœnarant. Atque summa quidem austeritate orationeque ad admonendum maxime accommodata (quo agnoscerent quod actum fuerat) dictum est : « Scitis quid fecerim vobis[3] ? » Verbum autem, *scitis*, per interrogationem legendum est, ut ostendat rei gestæ magnitudinem ; vel imperantis modo, *cognoscite*, ad excitandum illorum intelligentiam, qua illum cognoscerent perpendentes quid gestum fuisset. Summa autem Magistri auctoritate, summaque animi intentione persuadendi illos, dictum est : « Vos vocatis me Magistrum ac » Dominum, et bene dicitis ; sum etenim : si ergo ego lavi » pedes vestros Magister et Dominus, et vos debetis alii alio- » rum lavare pedes[4]. » Lavit quidem Jesus discipulorum

[1] Joan. XIII, 27. — [2] Ib. 12 et seq. — [3] Ibid. 12. — [4] Joan. XIII, 13, 14

pedes, quatenus eorum Magister; pedesque servorum, quatenus Dominus erat. Doctrina enim purgatur pulvis qui ex terra rebusque mundanis contractus non ad aliud pertingit quam ad extremas infimasque partes discipulorum : dominatione vero principatum et potestatem habentis, abjiciuntur ea quæ pedes inquinant eorum qui adhuc vel vulgare ac qualecumque inquinamentum suscipiunt, quia etiamnum habeant spiritum servitutis. Nec ullus cordatus dicturus est Jesum, quatenus ostium, vel quatenus pastor, vel quatenus medicus est, discipulorum et servorum lavare pedes. Ego vero arbitror, quoniam discipulorum pedes necessitatem recipiunt ut a Magistro laventur, nondum percepisse quod illis esset satis, sed etiamnum procul abesse ab illo dicto : « Sufficit discipulo si sit similis præceptori » ipsius [1]. » Atque hic profecto finis est magistri erga discipulum (quatenus magister est) facere discipulum sui similem, ne in posterum egeat magistro; sed ut etiam ipse sit magister, quo alius egeat. Ut enim finis medici (quo egent qui male habent, non qui validi sunt [2]) est sanare male habentes ab ægritudine sua, ne in posterum opera ejus egeant; sic finis magistri est discipulo acquirere illud quod ἀρκετὸν [hoc est, sufficiens] dicitur, ut cum discipulus id habuerit quod sibi sufficit, sit similis præceptori ipsius. At vero quod ad Servatorem nostrum attinet existentem Dominum, cernere est eum ex se longe plus existere quam alii domini, nolentes discipulos esse sicut magistros suos, vel servos sicut dominos. Talis igitur est ille filius paternæ bonitatis et charitatis ejus. Dominus enim cum sit, operatus est ut sint servi sicut eorum dominus; quando scilicet non amplius habebunt spiritum servitutis iterum in timore, sed accipient spiritum adoptionis, per quem clamabunt : *Abba pater* [3]. Attamen, antequam fiant sicut Magister et Dominus, opus

[1] Matth. x, 25. — [2] Id. ix, 12. — [3] Rom. viii, 15.

habent perinde ac discipuli indigi, ut sui laventur pedes, et quasi adhuc servitutis spiritum in timorem habentes. At vero simul atque aliquis ex his habens quæ discipulo sufficiant ut sit sicut magister ejus, et servus sicut dominus, eo pervenerit ut sit sicut magister suus et dominus suus, tunc imitari poterit eum qui lavit pedes discipulorum ; discipulorumque pedes lavare, sicut magister quem Deus in Ecclesia ordinaverit post Apostolos [1], qui in ea primum sortiti sunt locum, ac post Prophetas, qui secundum. Sin vero dictum hoc : « Fratri tuo servies [2], » referri potest ad eos quibus magis deest; et illud : « Esto dominus fratris tui [3], » ad eos qui Jacob instar sunt præstantiores : perspicuum est servum qui factus fuerit sicut dominus, lavare pedes eorum qui serviunt doctrinæ quam penes se habet; quoniam non existimo dictum hoc : « Vos vocatis me Magistrum et Do» minum, et bene dicitis; sum etenim [4], » nihil omnino habere profundum, ac supra multorum intelligentiam, quandoquidem non omnibus qui dicunt, « Domine, Domine, » dictum fuerit a Jesu : « Vos vocatis me Dominum ac Ma» gistrum, et bene dicitis. » Neque enim bene dicunt illi, *Domine*, qui in die illa dicturi sunt : « Domine, Domine, » nonne in nomine tuo edimus, et in nomine tuo bibimus, » et in nomine tuo dæmonia ejecimus, et virtutes multas » fecimus [5]? » proinde dicet illis Jesus : « Discedite a me; » nunquam vos novi, quia operarii estis iniquitatis : » quæ verba, nempe : « Discedite a me, » non illis dixit qui bene dicunt, « Domine, Domine. » Quinetiam hoc dictum : « Non » quisquis mihi dicit, Domine, Domine, intrabit in regnum » cœlorum [6], » palam docet non omnem dicentem, « Do» mine, Domine, » testimonium habiturum ab ipso, sicut nunc Apostoli, quibus dixit : « Bene dicitis; sum etenim [7]. »

[1] I Cor. XII, 28. — [2] Gen. XXVII, 40. — [3] Ib. 29. — [4] Joan. XIII, 13. — [5] Matth. VII, 22, 23. Luc. XIII, 26, 27. — [6] Matth. VII, 21. — [7] Joan. XIII, 13.

Vere enim vitium non amplius eis dominabatur, sed λόγος [id est, ratio], et ut generatim dicam, Dominus, hoc est, universa animata et vivens virtus. Quinetiam si « nullus po- » test dicere, Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto[1], » et consideremus quid sit dicere in hoc loco, « Dominus Jesus ; » qui dicit, « Dominus Jesus, » in Spiritu sancto, bene dicit. An vero qui bene dicit, is omnino dicat etiam in Spiritu sancto, tu quæres, propter illud : « Et bene dicitis [2], » quod nunc examinatur cum illo dicto : « Nondum enim erat Spi- » ritus datus, quia nondum esset Jesus glorificatus [3]. » Illius itaque qui sincere et ex animo servit Filio Dei, officium est bene dicere, « Dominus Jesus, » cum ad discipulum æque pertineat hujus instar dicere, *Magister*[4]; ad quem ipse respondeat, *Sum etenim,* id quod alioquin dicturus non fuerat Jesus servienti peccato, et discipulo mendaciorum. Contingit attamen sanctum quoque opus habere ut sibi laventur pedes : quoniam requiritur etiam a vidua, quæ connumeratur in honorem ecclesiasticum, an, inter alia bona, sanctorum quoque pedes laverit [5]. Nam ridiculum existimo affigi litteræ, viduamque hæc omnia (ut ita dicam) habentem quæ sanctam delineent viduam, hacque una re carentem, non conjungi honori ecclesiastico, cum ipsa frequenter, mediantibus ancillis et vernis, prudenter egerit tempore quo abundabat habebatque opportuna quibus beneficium conferret hospitibus, atque etiam his, ut generatim dicam, qui opus habebant ut ab ea perciperent aliquid officii humani. Nec mireris si tibi exponendum sit anagogico sensu hoc dictum : « Si sanctorum pedes lavit [6], » cum anus jubeantur pari ratione cum presbyteris honesta docere [7]. Vide vero an non etiam operosum sit cuilibet Christi discipulo volenti implere mandatum dicens : « Et

[1] 1 Cor. xII, 3. — [2] Joan. xIII, 13. — [3] Id. vII, 39. — [4] Idem, xIII, 13. — [5] 1 Tim. v, 9, 10. — [6] Ibid. 10. — [7] Tit. II, 3.

» vos debetis alii aliorum lavare pedes [1], » si velit corporales ac sensibiles fratrum pedes lavare, ceu opus debitum, ut fideles in quovis vitæ genere existentes hoc faciant, sive qui videntur esse in sublimitate ecclesiastica episcopi et presbyteri, sive in quibusdam aliis mundanis dignitatibus : adeo ut hanc ob causam herus quoque veniat ad lavandos servi credentis pedes, et parentes filii. Qui mos quidem erat, sed nunc non fit, nisi supra modum rarissime, et apud admodum simplices rusticioresque (6). Præter hæc autem meminisse debemus eorum quæ disseruimus in hunc contextum : « Nisi lavero te, non habes partem mecum [2], » atque etiam illius : « Scitis quid fecerim vobis ? » Decet enim Jesum dedisse nobis exemplum de lavandis pedibus principalibus, quod respondet his quæ tropice dicta fuerunt a Sponsa in Cantico Canticorum, dum dicit : « Lavi pedes » meos, quomodo inquinabo illos [3] ? » Attende autem huic dicto : « Ut quemadmodum ego feci vobis, ita vos etiam » faciatis [4], » cum hoc pariter examinans : « Nisi lavero te, » non habes partem mecum [5]. » Verum si quispiam contra hæc dicat, quamvis per allegoriam dicantur, nihilominus juxta contextum facta fuisse, moraliterque etiam intelligenda esse hæc verba : « Si igitur ego lavi pedes vestros » Magister et Dominus, et vos debetis alii aliorum lavare » pedes : exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego » feci vobis, ita et vos faciatis [6] : » ad hujusmodi respondendum est : ergo quoniam juxta textum factum est quod Petro dicenti : « Non lavabis mihi pedes in æternum [7], » dictum fuit, nempe : « Nisi lavero te, non habes partem » mecum, » etiam nos, juxta contextum, ob reverentiam pedes suos lavandos non præbentibus dicemus, audebimusque talibus dicere : « Nisi lavero te, non habes partem me-

[1] Joan. XIII, 14. — [2] Ibid. 8, 12. — [3] Cant. V, 2. — [4] Joan. XIII, 15. — [5] Ibid. 8. — [6] Ibid. 14 et 15. — [7] Ibid. 8.

» cum. » Quod si hoc in loco tibi non persuadet quod dixi, perpende quid dicere te oporteat contra dubitationem, an omnino juxta textum hæc sint servanda. Atque quod huic quidem aliquando conveniat lavare pedes illius discipuli Jesu, illi vero aliquando suos ab ipso lavandos præbere, ita ut ille ob charitatem et comitatem lavet, hic se lavandum exhibeat, etiam ipse fateor. Sin vero dicemus unumquemque non conscium sibi hoc fecisse, sanctorumque isto modo pedes non lavisse, debitum quoddam mandatum non persolvisse, nempe : « Debetis alii aliorum lavare pedes [1], » tempus est dicendi omnes aliquo modo hujus mandati debitores esse.

« Amen, amen dico vobis : Non est servus major domino » suo, neque legatus major est eo qui legavit ipsum : si » hæc novistis, beati estis si feceritis ea. Non de omnibus » vobis loquor ; ego scio quos elegerim ; sed ut impleretur » Scriptura : Qui edit meum panem sustulit adversum me » calcaneum suum [2]. » Adhuc et hæc cohærere mihi videntur, ut sciamus ad mores reducere quæ dicuntur de lavatione pedum. Hæc enim verba : « Si hæc novistis, beati estis » si feceritis ea [3], » cum nihil antea præscriptum sit quod agere debeamus, præterquam de lotione pedum, ad illa habent relationem. Cæterum præsentis loci doctrinas scire ut Sermo vult, et facere ut vult Jesus, nempe quomodo discipulorum, qui jam laverant, pedes inquinentur, et quonam pacto laventur, vere opus est virorum beatorum : hoc enim tale tantumque nomen, nempe, *beatum*, consentaneum non est dicere adesse quibusdam vulgaribus : adeo ut vel servo lavanti pedes domini videatur hanc ob causam beati nomen obtingere, etiam si adulator et hypocrita fuerit ; cum, ut nos explicavimus, lavare pedes discipulorum Jesu magni cujusdam sit, et Jesum in se habentis, et omnino beati. Sed

[1] Joan. XIII, 14. — [2] Ib. 16 et seq. Psal. XL, 10. — [3] Joan. XIII, 17.

sciamus necesse est similia huic textui inesse in Evangelio a Matthæo tradito : sic enim habet : « Non est discipulus » supra præceptorem, neque servus supra dominum suum ; » sufficit discipulo ut sit similis præceptoris ipsius, et ut » servus similis domini ipsius [1]. » Lucas vero sic habet : « Non est discipulus supra præceptorem suum : perfec» tus autem omnis erit similis præceptoris ipsius [2]. » Huic proximum est ut quæramus ad quid referemus id quod in fine dicitur : « Non de omnibus vobis dico [3]. » Atque aliquis quidem dicet dictum hoc referri ad illud : « Beati » estis si feceritis ea [4] ; » neque enim beatus Judas. At ego non existimo recte hoc dictum eo referri ad illud dictum : « Beati estis si feceritis ea. » Hoc enim totum, et de Juda, et de quovis, quamvis pravissimus sit, verum est : Beatus es, quisquis hæc feceris ; tanquam si dicerem intemperanti (etiam si non auditurus sit quæ dicuntur, neque temperantia usurus) : Beatus es si temperate vixeris ; et sapientiam spernenti, etiam si ingrediatur hoc propositum : Beatus es tu, si sapientiam et disciplinam susceperis. Proinde vide ne forte hæc verba : « Non de omnibus vobis dico [5], » referenda sint ad illud : « Non est servus major domino suo [6]. » Quoniam enim « quisquis peccatum committit servus est » peccati [7], » committebat autem peccatum Judas, et maxime cum diabolus immisisset in cor ejus ut Servatorem proderet [8], servus erat Judas peccati. Servus autem peccati cum esset, non erat Verbi Dei servus : istoque modo, ne Jesu quidem amplius apostolus erat ; jam enim factus erat diaboli, qui in cor ejus immiserat ut Servatorem proderet. Idcirco negans Servator eum esse servum suum et apostolum, cum dixisset : « Non est servus major domino suo, neque » apostolus major eo qui misit ipsum [9], » addidit : « Non

[1] Matth. x. 24, 25. — [2] Luc. vi, 40. — [3] Joan. xiii, 18. — [4] Ibidem, 17. [5] Ibid. 18. — [6] Ibid. 16. — [7] Id. viii, 34. — [8] Id. xiii, 2. — [9] Ibid. 16.

» de omnibus vobis dico [1]. » Post hoc videamus hoc dictum : « Ego scio quos elegerim, » quod simplicius tale est : Scio qualis sit unusquisque eorum quos elegi : quamobrem scio etiam qualis sit Judas, nec me clam est quæ diabolus jam immiserit in cor ejus adversum me. Atque talem habet intelligentiam propter quamdam consuetudinem Scripturæ, cum utitur vocabulo *scio*, atque illi similibus : cujusmodi etiam est *novi*, Servatore alicubi dicente futurum ut dicat dicturis : « In nomine tuo manducavimus, et bibimus, et » dæmonia ejecimus [2], » hoc : « Nunquam novi vos [3], » et illud : « Nescio vos unde sitis [4] : » quod si simplicius intelligatur, videbimur infra dignitatem Salvatoris cogitare. Proinde vide ne forte, quoniam « cognovit Dominus qui » sunt ejus [5], » non agnoscat etiam qui non sint ejus ; et quomodo de quibusdam inquit : « Nunquam novi vos [6], » sic dicat etiam de Juda, si non est ipsius : Nunquam novi te. Quod si cum esset Jesu Judas, postea lapsus fuit, dicturus certe est illi Jesus : Nescio te unde sis. Unde etiamnum, quia immiserit diabolus in cor ejus hæc adversus Jesum [7], nescit illum Jesus : quamobrem non dixit : Nunc ego scio omnes præsentes, sed : « Ego scio quos elegerim [8] » (tanquam diceret, electos meos). Non de omnibus autem præsentibus inquio : « Ego scio quos elegerim : » utque hoc eveniat quod evenit unus ex vobis est causa, qui me est proditurus ; ut impleatur Scriptura dicens : « Qui manducat panem » meum, sustulit contra me calcaneum suum [9]. » Translatum autem est παραφραστικῶς dictum hoc a Psalmo quadragesimo, sic habens : « Etenim homo pacis meæ, in quo spera- » vi, qui edebat panes meos, magnificavit adversum me » supplantationem [10] ; » quod dictum Servator de Juda ac de

[1] Joan. XIII, 18. — [2] Matth. VII, 22. Luc. XIII, 26. — [3] Matth. VII, 23. — [4] Luc. XIII, 27. — [5] 2 Tim. II, 19. — [6] Matth. VII, 23. — [7] Joan. XIII, 2. — [8] Ibid. 18. — [9] Ibid. — [10] Psalm. XL, 10.

seipso dictum fuisse inquit. In quo quæres quomodo homo pacis Judas fuerit, et quomodo Servator in eum speraverit. His verbis ergo declarari arbitror Judam aliquando sincere credidisse : neque enim, ni aliquando fuisset filius pacis, misisset eum Dominus cum cæteris Apostolis, eique dixisset (nam Duodecim scriptum est eum dixisse) : « Dicite : Pax » huic domui; et si illic fuerit filius pacis, requiescet super » illum pax vestra; sin minus, ad vos revertetur pax vestra[1] : » proinde vide post quanta diabolus immiserit hæc in cor ejus adversum Servatorem, et quia dictus est paulo ante fur esse. Non autem opinor quod marsupium ei concreditum fuisset, si a principio fur fuisset; sed dignus cum esset cui illud crederetur (etiam si eum præscisset lapsurum Jesus), illius illi cura credita fuit : fuitque tantus homo pacis Christi, ut in eo velut bono Apostolo bonam spem habuerit aliquando Jesus; considera enim illud : « In quo » speravi[2]. » Proinde meum est judicium sermones eum occultos et firmissimos ac maxime nutrientes, quos a Jesu accepisset, Apostolis communicasse, de quibus dixit : « Qui » edebat panes meos[3]. » Cæterum pro : « Magnificavit adversum me supplantationem suam, » fecit Evangelista : « Sustulit adversum me calcaneum suum, » ut idem valeat *magnificavit* quod *sustulit*. Quod si contextus hic : « Sustulit adversum me calcaneum suum, *et*, Magnificavit adversum me supplantationem suam[4], » necessario nobis explanandus sit, dicemus hoc fieri a calce intendente plagas alicui; cujusmodi etiam erat Judas Dei Filium decipiens, manducansque cum Jesu ejus panem, cum (immersam buccellam accipiente Jesu, ac Judæ Simoni Iscariotæ porrigente) sustulit Judas adversus præceptorem calcaneum suum, quia post buccellam intravit Satanas in Judam[5]. An

[1] Luc. x, 5, 6. — [2] Psal. xl, 10. — [3] Ibid. — [4] Joan. xiii, 18. — [5] Ibid. 26 et 27.

vero illud: «Iniquitas calcanei mei circumdabit me[1], » una examinatum cum eo: «Sustulit contra me calcaneum suum, » referri ad Judam possit, qui fuit in parte Jesu, et habitus possessio ejus et apostolus; dictus vero calcaneum tropice, quod ipse ultimum proditor fuerit, tu ipse etiam considerabis.

« Nunc dico vobis antequam fiat, ut cum factum fuerit, » credatis quia ego sum[2]. » Relationem habent verba hæc ad id quod superius est dictum : « Non de omnibus vobis » dico: Ego scio quos elegerim; sed ut impleatur Scriptura : » Qui manducat panem meum sustulit adversum me cal- » caneum suum[3] : » hoc enim futurum, ut Scriptura impleretur de eo qui sustulit adversum me calcaneum suum (qui est ille qui manducat panem meum), nunc dico vobis, et dico antequam fiat, ut cum factum fuerit quod prophetatum in Scriptura futurum est ut impleatur, credatis me esse eum de quo hæc prophetata sunt, propter eum qui cum manducaret panem meum, sustulit adversum me calcaneum suum. Sed quærat aliquis quomodo dictum sit discipulis, quorum laverat pedes Jesus, perinde quasi nondum credidissent ipsum esse Christum : « Nunc dico vobis ante- » quam fiat[4], » et propter hoc dico, « ut cum factum fuerit, » credatis me esse » Christum prophetatum. At vide num possimus caventes accusare tales tantosque Jesu discipulos, quasi qui nondum credidissent, consilium etiam servare dicentis : « Ut cum factum fuerit, credatis quia ego » sum. » Qui recipit sapientiæ theoremata, interdum per priora, quibus jam sapiens est, percipit posteriora, in quibus antea non erat sapiens, sapientiorque erit: quemadmodum illud etiam dicitur : « Hæc enim audiens sapiens, sa- » pientior erit[5]. » Ut igitur si sapienti dicerentur quædam,

[1] Psalm. XLVIII, 6. — [2] Joan. XIII, 19. — [3] Ibid. 18. — [4] Ibidem, 19. — [5] Prov. I, 5.

et subjungeretur : Hæc te faciunt sapientem; non omnino sapientem consideraremus ex non sapiente, sed ex sapiente sapientiorem, tanquam profectu succedente, et tendente ad perfectionem : sic mihi considera credentem posse magis credentem fieri : Apostoli enim cum aliquando ad Dominum accessissent, non seipsos incusantes tanquam non credentes, dixerunt illi : « Domine, adauge nobis fidem [1]; » siquidem in vocabulo *adauge* aperte ostenditur fidem habuisse Apostolos capientem additamentum. Quamobrem si hæc intelleximus, mihi considera additamenta rerum fidem facientium, post quædam quæ antea fidem fecerant, addidisse fidei; adeo ut discipuli præter ea quæ habebant fidem facientia, etiam hoc assumpserint, ut viderent Scripturam dicentem : « Qui manducat panem meum, sustulit contra » me calcaneum suum [2], » impletam, ob oculos ponente eo qui prophetabatur se esse, de quo talia prædicta fuerant : videque ut intelligas hoc vocabulum, « ut credatis [3], » perinde ac sic, Ut operemini, permanentes in credulitate, nullam causam habentes qua mutemini. Ac certe nisi magnitudine magna fides esset, aut multitudine multa, haudquaquam dixisset Paulus : « Etiam si habuero omnem fidem [4]. » Ut enim perfectus et omnes habens virtutes, cum singulatim unamquamque virtutem perfectam perceperit, perfectam habet sapientiam et perfectam modestiam, atque etiam sic pietatem et cæteras virtutes; sic aliquis diceret perfectum in virtute credendi, eum omnem habere fidem. Hæc autem dico, tanquam sapientia, modestia, pietas, cæteræque virtutes imperfectæ non possint a nobis proprie nominari, sed abusive; cum etiam perfectus qui efficitur in unaquaque virtute, nominetur æquivoce cum eo qui est virtute perfecta. Nam hunc in modum sapiens dicitur qui in quibusdam quidem offendit, ut objurgatione egeat, haud tamen

[1] Luc. XVII, 5. — [2] Joan. XIII, 18. — [3] Ibid. 19. — [4] I Cor. XIII, 2.

odit objurgantes, imo vero diligit, juxta quod scriptum est : « Argue sapientem, et diliget te[1] : » hunc etiam in modum sapiens dicitur ille, qui capax cum sit aliorum speculationum sapientiæ, nondum quæ restant habet, juxta quod dicitur illud etiam : « Da sapienti occasionem, et sapientior » erit[2]. » Atenim huc devenimus, ostendentes contingere ut qui jam credit discat aliqua rursum crediturus, et per additamentum eorum quæ didicerit, addere fidei. Sin vero videre volumus quisnam sit qui omnem habeat fidem, sumamus, exempli gratia, breviter quæ credentem servant, dum creduntur : sintque, ut ita loquar, numero centum, et dicamus eum quidem qui hæc centum, quæ prædiximus, sine ulla hæsitatione accipit, singulis ipsis constanter credens, omnem habere fidem; deficientem vero in aliquo numero rerum earum quæ servant, dum creduntur, vel minus firmum existentem erga ea quæ creduntur, eo magis abesse ab habendo omnem fidem, quo plures numeri sibi credenti defuerint : quoque magis abfuerit a firmitate eorum quæ creduntur, sive omnium, sive aliquorum (ut interim demus aliquem aliquibus constanter credere posse, aliquibus vero credere, sed non constanter); attamen omnium consensu dederis difficillimum demonstratu esse ut cui unus defuerit numerus, nihil habeat firmitatis : eo quod non æquali distantia distet a firmitate erga ea quæ creduntur unusquisque eorum qui sunt (ut ita loquar juxta Scripturam) exigua fide præditi, et qui nondum receperunt firmitatem erga ea quæ creduntur. His vero consequens est, propter illud : « Juxta fidem tuam fiat tibi[3], » et illud : « Fides tua te ser» vavit[4], » unumquemque habere retributionem quæ est in justo judicio Dei, juxta proportionem talis et talis fidei, et salutis : quandoquidem in hac est eorum qui servantur dif-

[1] Prov. IX, 8. — [2] Ibid. 9. — [2] Matth. IX, 29. — [4] Ibidem, 22. Marc. X, 52.

ferentia : adeo ut illud : « Qua mensura metiemini, eadem » mensura remetietur vobis[1], » pertingat etiam ad mensuras fidei, et ad mensuras retributionis et salutis quæ est a Deo. Hanc rationem qui considerarit diligenter, videbit quomodo merito dicatur hominibus, quasi judicare non valentibus : « Nolite judicare, ne judicemini[2], » et illud : « Ne judicetis » quidquam ante tempus, donec venerit Dominus[3]. » Rursus in hæc, quoniam dixi exempli gratia, centum numero existentibus his quæ servant dum creduntur, his centum firmiter credentem omnem habere fidem ; non habentem vero fidem erga aliqua eorum centum, vel varie affectum firmitate erga ea quæ creduntur, non habere omnem fidem, explanationis gratia exponemus talia : Ante omnia credito unum esse Deum, qui omnia condidit et perfecit, quique omnia fecit ut essent, ex re non existente : quinetiam credamus necesse est Jesum Christum esse Dominum, et omni veritati quæ de ipso dicitur tum juxta illius divinitatem, tum juxta illius humanitatem : in Spiritum etiam sanctum credendi necessitatem habemus ; et quod liberi arbitrii cum simus, punimur ob ea quæ peccamus, honoremur vero ob recte facta. Age igitur ponamus, si quis se credere in Jesum putans, non credat unum esse Deum Legis et Evangelii, cujus gloriam cœli tanquam ab ipso facti enarrant, et firmamentum annuntiat opera manuum suarum tanquam earum opus[4] ; huic profecto maximum deerit fidei caput. Vel rursus si quis credat Jesum sub Pontio Pilato præside cruci affixum, sacram rem quamdam et salutarem mundo attulisse ; non item credens eum ex Maria virgine et sancto Spiritu ortum assumpsisse, sed ex Joseph et Maria : huic etiam deerunt maxime necessaria ad habendam omnem fidem. Rursus e regione si quis divinitatem illius admittat,

[1] Matth. VII, 2. Marc. IV, 24. — [2] Matth. VII, 1. — [3] I Corinth. IV, 5. — [4] Psal. XVIII, 2.

humanitateque ejus offensus nihil humani circa eum factum fuisse credat, vel hypostasin sumpsisse; huic quoque non vulgaria deerunt ad omnem fidem. E contrario denuo si quis humanas de eo res admittat, spreta hypostasi Unigeniti et primogeniti omnis creaturæ; haudquaquam is dicere poterit omnem se habere fidem. Sicque mihi per ordinem considera; ut videamus quanta res sit absque ullo defectu et constanter omnem habere fidem, adeo potentem, quando tota est in hominis anima, ut vel montes (qualescumque sint illi) transferre possit : cum omnes quidem homines loco dimovere valeant montem, vel montes quos Jesus ostenderit; sin vero quædam defuerint perfectæ fidei, desit etiam potentia transferendi montes. Ac profecto tali in hujusmodi rebus utar exemplo : Ut tales totque habentes vires primum navim deducunt in mare; sin vero vel unus cooperarius vel vires alicujus rei his defuerint, non deducitur navis : sic veluti multi transferentes montes est omnis fides, in qua qui fuerit imperfectus, quo minus habuerit omnem fidem, eo magis aberit a potentia transferendi montes. Proinde vide an non utiliter hæc omnia indagata fuerint propter discipulos, ad quos (cum lavisset Jesus eorum pedes), ut suspicari posset negligens lector, quasi ad nondum credentes, dixit : « Nunc dico vobis priusquam fiat, ut » cum factum fuerit credatis quia ego sum[1]. » Pariter vero etiam explicata oratio, quanta res sit virtus omnem continens fidem ostendit, et quod raro inveniatur : ostendit præterea quam procul absit quivis nostrum ut habeat illam omnem fidem, qua montes transferat. Cæterum non contemnenda res est quæ nos ad credendum inducit, juxta ea quæ nunc sunt proposita, quod Prophetæ vaticinati antea fuerint quæ ad Jesum pertinent, et quod juxta sermonem illorum Servatori acciderint quæ ab ipsis prædicta fuerunt.

[1] Joan. XIII, 19.

« Amen, amen dico vobis : Qui recipit quemcumque mi- » sero, me recipit : qui autem me recipit, recipit eum qui » misit me [1]. » Mittit Jesus non solum sanctos, verum etiam et sanctos et Angelos : nominanturque hi quos mittit, eo quod ab ipso mittantur, Apostoli [hoc est, missi]. Jam vero horum Apostolorum alii sunt homines, alii virtute præstantiores : nec enim a vero aberravimus, apostoli nomen his Angelis etiam ponentes de quibus scriptum est quod « om- » nes sint administratorii spiritus qui in ministerium emit- » tuntur, propter eos qui hæredes erunt salutis [2]. » Nam si παρὰ τὸ ἀποστέλλεσθαι, ἀπόστολοι [hoc est, a mittendo, missi] omnesque ab eo « qui facit Angelos suos spiritus, et ministros » suos ignis flammam [3], » in ministerium mittuntur administratorii spiritus, hi etiam apostoli [hoc est, missi] dicentur ejus a quo mittuntur. Atque unusquisque profecto qui mittitur ab aliquo apostolus [hoc est, missus] est illius qui misit; juxta quod in superioribus est dictum post ea verba : « Non est servus major domino suo, neque apostolus major eo qui misit ipsum [4]. » Hanc ob causam non aberrabit a vero qui Joannem etiam dixerit Dei apostolum propter illud : « Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat » Joannes [5]. » Quin Esaias quoque apostolus erit, propter illud : « Quem mittam, et quis ibit ad populum hunc [6]? » quando respondit dicens : « En ego sum, mitte me. » Sed quid de hisce dico, quando et in Epistola ad Hebræos talis tantusque Servator noster dictus sit Apostolus a Patre? scriptum est enim : « Habentes igitur Pontificem magnum, » et Apostolum Jesum Christum [7]. » Quamobrem si Servator aliquem miserit qui aliquorum salutem administrarit, is qui mittitur apostolus est Jesu Christi. Verum ut apostolus apostolus est ejus qui misit ; sic quibusdam solis ad

[1] Joan. XIII, 20. — [2] Hebr. I, 14. — [3] Ibid. 7. Psal. CIII, 4. — [4] Joan. XIII, 16. — [5] Id. I, 6. — [6] Isai. VI, 8. — [7] Hebr. III, 1; IV, 14.

quos mittitur est apostolus. Hanc rem considerans Paulus dicebat : « Etiam si aliis non sim apostolus, vobis sum tamen; nam signaculum apostolatus mei vos estis in Domino[1]; » proinde licet alicui esse apostolo Jesu Christi ad unum solum misso, si, Dei providentia, uni soli sermonem is administraverit. Quæ quidem diximus ut rursus videamus eorum qui Jesu Christi Apostoli fuerunt habiti excellentiam : « Dexteras *enim* societatis mihi et Barnabæ, » *inquit*, dederunt, ut nos in Gentes, ipsi vero in Circumcisionem[2]. » Igitur Paulus Gentibus solis erat Apostolus; Petrus, toti Circumcisioni. Quod si ex nobis habitus fuerit aliquis dignus, ut ostendit Apostolus, eundi ad aliquem, vel ad paulo plures, apostolus is efficitur. Nec extollatur factus apostolus, illius dicti memor : « Quod superest autem, » illud requiritur in dispensatoribus, ut fidus aliquis inveniatur[3] : » non enim si quæritur aliquid, illud omnino invenitúr. Cæterum, propter hoc dictum : « Qui recipit si » quem misero[4], » quoscumque contigerit a Jesu mitti, hos nominat apostolos, etiam si tales non sint, ut diximus. Diximus etiam contingere ut aliqua præstantiora quam natura sit hominum, mittantur a Jesu : propterea, qui recipit quem miserit Jesus, Jesum in misso recipit; qui autem Jesum recipit, Patrem recipit : igitur qui recipit quem Jesus miserit, Jesu Patrem recipit, qui misit ipsum. Potest etiam hæc oratio talis esse : Qui recipit quem ego misero, me recipit, eousque pertingens ut me recipiat : qui vero me non recipit per aliquem meum apostolum, sed me recipit, non ab hominibus, neque per homines administratum, sed ad animas advenientem eorum qui se ipsos diligenter præparaverunt ad mei receptionem; hi Patrem, qui me misit, recipiunt; ita ut non solus ego Christus futurus sim in ipso, sed ipse quoque Pater. Possumus autem ex his repugnantia

[1] 1 Cor. IX, 2. — [2] Galat. II, 9. — [3] 1 Cor. IV, 2. — [4] Joan. XIII, 20.

etiam considerare : qui namque recipit quem miserit filius Mali, ille Antichristum recipit; qui vero recipit filium Mali, et admittit sermonem Christo contrarium, fingentem se esse veritatem, falsoque promittentem se esse justitiam, is ipsum recipit Malum. Quamobrem attendamus ut, tanquam boni nummularii, eorum quidem quæ vera sunt ministrum probemus, falsa vero administrantem reprobemus. Atque hoc quidem in loco, « Qui recipit, *inquit,* si quem misero, » me recipit; qui autem me recipit, recipit eum qui me mi- » sit[1]; » et : « Qui videt me, videt eum qui misit me[2] : » at vero non dictum est : Qui credit in vos, credit in me; neque, Qui videt vos, videt me : ut enim recipiamus suos ipsius apostolos vult quidem ille, non tamen ut in illos credamus. Quamobrem recipiamus eos qui a Sermone ad nos mittuntur, ipsumque Dei Sermonem; haudquaquam tamen recipiamus apostolum Antichristi sermonemque falsum.

« Cum hæc dixisset Jesus, turbatus est spiritu, et testi- » ficatus est, et dixit : Amen, amen dico vobis, quod unus » ex vobis me proditurus est[3]. » Superius dixerat : « Nunc » anima mea turbata est[4]; » nunc vero dicitur : « Hæc cum » dixisset Jesus, turbatus est spiritu; » et quæro hunc in locum talia : curnam scilicet dictum non fuerit, Spiritus Jesu turbatus est, perinde atque, « Nunc anima mea turbata » est; » vel cur hoc dictum : « Nunc anima mea turbata » est, » ad similitudinem illius dicti : « Turbatus est spiri- » tu, » pronuntiatum non fuerit. Quæ quærere ausus sum mediocriter, quod per totam Scripturam diligenter observaverim spiritus, et animæ differentiam, mediumque quiddam viderim esse animam, capacemque virtutis, et vitii; spiritum vero hominis qui in ipso est, mala recipere minime posse; quippe cum res optimæ fructus dicantur esse spiritus et spiritus hominis, non Spiritus sancti, ut arbitra-

[1] Joan. XIII, 20. — [2] Id. XII, 45. — [3] Id. XIII, 21, 22. — [4] Id. XII, 27.

retur aliquis. Nam ad distinctionem hujus spiritus hominis, manifesta opera carnis nuncupantur ea omnia quæ sunt vituperabilia; quoniam nullum est carnis opus laudabile. Hactenus autem semel inveni spiritum hominis mali indurari dictum a Domino Deo. Hunc enim in modum scriptum est in Deuteronomio : « Noluitque Seon rex Esebon præter» ire nos per ipsum, quod induraverat Dominus Deus spi» ritum ejus; et occupavit cor ejus, ut traderetur in manus » tuas, ut in die hac[1]; » quæ quidem accommodatius in Deuteronomio examinabuntur. Nunc autem propositum est nobis dicere quomodo, quæ superius diximus locutus Jesus, turbatus fuerit; et cur turbatus non fuerit in anima neque propter animam, neque a Spiritu, sed spiritu. Ne igitur quod observavimus de Spiritu prætereat, dicendum est, ubi dicitur : « Nunc anima mea turbata est[2], » illam turbationis affectionem fuisse animæ ; ubi vero dicitur : « Jesus turbatus est spiritu[3], » affectionem humanam fuisse venientem a dominio spiritus. Ut enim sanctus vivit, spiritu auspicante in vita actionem omnem et votum et laudem ad Deum; sic quidquid fecerit, id facit spiritu; atque etiam si patitur, spiritu patitur. Quod si sanctus sic se habet, quanto magis dicenda sunt hæc de Jesu sanctorum principe, cujus spiritus hominis qui in eo est, dum ipsum totum hominem assumeret, concussit cætera in ipso humana? Huncque in modum turbatus est spiritu, ut testaretur et diceret cum divino quasi juramento illud : « Amen dico vo» bis, quod unus ex vobis me proditurus est[4]; » cum enim, opinor, spiritus vidisset id quod jam immissum fuerat a diabolo in cor Judæ Simonis Iscariotæ, nimirum ut Præceptorem proderet, futurum prævidens, turbatus est; et quoniam perturbatio illa ex cognitione est orta quæ erat per spiritum, qui etiam spiritus perturbabatur, dictus est

[1] Deut. II, 30. — [2] Joan. XII, 27. — [3] Idem, XIII, 21. — [4] Ibid.

Jesus turbatus fuisse spiritu. Fortasse vero juxta unam intelligentiam, nempe illam quæ dicit, « Caro est infirma[1], » caro etiam perturbata est : hæc autem caro erat Jesus, juxta illud quod a Gabriele Mariæ dictum est : « Ecce con» cipies in utero, et vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit » magnus, et filius Altissimi vocabitur[2]. » Cæterum notabis in his quæ indagavimus, quomodo vox *testatus est* referatur ad ea verba : « Unus ex vobis me proditurus » est[3]. » Hoc etenim dictum discipulis et prophetatum de Juda, qui unus erat ex eis, testimonium erat æquivoce, opinor, cum illa significatione quæ a testando et moriendo pro Dei cultu deducitur. Nec enim eamdem significationem fuisse reor per vocem *testatns est,* quando declaratur verbum illud, a quo ὁ μάρτυρ [hoc est testis] Dei, et Christi sui figuratus est, et nunc quando refertur ad hæc verba : « Unus ex vobis me proditurus est. » Adhuc pro viribus observo, « Unus ex vobis me proditurus est, » quod refertur ad Judam, ne forte hoc ostendat eum ab ordine Apostolico decidisse, in quo fuit et ipse sublimatus, quod aliquando æque affectus fuerit atque alii Apostoli. Sic enim ego intelligo et illud : « En Adam factus est quasi » unus ex nobis[4]; » quoniam ne illic quidem dictum fuerit, Quasi nos, vel, Quasi ego; sed propter unum qui cecidit a beatitudine, « quasi unus ex nobis, » quoniam unus cecidit; quod etiam concinere mihi videtur cum hoc versu : « Vos autem quasi homines moriemini, et quasi unus de » principibus cadetis[5]. » Plures enim cum essent principes, unus ruit, cujus ruinam fere imitantes peccatores, illius ruina ruunt. Ut enim ille in divinitate existens ruit, sic et ii quibus sermo ille inquit : « Ego dixi, Dii estis, et filii Excelsi » omnes[6]. » Cum autem ceciderint a beatitudine, cum prin-

[1] Matth. XXVI, 41. Marc. XIV, 38. — [2] Luc. I, 31, 32. — [3] Joan. XIII, 21. — [4] Gen. III, 22. — [5] Psal. LXXXI, 7. — [6] Ibid. 6.

cipaliter non essent homines, moriuntur quasi homines, et quasi unus ex principibus cadunt. Existimo vero etiam cum admiratione dicta fuisse hæc verba tali sensu : Qui me proditurus est non est alienus a discipulis meis, ac ne unus quidem ex multis et vulgaribus discipulis, sed unus ex illorum Apostolorum numero quos ego mihi honorando delegeram. Atque multi quidem qui Jesum condemnarunt dicunt : « Crucifige, crucifige eum[1], » et : « Tolle hunc e terra[2] ; » at eum tradere opus illius fuit qui vidit et cognovit eum : talium enim tantarumque disciplinarum, quas seorsim cum Apostolis audierat, cum sciret eum Præceptorem, ac Dominum cum agnovisset, prodens eum, magnitudinem illius quam norat prodidit, cum nullus qui magnitudinem illius non vidisset, acturus fuisset hoc. Nam prodens proderet ille quidem magnum, at non in quantum est magnus, cum Jesum non nosset in quantum magnum. At vero hic qui didicerat quomodo sit magnus, auditor factus magnitudinis sapientiæ quæ est in eo, et rationis, et gratiæ, et prodidit eum, et prodidit totam quam novit magnitudinem. Hanc ob causam conducebat illi natum non fuisse[3], sive regenerationis ortu, ut profundius quis intelligeret ; sive hoc communiori ortu, de quo ortu molestiis se eximere quis volens, cum inquisierit quod quidquid utile est utile sit ei qui est, et considerans quod ei qui non sit nihil conferat et utile sit, ad secundam expositionem cum devenerit, illam magis suscipiet.

« Aspiciebant autem sese mutuo discipuli, dubitantes » de quonam diceret[4]. » Equidem si aperta fuisset Judæ malitia Jesu discipulis, agnitus etiam fuisset ille qui Magistrum proditurus esset, dicente Servatore : « Unus vestrum me pro» diturus est[5] : » at nunc intuentur sese mutuo discipuli, du-

[1] Luc. XXII, 21. — [2] Act. XXII, 22. — [3] Matth. XXVI, 24, Marc. XIV, 21.
[4] Joan. XIII, 22. — [5] Ibid. 21.

bitantes de quo diceret. Judas etenim fortasse quidem ex his quæ antea recte egerat, persuaserat Apostolis ut nihil de illo suspicarentur mali : fortasse vero nondum Judas Simon Iscariotes perditæ malitiæ erat, etiam si diabolus jam immisisset in cor illius ut proderet Jesum, reliquiis etiamnum existentibus in ipso boni propositi, quibus cum perspexisset Jesum condemnatum, quando ligatum eum abduxerunt et tradiderunt Pilato præsidi, « pœnitudine ductus retulit triginta argenteos principibus sacerdotum et senioribus, dicens : Peccavi tradens sanguinem innocentem[1] ; » quando et dicentibus illis : « Quid ad nos ? tu videris, projectis argenteis » Judas, argenti ipse cupidus, « abiens laqueo se suspendit, » ne videre quidem expectans judicii finem de Jesu apud Pontium Pilatum. Neque hic sincere a peccato resipuit, neque fuit hujus malitia ad aliquid boni impos : si enim sincere resipuisset, etiam perinde ac latro ille qui dixit : « Memento mei, Domine, dum veneris in regnum tuum[2], » ad Servatorem accedens fecisset quæ ad ipsum pertinebant ut Jesum placatum redderet ob proditionem quæ jam præcesserat. Quod si vero omnino expulisset ab anima sua boni notionem, haudquaquam resipuisset videns Jesum condemnatum ; imo illum accusans addidisset sermones similes proditioni ; quinetiam fruens, ceu argenti cupidus, argenteis triginta quos acceperat pretium appretiati, neque voluisset argenteos projicere, neque retulisset eos principibus sacerdotum et senioribus, neque coram illis ipsis peccatum suum fassus fuisset seipsum accusans et Magistrum laudans dicendo : « Peccavi tradens sanguinem justum[3]. » Quinetiam præfocare seipsum laqueo nemo alius fecisset, præter illum qui in cor suum misisset ut proderet Servatorem. Ac profecto in utrisque dedit Judas locum diabolo. Cæterum hæc pro viribus accurate inquisivi ; simul ostendens his qui

[1] Matth. xxvii, 3 et seq. — [2] Luc. xxiii, 42. — [3] Matth. xxvii, 4.

Judam existimabant salutis non capacem esse natura, talem non esse; simul etiam exponens quomodo merito intuerentur sese mutuo Apostoli ob Domini sermonem, dubitantes de quonam diceret : sed sufficiat ad ostendendum eum corruisse cum sanctus esset, afferre in medium lectionem propheticam ex Psalmo quadragesimo sic habentem : « Etenim » homo pacis meæ, in quo speravi, qui edebat panes meos » mecum, magnificavit super me supplantationem[1]. » Quinetiam illud : « Si inimicus meus conviciis me incessisset, » sustinuissem utique[2], » quod ad eumdem refertur, declarat eum a principio inimicum non fuisse. Illud etiam : « Si » is qui me oderat adversum me mala locutus fuisset, abs- » condissem me forsitan ab eo[3], » palam ostendit hunc aliquando dilexisse Jesum, eo usque etiam amando pervenientem ut esset Jesu unanimis, juxta illud : « Tu autem » homo unanimis, dux meus, et necessarius meus[4]. » Alioqui sexcenta alia invenias, ex quibus intelliges merito discipulos sese mutuo respexisse, dubitantes de quonam diceret. Porro Lucas scripsit, cum dixisset Jesus : « Verumtamen » en manus me tradentis est mecum in mensa : et Filius qui- » dem hominis vadit, juxta id quod sibi definitum fuit ; ve- » rumtamen væ homini illi per quem tradetur[5] ! » discipulos cœpisse inter se quærere quisnam eorum esset hoc facturus. Quærebant enim inter se dubitantes de quo diceret. Jam vero secundum Lucam non apparet unumquemque se suspectum habere, perinde atque apud Matthæum et Marcum, qui palam hoc ostendunt. Inquit enim Matthæus : « Et » valde mœsti cœperunt dicere : Numquid ego sum, Domi- » ne[6] ? » At Marcus : « Cœperunt mœsti esse et dicere illi sin- » gulatim : Numquid ego ? et alius : Numquid ego[7] ? » Secum enim repetebant, opinor, se homines esse, et propositum

[1] Ps. XL, 10. — [2] Psal. LIV, 13. — [3] Ibid. — [4] Ibid. 14. — [5] Luc. XXII, 21, 22, 23. — [6] Matth. XXVI, 22. — [7] Marc. XIV, 19.

adhuc proficientium mutabile esse, capaxque volendi repugnantia his quæ antea proposuisset : fortassis etiam edocti contra quæ sit nobis lucta, propter incertum rerum humanarum exitum, verentur ne quandoque victi admittant proditionem de Magistro; namque Petrus propositum quidem habebat, cum confirmatus dicebat : « Etiam si omnes offendantur tua » causa, ego tamen nunquam offendar[1], » non negandi Jesum; at victus propter timorem spiritus, ante galli cantum ter eum negavit. Istiusmodi igitur rationibus edocemur, ut « qui » existimat se stare, videat ne cadat[2], » atque etiam « ne glo» rieris de die crastino, quando nescis quid superventura » pariat dies[3]. » Fortasse vero etiam illud : « Intuebantur » sese mutuo discipuli[4], » præter id quod simpliciter intelligitur, tale quiddam declarat, quod unusquisque juxta vires humanæ naturæ in propositum alterius intueretur, addubitans an possit anima quæ talia peregerit, et sic affecta erga veracem Magistrum, qui vere testatus fuerit dicendo : « Amen, amen dico vobis, quod unus ex vobis me proditu» rus est[5], » in tantum immutari et oblivisci doctrinarum Magistri, ut ad eum tradendum pervenirent : emphasin enim habet dictio hæc de discipulis : « Dubitantes de quo » diceret[6]; » non enim habebant copiam cogitandi cui competeret quod prædictum fuerat; sed de hoc dubitabant, nihil apertum vel cogitare vel dicere invenientes.

« Erat autem unus ex discipulis Jesu recumbens in sinu » ipsius, quem diligebat Jesus. Innuit ergo huic Simon Pe» trus, et dixit ei, ut sciscitaretur quis esset de quo loque» retur. Itaque cum recubuisset ille super pectus Jesu, di» cit ei : Domine, quis est? Respondit Jesus : Ille est cui » ego intinctam offulam porrexero. Et cum intinxisset offu» lam, dedit illam Simoni Iscariotæ : et post offulam, in-

[1] Matth. xxvi, 33. — [2] I Cor. x, 12. — [3] Prov. xxvii, 1. — [4] Joan. xiii, 22. — [5] Ibid. 21. — [6] Ibid. 22.

» gressus est in eum Satanas. Dicit igitur ei Jesus : Quod » facis, fac ocius. Hoc autem nemo discumbentium intelli» gebat ad quid ei dixisset : quidam enim putabant, quia lo» culos habebat Judas, dixisse ei Jesum : Eme ea quæ opus » sunt nobis ad diem festum; aut egenis ut aliquid daret [1]. » Ille qui in sinu Jesu erat recumbens, unus ex discipulis, quem diligebat Jesus, videtur esse Joannes qui Evangelium scripsit; quod in fine Evangelii scriptum sit hunc in modum : « Conversus Petrus videt illum discipulum quem diligebat » Jesus, sequentem, qui et recubuit in cœna super pectus » ejus, et dixit : Domine, quis est ille tui proditor? Hunc » ergo cum vidisset Petrus, dicit Jesu : Domine, hic autem » quid? Dicit ei Jesus : Si eum velim manere donec ve» niam, quid ad te? Tu me sequere. Exiit ergo sermo ille » inter fratres, quod discipulus ille non moreretur; et non » dixerat ei Jesus : Non moritur; sed, Si velim eum manere » donec veniam, quid ad te [2]? » Quod autem discipulus iste qui scripsit Evangelium sit Joannes, liquet ex his quæ subjunguntur : « Hic est discipulus ille qui testimonium perhi» bet de his, et scripsit hæc [3]. » Observa autem in utrisque Evangelii locis, quonam pacto Petrus velut quamplurimum illi fidens et accumbens, aliquando quidem innuat Joanni dicens : « Quis est de quo prodituro Jesus loquitur [4]? » aliquando vero eum intuitus sequentem, veluti illius plusquam cæterorum curam habens, dicat Jesu de eo : « Domine, hic » autem quid [5]? » finem Joannis discere volens, perinde atque suum agnoverat; nempe quod cum senuisset, futurum erat ut manus suas extenderet, et alius eum cingeret et duceret quo non vellet [6]. Quod si vero verba quæ locutus est Jesus spiritus sunt et non littera, in quibus omnibus vita est et nusquam mors [7]; et discipulus quem diligebat Jesus,

[1] Joan. XIII, 23 et seq. — [2] Idem, XXI, 20 et seq. — [3] Ibid. 24. — [4] Id. XIII, 24. — [5] Idem, XXI, 21. — [6] Ibid. 18. — [7] Id. VI, 64.

ipsum imitans, spiritum et vitam scripsit; intelligendum est illud : « Erat recumbens unus ex discipulis ejus in sinu » Jesu[1], » pro dignitate honoris, quem conveniens est Filio Dei dare, et ei quem ipse dilexerit accipere : et existimo quod quamvis symbolice recumberet tum temporis Joannes in sinu Jesu, hoc munere dignatus ceu præcipuo amore Magistri habitus dignus, hoc symbolicum denotare Joannem, addictum in Sermonem Filium Dei, propensum, et illi multum faventem, in rebusque secretioribus acquiescentem, recubuisse in sinibus Sermonis [Filii Dei], perinde atque ipse Dei Sermo est in sinibus Patris, juxta illud : « Unigeni» tus Deus, qui est in sinu Patris, ipse enarravit[2]. »........

.......Cum ergo didicerimus eum quem amat Jesus recumbere in sinu Jesu, nihil non agamus quo præcipuo ipsius amore digni judicemur : hunc enim in modum recumbemus etiam ipsi in sinu Jesu. At annuit dilecto discipulo Simon Petrus, nec annuisse contentus inquit illi : « Sciscitare quis» nam sit ille de quo loquitur[3]. » Quamobrem quoniam annuere in Proverbiis assumitur in calumniam, nam malus « annuit oculo, annuit et pede, docetque nutibus digitorum, » corde perverso mala machinans[4] ; » et : « Qui annuit ocu» lis cum dolo, aggregat viris mœrores[5], » dicendum est malum non esse annuere ; sed oculo annuere, hoc est, oculo transversa tueri, et non recte videre, et annuere cum dolo, vituperabile esse; at amanter annuere, Petri officium esse, et huic consequenter nutui dicere condiscipulo, tanquam majorem erga Magistrum libertatem habenti : « Sciscitare » quisnam sit ille de quo loquitur[6]. » Volebat enim fortassis mysterium quod erat in proditione qua Jesum Judas prodit nosse; quod ut discat Petrus, Joannes qui prius recubuerat in sinu Jesu, superascendit et recubuit super pectus.

[1] Joan. XIII, 23. — [2] Id. I, 18. — [3] Id. XIII, 24. — [4] Prov. VI, 13, 14. — [5] Id. X, 10. — [6] Joan. XIII, 24.

Et fortassis non recumbenti super pectus, sed perseveranti in sinu recumbere haudquaquam reddidisset Jesus quem Petrus et Joannes desiderabant sermonem. Quamvis igitur antea recumberet in sinu Jesu, deinde vero recubuerit supra pectus Jesu, tamen per secundum illud, utpote majus et excellentius, germanus Jesu discipulus in postremis Evangelii designatur : scriptum est enim : « Conversus Pe» trus videt discipulum quem diligebat Jesus sequentem, » qui et recubuit in cœna super pectus ejus, et dixit : Do» mine, quis est qui tradet te[1] ? » non enim scriptum est : « Qui recubuit in sinu Jesu. »

Quid vero etiam respondens Dominus dixerit, videamus. « Ille, *inquit*, est cui ego offulam intingam et porrexero[2]. » Dixit igitur hoc Jesus : « cumque intinxisset offulam, » eam sumit, et « porrigit Judæ Simoni Iscariotæ ; et statim post » offulam intravit in illum Satanas, » qui neque antea valuerat intrare, neque etiam mox cum misisset in illius cor ut eum proderet[3]. Necesse enim erat, opinor, ob dationem offulæ, ut Jesus reacciperet ab indigno illud præstantius quod habere videbatur ; quandoquidem « ab eo qui non ha» bet, et id quod videtur habere auferetur ab eo[4]. » Privatus ergo Judas, veluti indignus, ab excellentiori qui precatus fuerat pacem, recepit ingressum Satanæ in se. Exempli autem gratia, ut intelligatur quomodo Judæ quidem dederit Dominus offulam, ille autem tunc illud a se repulerit quod in se eximium habebat, et fortasse pacem revertentem ab eo qui audivit et non admisit, ad dicentem : « Si man» serit illic filius pacis, pax vestra super illum requiescet ; » sin minus, pax vestra ad vos revertetur[5], » in medium adducemus quæ in secunda ad Corinthios Epistola hunc in modum sunt scripta : « Vestra copia illorum inopiæ suc-

[1] Joan. XXI, 20. — [2] Idem, XIII, 26, 27. — [3] Ibid. 2. — [4] Matth. XXV, 29. Marc. IV, 25. — [5] Luc. X, 6.

» currat, ut et illorum copia vestræ inopiæ[1]. » Si enim consideraveris retributionem in hisce rebus rerum terrenarum ad spiritualia, scire poteris quomodo ei qui indignus erat pane distribuerit offulam, ut per eam a Juda auferret pacem, tanquam indigno qui amplius audiret : « Etenim homo » pacis meæ[2]; » nam « Sordidus sordescat adhuc[3] ; » qua ablata, ille qui observabat occasionem ingrediendi in animam illius, et in dantem sibi ingrediendi locum, in Judam ingressus est. Pariter observa Satanam antea non ingressum fuisse in Judam, sed tantum misisse in cor ejus ut Magistrum proderet[4]; juxta ea vero quæ nunc accurate exquisivimus, post offulam introiisse in eum. Quamobrem caveamus et nos, ne quando diabolus in cor nostrum jaciat qualemcumque sagittam sui ipsius ignitam : nam si jecerit, mox etiam observat tempus ingrediendi. Sed quærat aliquis quare scriptum non fuerit : « Ille est cui ego offulam[5] » dedero, sed cum adjectione hac, *intingam* : « Cui ego *enim,* » *inquit,* intingam offulam et porrexero; et cum intinxisset » buccellam, *sumit eam,* et porrigit Judæ Simoni Iscariotæ. » In similibus autem locis mentem adhibe, an possis dicere sincerum panem non esse tinctum, sed ex se esse τρόφιμον [hoc est nutriens]; illud vero quod Judæ dabatur non fuisse panem, sed offulam; et non offulam absque immersione, sed tinctam et immersam ab eo qui poterat ab anima ipsius avellere omnem tincturam a ratione aliquantulum infusam, ut post offulam ingrederetur in illum Satanas. At ego adhuc quærerem quod in Matthæo scribitur huic loco affine, sic habens : « Qui intinxit mecum manum » in catino, hic me proditurus est[6]; » item illud quod scribit Marcus : « Intingens mecum in catino[7]; » rursus etiam quod Lucas, etiam si non dicat, « intinxit, » sed tantum :

[1] 2 Cor. VIII, 14. — [2] Psalm. XL, 10. — [3] Apoc. XXII, 11. — [4] Joan. XIII, 2. — [5] Ibid. 26. — [6] Matth. XXVI, 23. — [7] Marc. XIV, 20.

« Verumtamen en manus me prodentis est mecum in mensa[1]. » Atque verus quidem hisce de rebus sermo inveniatur apud eos qui me longe sapientia præstant; ego autem conjector ne forte impudentia Judæ appareat hac quoque in re, non honorantis Magistrum in convivio dum una comederet, neque deferentis illi dum in catino immergeret, ut cæteri deferebant. Hanc ob causam cum nemo illorum immergeret cum Jesu, ipse qui non dignabatur cum illis immergere, æqualitatem volens cum illo habere, cum ipso immergebat, cum cedere debuisset excellentiæ ipsius. Quamobrem huic fortasse proximum est illud : « Verumtamen en » manus me prodentis mecum est in mensa. » Ac profecto quisquis urbane aliquando juvenes admonuerit ut senioribus in conviviis deferant, hoc dicto utetur, ne manum comprimant suorum seniorum. Scriptum est enim et hoc quoque : « Ne comprimaris cum eo in catino[2]. » Cæterum non ignorantes de curiosa quæstione et de defensione persuadere auditori non valenti, gloriam non reportari apud eos qui hæc audiunt, hæc ausi sumus, melius esse rati omnia explorare, quam aliquid quod scriptum sit præterire intactum.

Cum vero ingressus fuisset Satanas in Judam, « dicit illi » Jesus : Quod facis, fac ocius[3]; » sed cui dicat dubium est; nam vel Judæ vel Satanæ potest dixisse Dominus : « Quod » facis, fac ocius, » invitans vel antagonistam ad pugnam, vel proditorem ad subministrandum dispensationi quæ toto orbi salutifera futura erat; quam non amplius retardare, sed pro viribus accelerare volebat: non metuens, ut quidam existimant non intelligentes quomodo dixerit : « Pater, » si fieri potest, transeat a me calix iste[4]; » sed confidentissime ad certamen (ut ita loquar) exutus. Proinde arbitror

[1] Luc. xxii, 21. — [2] Ecclesiastic. xxxi, 17, al. xxxiv, 14 et 17. — [3] Joan. xiii, 27. — [4] Matth. xxvi, 39.

vigesimum sextum etiam Psalmum ex persona Servatoris prophetatum fuisse propter tempus passionis, diabolo totis viribus adversus eum contendente : quos intuitus adversum se armatos atque ad pugnam paratos, quando « astiterunt » reges terræ et principes una convenerunt adversus Do- » minum et adversus Christum ejus[1], » inquit : « Dominus » lux mea et salus mea, a quonam metuam ? Dominus pro- » tector vitæ meæ, a quo expavescam ? Dum appropinquant » super me nocentes, ut devorent carnes meas, tribulantes » me, et inimici mei, ipsi infirmati sunt, et ceciderunt. Si » aciem struant adversum me castra, non timebit cor meum; » si insurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo[2]. » Verumtamen quod dixit Jesus, sive Judæ, sive Satanæ : « Quod facis, fac ocius[3], » nemo agnovit discumbentium ad quid dixerit; quidam enim putabant, quod instaret Paschatis dies festus, Jesum dixisse habenti marsupium expensarum et eorum quæ dabantur in usum pauperum, ut emeret ea quibus opus haberent ad diem festum, vel ut ex his quæ collecta fuerant daret pauperibus. At Jesus non hoc dixerat; sed videns et Satanam ingressum, et Judam admittentem eum omnesque adversus se insidias, ad certamen veluti exutus, et ad strenue se gerendum pro salute hominum adversum malum, id est, diabolum, hoc dixit : « Quod facis, » fac ocius. »

« Cum accepisset ergo ille offulam, exivit continuo : erat » autem nox[4]. » Dixerat quidem Servator Judæ : « Quod » facis, fac ocius[5]; at proditor hac una in re Magistro nunc paret; sumpta namque offula non moratur, sed ut scriptum est, « exivit continuo, » ut faceret ocius proditionis opus juxta jussionem Jesu; et vere exivit ; nec enim tantum juxta simpliciorem sensum exivit ex domo in qua cœna

[1] Psalm. II, 2. — [2] Psalm. XXVI, 1, 2, 3. — [3] Joan. XIII, 27, 28, 29. — [4] Ibid. 30. — [5] Ibid. 27.

ſiebat, sed etiam omnino exivit a Jesu; non secus atque illud : « Exierunt a nobis [1]. » Arbitrorque Satanam in Judam ingressum post offulam, ferre non potuisse ut esset in eodem loco cum Jesu; neque enim ulla convenientia est Christo ad Beliar [2]. Quæro insuper, nisi id curiosum est, quare tandem huic voci : « Cum accepisset offulam [3], » non addatur, Et comedisset : sed inspicies etiam tu ipse, huic enim verbo, accipiendi, comedendi verbum addunt Evangelistæ, cum volunt; veluti in panis benedictione scriptum est dixisse Jesum discipulis : « Accipite, comedite [4]. » Age igitur, an acceptam offulam non comederit Judas (etiam si quædam eorum quæ dicturi sumus convenire non videantur cum superioribus), explanabimus in præsenti loco, judicante lecturo utrum oporteat admittere quæ dicentur. « Cum intinxisset, *inquit, Jesus* offulam [5], » et dimisisset eam, scilicet in catino, accipit (sic enim intelliges illud : « Cum *ergo* intinxisset offulam, » ne redundet vox *accipit*) : deinde dicitur : « Dat Judæ Simoni Iscariotæ, et post offulam, tunc ingressus est in illum Satanas. » Post offulam igitur fortasse a Juda non comestam, anticipante Satana, qui ingressus fuerat in Judam, offulæ usum, ne Judas adjumentum perciperet ex data a Jesu offula (habebat enim hæc quidem vim adjuvandi ea usurum, sed acceperat jam semel in suum cor Judas, ut Magistrum proderet [6]), timens ne telum in Judam emissum aberraret, si Judas usus offula fuisset, anticipans, mox atque Judas sumit offulam, ingressus est in illum, tum scilicet cum dixisset illi Servator : « Quod facis, fac ocius [7], » accepissetque offulam Judas, egressus est statim. Proinde haud àbsurdum in præsenti loco diceretur quod, ut qui indigne panem Domini comedit, vel calicem ejus bibit in

[1] 1 Joan. II, 19. — [2] 2 Cor. VI, 15. — [3] Joan. XIII, 30. — [4] Matth. XXVI, 26. — [5] Joan. XIII, 26, 27. — [6] Ib. 2. — [7] Ib. 27 et 30.

judicium manducat et bibit[1]; in pane et calice una virtute præstantiori operante bonum in bono affectu constituto, in affectu vero malo operante condemnationem: sic offulam a Jesu datam ejusdem generis fuisse cum ea quam Jesus dedit cæteris Apostolis, dum diceret : « Accipite, comedi- » te[2]; » sed illis quidem ad salutem, Judæ vero ad condemnationem; ita ut post offulam ingrederetur in illum Satanas (7). Cæterum consideretur hic panis et hoc poculum a simplicioribus juxta communiorem intelligentiam de Eucharistia, id est, de gratiarum actione : at qui altius hæc intelligere didicerint, considerent hoc dictum fuisse juxta diviniorem promissionem etiam de λόγῳ, et Verbo veritatis alimentum uberius præstante : tanquam si exemplo dicerem panem, quod ad corpus attinet, alimentum uberrimum præstantem, febrim subjectam augere, cum contra bonam corporis habitudinem ad sanitatem reducat. Quam ob causam plerumque sermo verus ægrotanti animæ non indigenti tali cibo datus, illam conteret, illi ut pejus se habeat causa existens : atque etiam sic sequitur ut vera dicere periculosum sit. Hoc autem mihi dictum est propter offulam, quam intinctam dedit Judæ Jesus Simoni Iscariotæ : movimusque rationem in utramque partem; sive necesse sit dicere Judam acceptam offulam comedisse; sive a Satana, qui in ipsum ingressus fuerat, prohibitum fuisse. Sin vero perpendere etiam illud oportet : « Erat autem nox[3], » tanquam non temere assignatum ab Evangelista, dicendum est symbolice tunc noctem fuisse sub sensum cadentem, quæ imago existeret noctis factæ in anima Judæ; quando quæ ferebantur super abyssum, illæ tenebræ (nempe Satanas) ingressæ sunt in eum; vocavit enim Deus tenebras noctem[4]; quare noctis, inquit Paulus, non sumus filii, neque tenebrarum, dicens : « Ergo, fratres, non sumus noctis neque tenebrarum

[1] 1 Cor. xi, 29. — [2] Matth. xxvi, 26. — [3] Joan. xiii, 30. — [4] Gen. i, 5.

» filii[1], » et illud : « Nos autem qui diei filii sumus, sobrii si- » mus[2] ? » Quamobrem nox non erat his quorum pedes laverat Jesus; sed dies, eaque splendidissima, ut qui jam mundati essent, abjecissentque sordes quas in pedibus animæ suæ habebant : excellentiori etiam modo nox non erat recumbenti in sinu Jesu, quod Jesus amore quo illum prosequebatur cunctas solvisset tenebras. Ac ne Petro quidem nox erat confitenti id quod sibi cœlestis ille Pater revelarat, nempe : « Tu es ille Christus, ille Filius Dei viven- » tis[3]; » cui tamen neganti nox confestim fuit. Etiam nunc igitur cum egressus est Judas sumpta offula mox sibi egresso nox fuit : nec enim illic ille vir aderat cui nomen est Oriens[4]; scilicet reliquerat, dum egrederetur, justitiæ Solem[5]. Ac Jesum quidem persequebatur Judas tenebrarum plenus; sed tenebræ, et qui ipsas receperat, non apprehenderunt lucem quam persequebantur[6]. Quocirca cum dixisset tanquam justitiæ sermonem : « Peccavi tradens sanguinem justum[7], » profectus laqueo se præfocavit; Satana nimirum qui in ipso erat eum usque ad laqueum adducente, et in hoc ipsum præfocante; quando et animam ejus diabolus attigit; quippe qui talis non esset ut de eo diceretur a Domino, quod de Job est dictum ad diabolum : « At illius animam ne attin- » gas[8]. »

« Cum ergo exisset, Jesus dicit : Nunc glorificatus est » Filius hominis, et Deus glorificatus est per eum. Si Deus » glorificatus est per eum, et Deus glorificabit eum per se; » et continuo glorificabit eum[9]. » Tunc glorificari cœpit Filius hominis post gloriam quæ ob signa et prodigia contigerat, et post gloriam transfigurationis, cum Judas cum Satana in ipsum ingresso, a loco ubi erat Jesus exivit. Quo-

[1] I Thess. v, 5. — [2] Ibid. 8. — [3] Matth. xvi, 16. — [4] Zachar. vi, 12. — [5] Malach. iv, 2. — [6] Joan. i, 5. — [7] Matth. xxvii, 4, 5. — [8] Job, ii, 6. — — [9] Joan. xiii, 31, 32.

circa dixit Jesus : « Nunc glorificatus est Filius hominis[1]. » Præterea illud etiam : « Si ego exaltatus a terra fuero, om- » nia traham ad meipsum [2], » dictum est a Servatore significante quali morte glorificaturus esset Deum : glorificavit enim etiam moriendo Deum. Hanc ob causam, quoniam initium dispensationis morituri Jesu perficiebatur, egresso post offulam Juda, ut contra Jesum negotiaretur, dictum est : « Nunc glorificatus est Filius hominis[3]; » deinde quoniam non liceat glorificari Christum, non glorificato per ipsum Patre, propterea his verbis : « Nunc glorificatus est » Filius hominis, » adduntur hæc : « Et Deus glorificatus est » per ipsum. » Verumtamen gloria contingens ob mortem pro hominibus non pertinebat ad unigenitum λόγον seu Sermonem, qui natura mori aptus non erat, neque ad sapientiam et pietatem et quæcumque alia esse dicuntur in Jesu diviniora; sed ad hominem, qui erat etiam filius hominis, genitus ex semine David secundum carnem [4]. Quocirca superius quidem dixit : « [Nunc quæritis me interfi- » cere, hominem qui veritatem vobis locutus sum [5] : » in iis autem quæ nunc consideramus et tractamus, hæc ait :] « Nunc glorificatus est Filius hominis. » Hunc etiam, opinor, Deus exaltavit, factum obedientem usque ad mortem, mortem autem crucis[6]. Nam illud Verbum quod erat in principio apud Deum Deus [7], non recipit exaltari. Cæterum exaltatio Filii hominis sibi facta glorificanti Deum per suam ipsius mortem, hæc fuit, ut non amplius ipse aliud esset a Verbo, sed idem cum ipso. Nam si « qui adhæret Domino, » unus est spiritus [8], » ut de hoc et de spiritu non amplius dicatur quod duo sint; quomodo non magis diceremus id quod de Jesu est humanum factum fuisse unum cum Verbo, exaltato quidem illo qui « non rapinam arbitratus est se

[1] Joan. XIII, 31. — [2] Id. XII, 32. — [3] Idem, XIII, 31. — [4] Rom. I, 3. — [5] Joan. VIII, 40. — [6] Phil. II, 8, 9. — [7] Joan. I, 2. — [8] I Cor. VI, 17.

» esse æqualem Deo [1], » sed Verbo manente in sua altitudine, vel etiam restituto ad id ubi erat prius, apud Deum, Deus Verbum existens et homo? Altera vero glorificatio Jesu Deum per mortem suam glorificantis, tunc fuit cum « expoliatos principatus ac potestates ostentavit pa- » lam triumphans de illis per lignum [2], » et cum « paci- » ficavit sanguinem crucis ejus, sive quæ in terra sunt, » sive quæ in cœlis [3]. » In his enim omnibus glorificatus est Filius hominis, Deo etiam glorificato per eum. Cæterum quoniam qui glorificatur ab aliquo glorificatur, quæres in his verbis : « Glorificatus est Filius hominis, » a quo glorificatus fuerit : similiter etiam in his facies : « Deus » glorificatus est per eum. » Pro quorum verborum explanatione diligenter adhibeamus animum ad primum dictum, scilicet : « Nunc glorificatus est Filius hominis [4]; item ad secundum : « Et Deus glorificatus est per eum; » et ad tertium hoc conjunctum : « Si Deus glorificatus est per eum, » et Deus glorificabit eum per se; » demum ad quartum : « Et » continuo glorificabit eum. » Nisi forte quis dicat hoc repetere Christum ad conjunctionem quæ est in eo quod claudit conjunctum, ut conjunctum incipiat ab illis verbis : « Et Deus glorificatus est per eum, » et desinat in ea : « Et » Deus glorificabit eum per se, et continuo glorificabit eum. » Verum attendamus necesse est gloriæ vocabulo, quod apud nonnullos Gentiles de re media ponitur, ex quo definiunt, gloriam esse laudem a multis proficiscentem. Perspicuum vero est alia de re hoc nomen etiam poni, ex eo quod hunc in modum in Exodo dictum sit : « Et gloria Domini reple- » tum est tentorium; nec poterat Moyses ingredi in tento- » rium testimonii, quod obumbrasset illud nubes; et glo- » ria Domini plenum fuit tentorium [5]. » In tertio etiam

[1] Phil. II, 6. — [2] Coloss. II, 15. — [3] Id. I, 20. — [4] Joan. XIII, 31, 32. — [5] Exod. XL, 32, 33.

Regum hunc in modum est scriptum : « Et evenit, cum » egrederentur sacerdotes e Sanctuario, ut nubes repleret » domum Domini, et non poterant sacerdotes stare coram » nube ad ministrandum, quod replesset gloria Domini do» mum [1]. » Quin de Moysis gloria scripta etiam sunt talia in Exodo : « Ut autem descendit Moyses de monte, duæque » tabulæ Testamenti in manibus erant Moysis : cumque e » monte descenderet Moyses, non norat glorificatum fuisse » aspectum cutis vultus sui dum Deus sibi loqueretur. Vidit» que Aaron et omnes filii Israël Moysen, et erat glorifi» catus aspectus cutis vultus sui, et timuerunt ei appropin» quare [2]. » Hæc gloriæ significatio in Evangelio etiam Lucæ his verbis declaratur : « Et facta est, dum oraret, species » vultus ejus alia, et vestitus ejus candidus ac refulgens. » Et ecce duo viri loquebantur cum eo, qui erant Moyses et » Elias : qui visi in majestate narrabant excessum ejus, » quem completurus erat Jerosolymis [3]. » Vide vero in quibus etiam Paulus nomen gloriæ assumat ; alicubi enim dicit : « Quod si administratio mortis in litteris deformata in » saxis, fuit in gloria, adeo ut non possent intendere filii » Israël in faciem Moysis propter gloriam vultus ejus, quæ » aboletur ; cur non potius administratio Spiritus erit in » gloria ? Nam si administratio condemnationis gloria est, » multo magis excellit administratio justitiæ in gloria : quan» doquidem ne glorificatum quidem est quod claruit in hac » parte, propter eminentem gloriam : si enim quod abo» letur in gloria fuit, multo magis id quod manet est in » gloria [4]. » Alibi vero : « At nos omnes retecta facie glo» riam Domini in speculo repræsentantes, ad eamdem ima» ginem transformamur a gloria in gloriam, tanquam a » Domini Spiritu [5]. » Rursumque post pauca : « Quod si

[1] 3 Reg. VIII, 10, 11. — [2] Exod. XXXIV, 29, 30. — [3] Luc. IX, 29 et seq.— [4] 2 Cor. III, 7 et seq. — [5] Ibid. 18.

» adhuc velatum est Evangelium nostrum, in his velatum » est qui pereunt : in quibus Deus hujus sæculi excæcavit » sensus incredulorum, ne illucesceret illis illuminatio » Evangelii gloriæ Christi, qui est imago Dei [1]. » Et iterum post pauca : « Quoniam Deus, qui jussit e tenebris lucem » illucescere, ipse luxit in cordibus nostris ad illuminatio» nem cognitionis gloriæ Dei, in facie Jesu Christi [2]. » Quorum singula quamvis accurate nunc enarrare non postulet proposita enarratio textus Evangelici, tamen paucis hæc dicenda sunt. Quantum ad sensum humilem et corporalem attinet, divinior quædam manifestatio in tentorio et in templo completo facta fuit et in facie Moysis, qui cum divina natura conversatus fuerat : quantum vero ad anagogen et altiorem intelligentiam, ea quæ de Deo accurate agnoscuntur, quæque acie mentis dispiciuntur, apte propter excellentiam puritatis dicentur esse gloria Dei conspecta; quoniam mens mundificata, et quæ materialia cuncta transcenderit, ut accurate intueatur visionem Dei, ob ea quæ intuetur deificatur. Dicendum est etiam ejusmodi esse glorificari faciem ejus qui Deum intuitus fuerit et cum ipso conversatus, quique cum hujusmodi visione consuetudinem habuerit, ut tropice glorificata fuisse Moysis facies intelligatur, quia mens illius deificata fuerit. In hanc sententiam Apostolus quoque dicebat : « Nos autem omnes retecta » facie gloriam Domini in speculo repræsentantes, ad eam» dem imaginem transformamur [3]. » Ut autem nocturnæ lucis splendor exoriente sole offuscatur, sic Moysis gloriæ tenebras offundit gloria quæ est in Christo : cum alioqui excellentia quæ est in Christo comparationem non habeat, qua agnoscens Patrem Christus, longe magis glorificatus fuit quam fuerit Moyses ex his quæ a se cognita fuere et quæ glorificaverunt faciem animæ ejus. Idcirco gloria in

[1] 2 Cor. IV, 3, 4. — [2] Ibid. 6. — [3] Id. III, 18.

Moyse existens dicta est destrui a supereminenti gloria quæ est in Christo.

« Filioli [1], adhuc paulisper vobiscum sum. Quæretis me, » et sicut dixi Judæis : Quo ego abeo vos non potestis ve- » nire, et vobis dico nunc [2]. » Cum collegeris ex Evangeliis voces quæ dicuntur a Servatore nostro, tanquam a patre ad filios, confidito dicere Servatorem esse aliquorum patrem. Inquit enim Paralytico : « Confide, fili, remittuntur » tibi peccata [3]; » fœminæ vero fluxu sanguinis laboranti : « Filia, fides tua te salvam fecit [4]. » Nunc etiam discipulis inquit : *Filioli;* ostendente, opinor, Jesu nonnullum blandientis affectum, simulque docente Apostolos etiam tum animo pusillos esse. Sin vero quærat aliquis num paralyticus dictus filius honorabilior sit illis quibus Filius Dei dixit, *Filioli;* is sciat eum qui sit filiolus esse etiam omnino filium, propter quod nec paralyticus dictus filius prohibitus est esse etiam filiolus : quemadmodum etiam necesse non est ut paralyticus nuncupatus filius honorabilior sit his quos Filius Dei dixit filiolos. Proinde sciamus necesse est, non ut in hominibus evenit, ut qui filius alicujus fuerit, is illius postea esse frater non possit, ita evenire in Jesu ut aliquis ex filio immutari non possit ut sit illius frater. Quamobrem hi quibus dixit, *Filioli,* post Servatoris resurrectionem (tanquam immutato Jesu ex resurrectione) fratres illius efficiuntur, qui antea illis dixerat, *Filioli :* unde et scriptum est : « Vade ad fratres meos, et dic illis : » Ascendo ad Patrem meum, et Patrem vestrum; et Deum » meum, et Deum vestrum [5]. » Et fortasse quemadmodum licet etiam ex servo Jesu immutari; nam servi erant etiam discipuli antequam fierent filioli, ut ex hoc dicto perspicuum est : « Vos vocatis me Magistrum et Dominum, et

[1] N. 19. p. 451 et seqq.
[2] Joan. XIII, 33. — [3] Matth. IX, 2. — [4] Ibid. 22. — [5] Joan. XX, 17.

» bene dicitis; sum etenim[1]; » et ex illis : « Non est servus » major domino suo[2], » quod scriptum est ante hæc verba : « Filioli, adhuc paulisper vobiscum sum[3] : » inspicies an servus efficiatur primum discipulus, deinde filiolus, postremo frater Christi et filius Dei. Inspicies etiam an discipulus inter hos dicendus sit qui percepturus sit, eo quod seipsum exhibuerit, sermonis scientiam; addiscens a tali tantoque præceptore sapientiam Dei. Cæterum hoc dictum : « Adhuc paulisper vobiscum sum, » juxta simpliciorem quidem sensum quod ad contextum attinet, apertum est, quoniam jam futurus non erat amplius cum discipulis; primum quidem comprehensus a cohorte et tribuno et a Judaïcis ministris, qui eum ligatum abduxerunt ad Annam primum, postea vero Pilato traditus, et deinceps ad crucem condemnatus, ac demum factus tribus diebus et tribus noctibus in corde terræ[4]. Juxta profundiorem vero sensum quæres an forte post illud *paulisper* jam non fuerit cum illis, non eo quod illis non affuerit secundum carnem, et eo quod descenderit cum anima sua ad inferos (hujus enim rei causa non prohibebatur esse etiam cum discipulis ille qui dixerat : « Ubi duo vel tres congregati fuerint in » nomine meo, etiam ego sum in medio eorum[5]; » et : « Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad con» summationem sæculi[6]); » sed eo quod illud impleretur : « Omnes vos offendemini mea causa in nocte hac : scrip» tum est enim : Percutiam pastorem, et dispergentur oves » gregis[7], » idcirco non amplius futurus esset cum illis, quia cum dignis est solis. Verum contra hoc objiciet aliquis illud : « In medio vestrum stat, quem vos nescitis[8], » dicens eum cum his etiam esse a quibus non cognoscatur. Sed vide ne forte idem non sit esse cum aliquo, quod in promissione

[1] Joan. XIII, 13. — [2] Ibid. 16. — [3] Ibidem, 33. — [4] Id. XVIII, 12 et seq. — [5] Matth. XVIII, 20. — [6] Id. XXVIII, 20. — [7] Id. XXVI, 31. — [8] Joan. I, 26.

tanquam dignis datur, et stare in medio non agnoscentium eum. Cum enim sit in promissione illud : « Ubi duo vel tres » congregati fuerint in nomine meo, ego etiam in medio » eorum sum [1], » et illud : « Ecce ego vobiscum sum omni- » bus diebus usque ad consummationem sæculi [2], » non ejusmodi est illud : « In medio vestri stat, quem vos nescitis [3]. » Proinde qui dixerat : « Ecce ego vobiscum sum, » in præsenti contextu inquit : « Adhuc paulisper vobiscum sum [4]. » Et qui dicit : « Adhuc paulipser vobiscum sum, » haudquaquam præsenti sensibiliter Judæ, in cujus cor jam immiserat diabolus ut proderet Servatorem, dixit : Tecum sum : non amplius enim erat cum ipso, cum intinctam offulam ipsi porrigeret. Quando vero post offulam ingressus est in Judam Satanas, multo minus erat cum illo Jesus, abducente procul seipsum a Servatore : « Quæ enim con- » venientia Christi cum Beliar [5] ? » Quamvis attamen adhuc paulisper cum filiolis futurus esset Jesus, ipsorum pater, sciamus oportet illud *paulisper* magnum esse. Nam etiam si cum illis non erat Jesus, nihilominus quæsituri erant Jesum : quemadmodum Petrus post negationem amare flevit, quærens (opinor) Jesum. Nunc igitur illud : « Filioli, » adhuc paulisper vobiscum sum [6] » [dictum est : paulo autem post ait :] « Pusillum, et jam non videbitis me ; et » iterum pusillum, et videbitis me [7] : » quando dicentibus discipulis : « Quid est hoc quod dicit, Pusillum ? nescimus » quid loquatur ; cum intellexisset Jesus quia vellent eum » interrogare, dixit illis : De hoc quæritis inter vos, quod » dixi : Pusillum, et non videbitis me ; et iterum pusillum, » et videbitis me : Amen, amen dico vobis : Plorabitis et » lamentabimini vos, mundus autem gaudebit ; vos autem » mœrore afficiemini, sed mœror vester vertetur in gau-

[1] Matth. XVIII, 20. — [2] Idem, XXVIII, 20. — [3] Joan. I, 26. — [4] Id. XIII, 33. — [5] 2 Cor. VI, 15. — [6] Joan. XIII, 33. — [7] Id. XVI, 16, 18 et seq.

» dium. » Illo enim pusillo tempore quo non videbant eum, quærebant Jesum. Quocirca plorabant, et lamentabantur, sed mœrore commutato illis in gaudium, implebatur tunc illud : « Et iterum pusillum, et videbitis me[1]. » In quibus disquires an is qui post pusillum ipsum visurus non est, si quidem postea illum visurus est, post tempus non longum ipsum omnino visurus sit ; considerantibus nobis illud : « Et iterum pusillum, et videbitis me. » Cæterum quærere Jesum est quærere sermonem, sapientiam, justitiam, veritatem et potentiam Dei, quæ omnia est Christus. Quærunt vero quidam eum ex his qui signa viderunt, quique cum ipso videre sumpserunt ab eo panem et comedunt : habentibus illis quærendi causam, eo quod nutriti fuerint a λόγῳ, et Filio Dei : « Quæritis enim me, *inquit,* non quia signa » videritis, sed quia comederitis ex panibus, et saturati si» tis[2]. » Deinde quoniam antea Judæis dixerat : « Ego vado, » et quæretis me, et in peccato vestro moriemini ; *et :* Quo » ego vado vos non potestis venire[3] ; » ad illud referens id de quo agimus, inquit : « Et sicut dixi Judæis : Quo ego abeo » vos non potestis venire, ita etiam vobis dico nunc[4]. » Ut enim illis, inquit, hoc dixi, sic etiam vobis : sed vobis etiam hoc dico non de multo tempore. Sic enim ego intelligo illud : « Etiam vobis dico nunc, » quæ non idem sonant ac si dixisset : Et vobis dico, absque additione vocabuli, *nunc.* Judæi enim, quos præviderat morituros in peccato suo, ire non poterant, nec ad breve tempus, quo abibat Jesus : at vero discipuli post illud pusillum tempus, in quo non amplius futurus erat cum eis, propter ea quæ superius diximus, poterant sequi Sermonem abeuntem ad suas ipsius dispensationes. Et nisi his verbis : « Quo ego vado vos non » potestis venire[5], » præposita fuissent hæc : « Sicut dixi

[1] Joan. xvi, 16. — [2] Id. vi, 26. — [3] Idem, viii, 21. — [4] Idem, xiii, 33. — [5] Ibid.

» Judæis, » simplicius existimassemus hæc etiam dicta fuisse, referentes verbum *nunc* ad id temporis quo anima Jesu e vita decedebat. Cæterum si Judæi perituri erant, et Jesus periturus descensurusque ad inferos ; quomodo ire non poterant quo Jesus abibat? Sed dicet aliquis quod in paradiso Dei etiam futurus erat Jesus, ad quem qui in peccatis suis moriebantur proficisci non poterant; discipulos vero Jesu cum tunc ire non possent, postea potuisse: idcirco Judæis in peccato suo morientibus dictum fuisse : « Quo ego abeo vos non potestis venire [1] ; » discipulis vero : « Quo ego abeo vos non potestis venire nunc [2]. » Elocutionis enim talis est ordo : Sicut dixi Judæis, etiam vobis dico : Quo ego vado vos non potestis venire nunc. Quanquam sic etiam non parum quæstionis habet hic locus, propter hoc : « Filius hominis aget in corde terræ tres » dies et tres noctes [3]. » Nam quomodo tres dies et tres noctes egit in corde terræ, qui simul atque cum decessisset e vita futurus erat in paradiso Dei, juxta illud : « Hodie » mecum eris in paradiso Dei [4] ? » Sic autem perturbavit hoc dictum nonnullos, ceu absonum, ut suspicari ausi fuerint hæc verba : « Hodie mecum eris in paradiso Dei, » addita fuisse Evangelio ab aliquibus illud adulterantibus. At vero nos juxta simpliciorem quidem sensum intelligimus, eum fortasse, antequam abiret in cor terræ, ut vocant, restituisse in paradiso Dei dicentem sibi : « Domine, memento mei, » dum veneris in regnum tuum [5] : » juxta vero profundiorem sensum dicimus plerumque vocabulum *hodie* in Scriptura extendere præsens tempus in totum sæculum : ut in illud : « Divulgatum est hoc verbum apud Judæos us» que hodie [6] ; » et : « Hic est pater Moabitarum usque in ho» diernum diem [7] ; » et : « Hodie si vocem ejus audieritis, ne

[1] Joan. VIII, 21. — [2] Idem, XIII, 33. — [3] Matth. XII, 40. — [4] Luc. XXIII, 43. — [5] Ibid. 42. — [6] Matth. XXVIII, 15. — [7] Gen. XIX, 39.

» recedatis a Domino [1]. » Itaque oranti latroni ut sui memoria habeatur in regno Dei promittit Christus in vocabulo *hodie* se facturum ut latro ipse secum sit in regno Dei in præsenti sæculo ante futurum. Sed hoc per digressionem dictum sit in id quo de agimus. At vero discipulis volentibus sequi Jesum, non, ut simpliciores rentur, corporaliter, sed ut significat illud : « Qui non tulerit crucem suam et » me subsecutus fuerit non est dignus meus esse discipu- » lus [2], » inquit nunc Dominus : « Quo ego abeo vos non po- » testis venire nunc [3]. » Nam etiam si sequi volebant Verbum Dei Filium, et confiteri eum non offensi causa ipsius, nondum poterant tamen hoc facere : « Nondum enim erat Spi- » ritus, quod nondum esset Jesus glorificatus [4]; Et nullus » potest dicere, Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto [5]. » Cæterum abit λόγος [id est, Filius Dei] pergens ad sua itinera, quem quidem sequitur qui λόγον, [hoc est, rationem] sequitur : non potest vero sequi qui seipsum non præparaverit pro dignitate illius, ad suum ipsius Patrem adducentis eos qui nihil non agunt ut possint illum sequi, et sequuntur eum, donec, ut Christo dignum est, dicant : « Adhæsit » anima mea post te [6]...... »

[1] Psal. xciv, 8. — [2] Matth. x, 38. — [3] Joan. xiii, 33. — [4] Id. vii, 39. — [5] 1 Cor. xii, 3. — [6] Psal. lxii, 9.

ANNOTATIONES.

Annot. (1), pag. 130.

Hic et alibi Origenes B. virginem Mariam infidelitatis arguit, quæ sententia ita male sonat, ut hujus nemo catholicus se vadem constituat.

Annot. (2), pag. 156.

Homo esse cessavit, id est, mortalis esse cessavit; nam Christus semper erit homo secundum naturam, licet non semper secundum mortalitatem futurus sit.

Annot. (3), pag. 253.

Ab exitu filiorum Israël ad initia constitutionis templi annos effluxisse octoginta supra quadringentos diserte scriptum est III Reg. VI, 1, nedum quadringentos et triginta, uti hic habetur. Josuam præterea res in Ægypto administrasse ullas quis unquam prodidit? Quid hoc denique monstri est, triginta annos a Testamento Dei ab Abrahamo suscepto, ad Legem Moysi traditam intercessisse; cum annorum triginta et quadringentorum spatium Paulus interponat Gal. III, 17, ex eo quod habetur Exod. XII, 40? Si huic igitur loco medicinam facere velimus, ita subducendæ sunt rationes, ut duplex annorum summa, eorum scilicet qui a Testamento tradito ad exitum filiorum Israël, seu Legem positam (eodem quippe hæc anno contigerunt) quique ab exitu ad extructionem templi præterierunt, duplicem numerum sabbaticum det, septingentorum videlicet et septuaginta annorum. Ac posteriorem quidem, ab exitu ad extructionem templi, quadringentorum et octoginta annorum esse proditur III Reg. VI, 1; juxta Hebraïcum

exemplar, quod reliqui fere interpretes secuti sunt; unis exceptis Septuaginta senibus, quos assectatus est Origenes : at illi sic habent : καὶ ἐγενήθη ἐν τῷ τεσσαρακοςῷ καὶ τετρακοσιοςῷ ἔτει τῆς ἐξόδου, etc. Complut. editio, ὀγδοηκοςῷ. Certe Melchior Canus lib. XI, de loc. Theolog. numerum illum a librariis, ut fere fit, esse corruptum multis probat : et revera, si numeros accurate ponere volueris, ex aliis Scripturæ locis facile comperies lectionem illam stare non posse. Verisimile igitur mihi fit legisse Origenem : ἐν τῷ τεσσαρακοςῷ καὶ τριακοσιοςῷ, et inde loco hoc quem tractamus scripsisse τριακόσια καὶ τεσσαράκοντα. Quæ sequuntur apud eum : καὶ των κατὰ τὴν Αἴγυπτον οἰκονομηθέντων μετὰ Ἰησοῦ καὶ λ' ἔτη τῆς etc. manifesto sunt vitiosa. Ea sic reparari possunt. Codex Regius habet, μετὰ ἰυ. Ita legerunt Perionius et Ferrarius, et ita scripserat indoctus librarius, ἰυ pro Ἰησοῦ positum existimans, more ταχυγράφων, quibus id nominis ita contrahere solitum est. At plane scripsit Origenes μετὰ υ καὶ λ' ἔτη, hoc est quod habetur Gal. III, 17, μετὰ ἔτη τετρακόσια καὶ τριάκοντα. Atqui hæ duæ summæ in unum compositæ duplicem numerum sabbaticum dabunt, septingentorum nempe annorum et septuaginta.

Annot. (4), pag. 356.

Ambigua sunt Græca, ἐκ τοῦ πατρὸς τοῦ διαβολου ἐςὲ, hoc est, *a patre diabolo estis*, vel, *a patre diaboli estis*. Latina autem nullam habent ambiguitatem.

Annot. (5), pag. 447.

Putat autem hic Origenes, Jesum incœpisse lavare pedes discipulorum non a Petro, sed a Juda, uti interpretatur Ferrarius : « quia, uti medicus initium medendi facit ab iis infirmis qui pejus affecti sunt, sic discipulorum sordidos pedes lavare incœpit a magis sordidis; atque etiam ad Petrum fortassis postremo venit, quia minus cæteris indigebat ut sibi lavarentur pedes : fortassis etiam status pedum suorum, qui proxime accedebat ad munditiem, effecit ut contradicere cogitaret. »

Annot. (6), pag. 458.

Ut crederet Origenes a Petro lavandi initium minime factum, ex eo inductus est, quod postquam dixit Joannes : ἤρξατο νίπτειν τοὺς πόδας τῶν μαθητῶν, subdit : ἔρχεται οὖν πρὸς Σίμωνα Πέτρον. At quanto verisimilius est lavationem pedum primo generaliter, ut fit, enuntiasse Evangelistam, quam deinde singulatim descripsit! Id videtur insinuare illud : ἔρχεται οὖν. Dixit autem : ἤρξατο νίπτειν, pro, ἔνιψε, ut Luc. III, 8 : καὶ μὴ ἄρξησθε λέγειν ἐν ἑαυτοῖς, πατέρα ἔχομεν τὸν Ἀβραάμ, et sæpe alias, ut supra ipse agnoscit Origenes. Idem est sæpenumero vocabuli *incipio* usus apud Latinos auctores, et præsertim apud poëtas. Horat. lib. I, epist. V :

> . . . . Potare et spargere flores
> Incipiam patiarque vel inconsultus haberi.

Propertius lib. II, eleg. XII :

> Fluminaque ad caput incipient revocare liquores.

Et Juvenalis Sat. X :

> Eloquium aut famam Demosthenis, aut Ciceronis
> Incipit optare.

Christum itaque verisimile est a Petro lavationem fuisse auspicatum. Ita sentit Augustinus in hunc locum Joannis, cujus verba referre operæ pretium est : « Quamvis itaque magnæ fuisset audaciæ contradicere servum Domino, hominem Deo, tamen hoc » Petrus facere maluit quam perpeti ut sibi pedes lavarentur a » Domino et Deo. Nec putare debemus hoc Petrum inter cæteros » formidasse atque recusasse, cum id alii ante ipsum libenter vel » æquanimiter sibi fieri permisissent. Facilius quippe sic accipiuntur ista verba Evangelii, quia cum dictum esset : *Cœpit* » *lavare pedes discipulorum, et extergere linteo quo erat præcinctus*, deinde subjunctum est : *Venit ergo ad Simonem Petrum*, » quasi aliquibus jam lavisset, et post eos venisset ad Petrum. » Quis enim nesciebat primum Apostolorum esse beatissimum Petrum? Sed non ita intelligendum est, quod post aliquos ad illum venerit, sed quod ab illis cœperit. Quando ergo pedes discipulorum lavare cœpit, venit ad eum a quo cœpit, id est ad » Petrum. » Ferrarius Origenem hoc loco interpretatur, quasi a Juda incœpisse Christum scripserit. Hoc si verum est, quod in co-

dice tamen Regio non comparet, consentientes habuerit Origenes Chrysostomum et Theophylactum. — *Huetius*.

Annot. (7), pag. 484.

In eo erant utraque ὁμογενῆ, quod utrisque specie tantum merus erat panis, revera autem Christi corpus; ἑτερογενῆ autem, quod comedenti pro sanctitate sua vel impietate salubria erant vel noxia.

INDEX

TOMI DECIMI SECUNDI.

SEQUUNTUR ORIGENIS COMMENTARIA

IN MATTHÆUM.

IN LUCAM HOMILIÆ.

IN EVANGELIUM JOANNIS.

EXPLICIT INDEX.